BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 C
16

[illegible]

27

Pehr Tuncl Cuy^ri f. 4

CONTRADICTIONES, DVBIA, ET PARADOXA, IN LIBROS

- Hippocratis,
- Celsi,
- Galeni,
- Aetii,
- Aeginetae,
- Avicennae.

Cum eorundem Conciliationibus.

NICOLAO RORARIO

MEDICO VTINENSI AVCTORE.

CVM PRIVILEGIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Venetijs, apud Franciſcum, & Gaſparem Bindonum, fratres.

M D LXVI.

NICOLAVS RORARIVS MEDICVS, MAGNIFICIS SEPTEMVIRIS CIVITATIS VTINI, S.

CVM *longioribus ſtudijs, aſſiduisq́; vigilijs, diu, multumq́; in legẽdis antiquorũ medicorum monumentis, verſatus eſſem; atque plurima dubia, & paradoxa, & contradictiones in Hippocrate, Celſo, Galeno, Aëtio, Aegineta, atque Aui-*

cenna animaduertiſſem; præterea, quæ in Galeni tantum operibus à nonnullis doctiſſimis viris obſeruata fuere, & abſque ulla ferè eorum reſolutione, ſcriptis tradita. Repetita frequentius à me Hippocratis, Celſi, Galeni, Aëtij, Aeginetæ, & Auicennæ lectione, Contradictiones, (quas reperi) pro virili mea conciliaui; paradoxa ad communem, rectamq́ue medicorum ſententiam redegi; & dubia aperta feci. ſtatueramq́ue hos, mearum vigiliarum, ac ſtudiorum fructus, mihi ipſi tantum componere. Verum, cùm à doctiſſimis quibuſdã amicis meis, medicæ artis profeſſoribus

feſſoribus deguſtati fuerint, cognouerintq́; ex varia huiuſce operis lectione; illud non medicis modò, ſed cuicunque hominum generi, periucundum, perutileq́;, necnon & ſummè neceſſarium fore; me frequentiſsimè hortati ſunt, impuleruntq́;, vt opus hoc, publico omnium & medicorum, et ſtudioſorum bonarum artium, deſiderio, & commodo, in lucem ederem. Quod, cùm non parum emolumenti eruditioribus omnibus præſtiturum eſſe uideatur; mihiq́; in omni uita mea propoſitum fuerit, omnibus (quantum in me eſt) deſeruire; non potui nō eorum parere conſilijs, & typis ex

cudendum dare. Et ne alicui fortaſſe admirationi ſim; quod ego (huiuſce Magnificæ ciuitatis, ut ita dixerim partus, cui & uitã, & quæcunque animus, corpusue meum præſtare poſſunt, debeo) eorum in me beneficium non agnoſcam; idcirco, labores hos meos uobis Magnificis Septemuiris, qui uniuerſam refertis ciuitatem, nuncupare, ac dicare uolui; ut qui me, ueſtra humanitate, beneficentiaq́; complexi eſtis ſemper; hoc, mei erga uos amoris, & obſeruantiæ, teſtimonium habeatis.

HIERONYMVS CRASSVS CANDIDO LECTORI S.

QVOD candide lector aureo hoc in opere, ſummo cũ labore ac ſtudio traditũ comperies, nullibi adhuc ab alijs (mihi crede) ſcriptũ relictum animaduertes. Habes hic ſiquidem omnes ambiguitates, omnia antitheta, quæ inter doctores quandam quaſi irreconciliabilem diſcrepantiam conſtituere uidentur, itidem & ſenſus omnes ferè abſtruſos; nec non & ſingula pa

radoxa, quæ ex ijs decerpi potuerunt, in unum congeſta. Quas mox difficultates omnes tam facilè, tam perſpicuè, tã doctè, tamq; erudité, & copioſè ſolutas, explanatas, diſcuſſas, ac inuicem conciliatas cernis, ut mirum ſanè ſit, quonam pacto, quos ante nodos adeo implicitos, adeoq; perplexos intuebare, nunc tam mirè, tamq; facilè explicitos, & diſſolutos obſerues, ut nihil ſit, quod clarius, quod lucidius exoptes. Nec eo ego inficias, quin & Iulius Alexandrinus Tridentinus Inuictiſſimi Cæſaris Ferdinandi medicus, Andreas Lacuna Secobienſis Iulij III. Pont. Max. medicus, Frãciſcus Valleriola, Hieronymus Cardanus Mediolanenſis, Conciliator, Gilbertus Limburgenſis, nec non denique Fuchſius, id genus ſtudij, & ipſi quodam modo pertractaſſe uideantur. Id tamen ſcias uelim, eos, tam ſuccintè, tam ſiccè, tamq; curſim percurriſſe, ut uix intelligas, an indicare id potiùs, quàm conſultò præterire uoluerint. At doctiſſimus

mus Rorarius noſter tanti operis auctor, tam copiosè, tam latè, & fusè profudit, ut nihil ſit quod amplius, quod copioſius, quod comptius quoque & ornatius deſiderari queat. Suſcipe igitur optime lector tantum hoc opus, idq́; læto animo, hilariq́; uultu foue, & amplectere; nec pigeat (quæſo) frequentius legere; non enim iniucundum, non immodicum te fructum hac ex lectione polliceor percepturum. Ita & Dij faxint, ut tantus is auctor, ſuo conſtituat animo, aliud & opus iam ab eo cœptum (antitheſeis inſcriptum) celeriter perſoluere, ne tantorum laborum, & uigiliarum fructu defraudati relinquamur. Erit enim opus egregium ſanè, & ſingulare. quod ut citius in lucem prodeat, nihil eſt nobis magis exoptandum. Vale.

INDEX

CONTRADICTIONVM, DVBIORVM, ET PARADOXORUM, quæ in his auctoribus continentur, & diſcutiuntur.

A

ABDOMINIS *muſculos, primos eſſe rectos.* *car.*163

Abſinthij ſuccum exhibendum, ut edulceſcat, contẽperetur(que) bilis. 167

Acetum acerrimum, caliditatem quandam in ſe habere. 170

Acetum nullo pacto adſtringere. 172

Acidum ſaporem, acrem eſſe. 175

Adoleſcentiam omnium ætatum optimam, ac temperatam magis. 177

Adſtringentia ſingula, frigidæ facultatis eſſe. 181

Adſtringentem qualitatem, non modo quidquam ad alui ſubductionem non conferre, uerum etiam ſuapte natura uẽtrem conſtipare. 184

Adſtringẽtia ualide, omnino etiam frigefacere, atque alimenti influxum repellere. 548

Aegri-

Aegritudinibus longis purgationem per ſupe riora moliendam eſſe, inferiori parte adhi bita acutis. 186
Aegritudinem aliquam acutam eſſe abſque fe bre. 191
Aegritudinem propter accidentia, & magni- tudinem morbi, acutam eſſe. 194
Aegrotantes hyeme, parciori cibo alendos eſſe. 574
Aegritudo, uide reliqua in dictione morbus.
Aeris peſtilentiá, ac putrefactionem, ut plu- rimum euenire in poſtremo æſtatis, & in autumno. 576
Aeruginem immodice ſiccare. 195
Aestatis tempore interna corporis robuſtio- ra eſſe. 197
Albedinem frigore exuri, & fuluam fieri. 1
Allium aduerſus ebrietatem optimum eſſe. 6
Aloen, poſt cœnam exhibendam. 560
Amigdalas dulces non multum nutrire, nec uentri ſubducendo conferre. 199
Amigdalæ amaræ exhibendæ in mictu ſan- guinis. 562
Amigdalis ex ipſis bellaria confecta, capitis dolorem lenire, grauedinemq; ex uini po- tatione ſubleuare. 561
Amylum adſtringere. 202
Anginæ cholericæ, minorem eſſe dolorem quàm ſanguineæ. 578

Animi in defectu ex multitudine, copiáue, uinum non exhibendum. 204
Appetitum non ex calore, ſed ex frigiditate eſſe. 583
Aquam pluuiam ex omnibus citiſſime putreſcere, atque odorem malum habere. 8
Aquam ſalſam uentrem non deijcere, quin magis ad alui egeſtionem maxime aduerſam eſſe. 13
Aquam putealem ſubſalſam eſſe, ac uentrem perturbare. 549
Aquam in dieta bibendam non eſſe. 135
Aquas ſponte naſcentes calidas, humectare. 206
Aquam, omnium humidiſſimam. 208
Aquam neque epotam, neque extrinſecus occurſantem, natura aptam eſſe, ſolidas animalis particulas humectare. 210
Aquam fontis, quæ currit ſuper lutum, ea meliorem eſſe, quæ ſuper petras fluit. 585
Argentum uiuum à calore noſtro calidum actu redditum per eroſionem interimere. 212
Auſtera, ualide adſtringere. 214
Auſtris, naturam calidam, & humidam eſſe. 216

B

Balnea calida, præſertim nitroſa, ſulphurea, & bituminoſa, totum euacuare corpus. 221
Betam, ſtomacho noxiam. 224

Bilim

Bilim ſanguine ipſo aliquanto frigidiorem eſſe. 15
Bile in ipſa, ſalſáue in pituita, euacuandum eſſe, nulla expectata uera, ac perfecta concoctione. 227
Bilim flauam, primis autumni temporibus redundare. 230
Bilim pallidam, ac uitellinam in iocinore, ac uenis fieri, porraceam, & æruginoſam in uentriculo magis. 232
Braſſicam, acrimoniam quandam in ſe habere ad ſeceſſum, atque ſimul boni eſſe ſucci. 18

C

Cachexia in ipſa ſanguinem mittendum. 565
Calidum omne, frigido moderato, nutriri. 20
Calore à proprio ac naturali, nihil corrumpi. 236
Cantharidas totas exhibendas eſſe. 241
Capitis ex uulnere quiſquis moriturus eſt, in hyeme diutiori tempore uiuere, quàm in æſtate, quacunque capitis parte uulnus habeat. 25
Capitis in uulneribus, ſi febris ſuperueniat, & tumor, ac circa faciem inflammatio, nó ſemper os perforandum eſſe, ſed purgantis medicamenti uſum ſatis eſſe poſſe. 29
Carnes contuſas, ac conciſas, neceſſario pus fieri, ac conſumi. 30
Carnes ſalitas, melancholicum ſuccum generare. 246

Caſta-

Caſtaneas, craſſi quidem, nullatenus autem praui ſucci eſſe. 248

Catarrhum calidum, ac deſtillationem calidam, & ſalſam curat, capiti, calida & ſicca, applicando. 250

Catarrho in ipſo calido, lac exhibendum. 587

Cepe uiſui commodum eſſe. 31

Cerebri tenuem membranam, ſeu interiorem uulneratam, non amplius coaleſcere. 36

Cerebrum, per palatum, uel aures, uel nares, uel oculos expurgari. 252

Cibum ſemel in die aſſumentes, deterius concoquere, quàm ſi bis aſſumant. 37

Cibos duræ, ac tardæ digeſtionis, præponi debere in comeſtione, his, qui ſunt uelocis. 255

Cichorium, uitioſiſſimi eſſe ſucci. 258

Cicutæ ſemen inter rodentia poſuit. 139

Cliſteres pleureſis locum expurgare. 259

Cliſterium uſum in febribus uehementibus, atque ardentibus, & materiam ſurſum repentem habentibus nocuum eſſe. 550

Coitu in ipſo, minus delectari mulierem uiro; & uirum, longiori etiam tempore. 40

Colica in ipſa, loco iuris galli, aquam hordei bibendam. 588

Compoſitio in nobis duplex. 263

Coriandrum calidum eſſe, ac ſimul ſomnum conciliare. 43

Corpora rariora, atque hirſutiora, labores

magis

magis ferre. 46
Coxendicum in dolore, ex talo ſanguinem mittendum. 266
Cranei ſuturæ, quo pauciores ſunt, eò capitis ualetudo commodior. 141
Cucumerum quædam ſemina, calida eſſe. 269
Cucurbitæ inter attenuantes cibos connumerandæ. 270

D

Deſtillationes à capite in pulmonem deſcendentes, tunc malignæ ſunt, cùm defluentia ſubtilia, & corrodētibus uiribus prædita. 272
Deſtillationem calidam, & ſalſam curat. 273

E

Epilepſiam, morbum eſſe chronichum. 273
Epilepſiam, & apoplexiam, eundem locum perpeti atque eundē humorem, utrorumq; cauſam eſſe. 275
Epilepticis, cœnam, prandio maiorem, eſſe debere. 276
Euacuandum eſſe quandoque à nobis, natura etiam euacuante. 278
Euacuationem moliendam nobis eſſe, per loca eadem, ad quæ natura uergit, & non aliò. 48
Euacuationem à diarrhœa prohiberi. 589
Excretionibus in bilioſis, potiones dulces exhibendæ. 568
Excrementum non omne, alterationem à natura

tura

tura recipere. 282
Excernentibus acria, mordaciaq;, oleum ad ſtringens infuſum, acrimoniam hebetando, prodeſſe. 284
Exercitationem modicam, corpus ſiccare. 143
Exercitatas partes robuſtiores reddi. 285
Exercitans ſi eſt plenus, melius eſt, quàm ſi exercitetur cùm eſt uacuus. 590
Extenuat corpus quandoque uini potus in ieiunio. 592

F

Fabas, pituitoſum generare ſuccum. 593
Fauces exaſperari à cibis pinguibus. 289
Fauces ore adaperto poſſe inſpici, guttur uero minime. 290
Febrem diurnam, longiorem eſſe nocturna, & deteriorem. 51
Febre in ardenti lac aſinæ exhibet. 53
Febrem quartanam, à bile, ac pituita, fieri. 55
Febre in quartana ſalſis utendum eſſe. 322
Febrem putridam ex prohibita tantum tranſpiratione, atque ex ſola obſtructione fieri poſſe. 291
Febribus in putridis, nullum præſtantius eſſe remedium, ſanguinis miſſione. 294
Febre in continua uniformi, tempus exhibendi cibum horam faciliorem eſſe. 296
Febres continuas, quarum uniuerſum tempus in una conſumitur acceſſione, quæ à princi-

pio uſque ad finem pertingit à putredine cholerę fieri. 297
Febre in ipſa, ſi alui profluuium fuerit, alia non eſſe opus euacuatione. 301
Febres à morbis acutis inſeparabiles eſſe. 301
Febris in tertianæ exquiſitæ intermiſſione, nullum relinqui in pulſu, humoris putreſcentis perceptibile indicium. 301
Febrem tertianam puram, ſalubriorem eſſe non pura. 303
Febrem ſemitertianam, continuam eſſe. 305
Febris ethicæ ſiccitatem, primo, in corde fieri. 311
Febris ethicæ calorem, tertianæ calore, maiorem eſſe. 594
Febrium ethicarum nullam in primis diebus, ſed progreſſu temporis fieri. 312
Febres ethicas, inter putridas adnumerari. 315
Febre peſtilenti correptos, calorem febrilem acrem habere. 319
Ficus, ſucci prauitatem, non potuiſſe effugere. 323
Ficus, quia ſunt boni chymi, tenuisq́; motus, pediculos generare. 596
Fœtus trimeſtres, & quadrimeſtres, præter cæteros iniurijs reſiſtere. 325
Fœtum in utero, ex optimo nutriri ſanguine. 326
Frictionem multam, corpus uniuerſum euacuare. 331

G

Glandoſam mammillarum carnem, nullum habere

habere ſenſum. 598
Grauida ſi eſſe deſiit, quæ facile concipiebat, uelit autem iterum concipere, bis per annum, à manibus, & cruribus, uenam ſecari ſinat. 57

H

Hæmorrhoidem nullam abſque uſtione ſinere oportet, ſed omnes exurere. 59
Herbis ab ipſis, nullo modo nutriri poſſumus. 333
Hidropem, minime fieri poſſe, niſi hepar afficiatur. 342
Hieme, corpora, plus optimi ſanguinis accumulare. 343
Hœdis ſolis, ex terreſtribus animalibus, attenuanti in uictu, innoxie nos uti poſſe. 336
Hordeum quandoq; frigidum, quandoq; calidum. 339
Humorem omnem calefactum, tenuiorem reddi. 62

I

Iecoris diſpoſitionum, ex tactu, nullam haberi notitiam. 347
Iecoris caua, per aluum; gibba, per urinas, expurgari. 350
Iecoris in phlegmone, adſtringentia non competere. 355
Iecoris ſcyrrhum, hidropem illico ſequi ſolitam. 357
Iecur lupi, ad iecorarias diſpoſitiones, à tota

ſubſtantia operari. 358
Ieiunium ad capitis dolorem, ac crapulam, malum eſſe. 63
Impetigines à pituita fieri. 67
Inedia, plenitudinem euacuari. 361
Inſaniam, mediocre delirium ab Hippocrate dictum. 363
Inteſtina, carnoſa eſſe. 365
Inteſtina, uim contentricem non habere, ſed expultricem tantum. 367
Inteſtina, non unicum tantū habere uillorum genus. 370
Iracundos, temperamento frigidiori eſſe. 374

L

Lac minime dandum, quibus bilioſæ ſunt deiectiones. 68
Lac exhibet ī cholera, dū adhuc flatus adsūt. 69
Lac aſinæ in febre ardenti exhibendum. 71
Lac aſinæ decoctum exhibēdum, ad ſubducendam aluum. 71
Lac potius frigidum, quàm calidum. 384
Lactis ſerum, frigidum, & humidum. 386
Lac camelorum, omnium liquidiſſimum, ac minime pingue. 389
Lactucam, boni eſſe ſucci. 381
Lapidem patientibus pueris, uinum quàm aquoſiſſimum dare expedit. 73
Lapidi conferre, ſuper dorſum dormire. 599
Lepram, à pituita fieri. 76
Lepra

Lepra in ipſa cappares exhibet. 601
Lienem, melancholico ſucco, nutriri. 392
Lienoſorum potus ſit aqua, in qua ignitum ferrum extinctum ſit; non febrientibus cum uino, febrientibus uero aqua ſola. 394
Lumborum dolore affectis, teſtiumque, ex poplitibus, & uenis interioribus ſanguinem eſſe mittendum. 396

M

Medicamina lenientia, in uentriculi apoſtemate exhibet. 601
Medicamento in corpore exiſtente, & non purgante, uenam ſecat. 569
Medicamenta, humores noſtros immutare. 399
Melancholia in ipſa, ubi eſt per eſſentiam in capite, ſanguinem mitti non debere. 404
Melancholicum affectum eſſe, cùm quis in febribus aluum liquidam habeat, & mentem perturbatam. 77
Menſes, ſi ſuperflue purgentur, cucurbitulas inguinibus admotas, remedio eſſe. 78
Menſes, ſi ſuperflue purgentur, remedio ſunt, cucurbitulæ, cute inciſa, inguinibus admotæ. 144
Menſes cùm exeunt, ſi tunc crura fortius ligentur ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahi. 407
Menſes, ſex menſibus retenti, nullam habent medelam. 84

Menſibus fluentibus,& hæmorroidibus,ſanguinem detrahit. 406
Menſtruo ex ſanguine,omnes animalium particulæ generantur. 408
Menſtrua,potato ab alumine,duci. 551
Morbos omnes à bile, ac pituita tantum fieri. 89
Morbos magis recipere , ac magis dolere , quod ſiccum eſt,quàm humidum. 87
Morbus, uide reliqua in dictione Aegritudo.
Mulierem, uiro calidiorem eſſe,atque calidiorem habere ſanguinem. 94
Muſculis intercoſtalibus ſepternis,maximam inſpirationem fieri; internis uerò , maximam expirationem. 412

N

Nictalopem eſſe,cùm quis die obtuſius uidet, ſole occiduo acrius,noctu magis adhuc. 417
Nucem amaram,frigidam eſſe. 147

O

Obſtructionem , ac putredinem , per ſanguinis miſſionem curari minime poſſe. 418
Obſtructione in ipſa meatuum,ubi eſt parua , uinum dari ; ubi uero eſt magna , nequaquam eam uinum aperire. 602
Oculis lippientibus,panem ex lacte exhibendum eſſe. 151
Oculorum glaucedinem , ſiccitatem eſſe, atq; immodicam criſtallini humoris concretionem

nem. 420
Oculos nigros habentes, frigido eſſe temperamento. 422
Oculorum motus, quatuor tantum eſſe. 425
Oleum ſimplex, conuulſiones, non magnopere iuuare, uel ledere poſſe. 427
Oleum adſtringens, hebetando acrimoniam, his, qui acria, & mordacia per aluum excernunt, prodeſſe. 428
Oleum camomelinum, moderate refrigerare. 552
Oſſa parua, nullam medullam habere. 428
Oui uitellum, ſubtiliationem habere. 603

P

Phlegmonibus in ipſis, ſanguinem mittendum eſſe, ſi uires ualidæ ſint; quod ſi ſanguinis miſſionem timeat, uel imbecillis ſit æger; tum in diuerſa reuellendum, tum per propinqua deriuandum. 431
Phlegma ſpiſſitudine ſua, integre non obſtruere cerebri meatus, melancholiam uero, integre obſtruere. 605
Pineos nucleos, ſtomacho idoneos eſſe. 152
Piſces comedere, uictum eſſe plenum. 435
Piſces ſalitos, corruptionem ueelociter recipere. 606
Pituitam ex bile diſſoluta fieri, dum ab aceto attollitur. 99
Pituitam ex corpore noſtro nequaquam fieri, ſed ex cibis tantum. 436

Pituita in ipſa ſalſa, euacuandum. 441

Pleuretici, quibus in principio, ſputamina penitus purulenta ſunt, tertio moriuntur die, aut quinto; ſi uero hos effugerint, non multo melius habentes; ſeptima, aut nona, aut undecima ſuppurari incipiunt. 100

Pleuritides abſque conuulſionibus, his grauiores eſſe, quæ cum conuulſionibus fiunt. 103

Pleureticos, balneo ualde iuuari. 104

Pleuritide in ipſa, uentris profluuia cauenda. 107

Pleureſis, in qua ſanguis expuitur, grauis eſt magis, quàm ſi pituita expurgetur. 154

Pleureſi in ipſa, in qua cruenta eijciuntur ſputa, ſanguinem mittere non eſt neceſſe, quia mitis eſt. 443

Pleuritide in ipſa à bile, ſanguinis miſſionem non conuenire. 446

Pleureticis piſces ſaxatiles concedit, ac maxime idoneos fatetur, ſale paratos, &c. 442

Pleuritidis, atque dyſenteriæ ſigna, ſcientifica, demonſtratiua, certaq; eſſe. 447

Pomis ab ipſis minimam inflationem fieri. 155

Porcinas carnes facile ſecerni. 554

Prunis damaſcenis, aluum moueri. 449

Pulmo, parum abeſt, ut ſenſus ſit expers. 452

Pulſum uirorum, tardiorem eſſe quàm mulierum. 453

Purgationem, à ſanguinis miſſione differre in quo. 455

Puſtu-

Puſtulas in cute iam apparentes in malignis febribus curat in principio, ſanguinis miſſione, ſi nihil prohibeat. 555
Putredinem ipſam, atque obſtructionem, ſanguinis miſſione, minime tolli poſſe. 456

Q

Quiete longa, corpus refrigerari. 457

R

Ranarum paluſtrium ius, commorſis à reptilibus uenenatis, remedio eſſe. 557
Rapum, urinæ difficultatem inducere. 109
Rapa, nutrimentum craſſum præſtare. 460
Rapa, calida eſſe. 571
Renum in affectibus, ſanguinem à pede detrahendum. 462
Reſpirationem naturale opus eſſe, non animale. 466

S

Salitas carnes melancolicas eſſe, duræq; digeſtionis, atque craſſos generare ſuccos. 468
Sanguinem non eſſe natura calidum, licet multis uideatur eſſe natura calidus. 111
Sanguinem calidiorem uiro, mulierem habere. 113
Sanguinem calidiſſimum omnium, quæ ſunt in corpore. 469
Sanguinem frigeſieri, cùm ſomnus inuaſerit. 114
Sanguinem, pueris etiam mittendum eſſe in capitis uulneribus. 117

San-

Sanguinis miſſione tutò curari firmum puerum, robuſtum ſenem, atque grauidam mulierem ualentem. 156
Sanguinis miſſio, à purgatione differt. 474
Sanguinis miſſio in quibuſdam doloribus facta ab una uena magis quàm ab alia, non iuuat propter ſectionis figuram, ſed propter ſanguinis effuſionem. 473
Sanguinis miſſione, inflammationes ſolas celerrime, non uniuerſum corpus æqualiter, euacuari. 474
Sanguinem detrahendum non eſſe, aluo fluente. 476
Sanguinis miſſionem in morborum ſtatu, tentandam nullo modo eſſe. 476
Sanguinis miſſionem melius fieri cùm febris non adeſt, quando autem adeſt febris, tum ſtatus eſt magis conueniens. 607
Sanguinis exuperantiam abſque periculo eſſe. 471
Sanguinis profluuia πληθώραν, atque pariter κακοχυμίαν euacuare poſſe. 478
Semen in amplexibus uariciformibus, nō perfecte generari. 479
Semen emittere mulierem in coitu, & fœcundum eſſe. 482
Senſum difficilem, atq; inſenſibilitatem, ægritudines eſſe. 489
Serum lactis frigidum, & humidum. 492
Siphac,

Siphac, corpus eſſe paniculare, abſque uillis ſenſibilibus. 608
Sitim quandoque cum materia phlegmatica, atque cum frigida diſpoſitione eſſe. 610
Siticuloſis ægris, oximeli exhibendum non eſſe. 492
Somnum non ſemper humectare. 494
Somnum à frigore fieri 496
Somni tempus optimum eſſe à cibo. 495
Somno indulgendum non eſſe ſuper nimia uacuitate, quoniam uirtutem deijcit. 611
Somnum ad conciliandum, nigri papaueris folijs utitur. 571
Spiritum animalem manifeſte dari, non ita aperte uitalem, dubie autem naturalem. 498
Sternutamenta, naturæ opera eſſe. 506
Stupefacientia refrigerare, atque exiccare. 509
Sudore in ipſo multo repletionali, corpus per aluum euacuandum eſſe. 509
Sudores aliquos eſſe, qui coctionem oſtendunt. 512
Suillis partibus extremis ueſci concedit in attenuanti uictu. 513

T

Tuſſim, operationem eſſe ſecundum naturam. 516
Tuſſiculam moueri à cibis pinguibus. 518

V

Venas meſaraicas, ſanguinem non modo attrahere,

trahere, uerum etiam quoquo modo concoquere, ac præparare. 519
Venarum tumorem, multitudinis eſſe inſeparabile ſignum. 521
Vere in ipſo, humiditatis exceſſum eſſe. 119
Veſicæ diſciſſionem letalem eſſe. 122
Veſicam, unica tantum conſtare tunica 523
Veſicam frigidam eſſe. 527
Victu pleniori, potius quam parciori, ac tenuiori alendos ægrotos eſſe. 124
Vinum aquoſum adſtrictionem habere. 528
Vinum album auſterum, ſenſibiliter refrigerare. 529
Vino nigro, & auſtero uomitum concitari. 557
Vinum humectare. 531
Vinum antiquum, quaſi medicamentum eſſe, & pauci nutrimenti. 613
Vinum, quoniam eſt natura calidum, & frigidum natura; ideo, quoſdam fortes facit, & quoſdam debiles. 615
Virtutum trium qualibet amiſſa, reliquas etiam perire neceſſe eſt. 532
Viticem frigidam eſſe. 534
Vlceribus in internis, cliſteres leues laudat. 537
Voluulo in ipſo, ſolus uomitus apparens, etiam abſque ſtercore, exitiale ſignum eſſe. 538
Vrina nigra, quo fuerit craſſior, eò deterior. 540

Vrinam

Vrinam oleoſam, ſanguinem in uenis concoctum demonſtrare. 540
Vſta, neque frigidiora, neque calidiora ſeipſis fieri. 542
Vteri in hydrope, piſces potius concedit, quàm carnes. 127
Vterum ad præcordia aſcendere, ut humectetur. 129
Vterum, atque utraſque ueſicas, unica tantum conſtare tunica. 545
Vuas paſſas, lieni, atque iocinori tumentibus, minime congruas eſſe. 546
Vuas immaturas magis aluum deijcere, quàm dulces. 134

FINIS.

Errata ſic corrigito.

pag.7.li.21.		deducit
16.	8.	ſcribendo
36.	3.	his
52.	18.	uigent.
53.	18.	deterior ſit
64.	7.	quod etiam Galenus lib.2.
73.	15.	Sæuero
81.	10.	idcirco
91.	6.	faſſus
98.	10.	ſed quia arctiores
	20.	quàm
103.	28.	iri
108.	22.	ἦν
117.	15.	que
127.	5.	ſani
144.	12.	res
145.	8.	menſtrua cieantur
151.	11.	amara
154.	1.	ea grauiorem eſſe uoluit
155.	16.	inflationem
165.	17.	coſtā & fæmoris oſſa
169.	11.	à minus calido contra afficiat
177.	14.	quia
179.	20.	παρακμὴ καὶ παρακμαστικὴ
187.	2.	motu
188.	13.	quin
193.	15.	effatu
201.	24.	profectò
	26.	illæ
205.	22.	contrarium
207.	13.	quia
211.	13.	copioſo
218.	13.	ἀργέσαον
221.	17.	poſſumus
223.	18.	utile
225.	23.	locos
226.	28.	dicenda
227.	9.	uero
230.	23.	quandam
231.	7.	aër
240.	20.	depaſto
248.	22.	multa
265.	28.	compoſito
270.	15.	dulcore
285.	3.	hirci.
295.	20.	quæ non ab humorum
299.	10.	ommiſſa
301.	21.	putreſcentis
312.	11.	ſiccitatemq;
315.	14.	contemplatione
318.	7.	ſolas
365.	19.	quia
369.	22.	tranſglutitionis
372.	29.	cum ab
376.	27.	calidos
380.	20.	accipi
381.	25.	admiſceatur autē eis ex melle

395.	25.	aqua,quæ ex
399.	9.	in re ſolum
414.	5.	ommittentes
425.	4.	conſequuntur
428.	1.	quod è cõtrario
431.	10.	maxime ſolida
432.	9.	ommiſſa
451.	20.	damaſcena
452.	15.	Ergo
456.	23.	quæ
460.	17.	& rapa nutriunt eum qui dige rit ea, nutri
461.	15.	ſubtiliant
462.	13.	humeralem
468.	7.	hanc
474.	4.	dolente
480.	19.	ſanguinolenti
486.	4.	maſcula ſemina
496.	8.	ualeat
499.	21.	ouorum
502.	2.	eueɐi
566.	15.	plenitudo
567.	10.	modum
	26.	iɐerum
576.	12.	mutationum
578.	19.	cholericæ
579.	3.	anginæ
581.	7.	corroborantur
	22.	Doloris
582.	14.	diɐam
	25.	ſanguine
585.	21.	& lutum.delea-tur &
587.	29.	ſeſama
600.	24.	renes
603.	16.	multam
604.	9.	timore
612.	12.	deficit

HIPPOCRATIS
CONTRADICTIONES DVBIA, ET PARADOXA,
Cum eorundem conciliationibus.
NICOLAO RORARIO AVCTORE.

I.

ALBEDINEM exuri, fuluamq; frigore reddi aſſeruit in libro de Aëre, aquis, & locis, de Scytharum gente ſermonem habens, coloris ualde fului exiſtente, ex ingenti frigore. Non enim (inquit) uehemens accedit ad eos Sol. Oppoſitum cuius prorſus tenendum eſt; fuluus nempe color, quem græci πυρρὸν dicunt, quùm ἀπὸ τοῦ πυρὸς, hoc eſt ab igne deducatur; idcirco igneus pallens erit, quemadmodum recte interpretatus eſt Galenus libro 12. Therapeu. Methodi cap. 4. atque caliditas, potiusquàm frigiditas ex huiuſcemodi colore indicatur; fulua nanque cuncta, albis calidiora eſſe, nemo non ignorat, ex his, quæ ad calcem libri quarti de Simplicium medicamentorum facultatibus,

ce pæ, ſcyllæ, atque uini exemplo ſcriptis tradidit Galenus; hæc etenim, quo albidiora fuerint, eò minus calida eſſe aſſeruit, quæ uero ſubflaua, fuluaq; calidiora; qua re fuluum colorem πυρρὸν græcis dictum, à caliditate, à ſole uidelicet aſſante, & urente, potiusquã à frigiditate, fieri debere perſpicuum eſt; frigiditas nanque licet humorem exprimendo, exſiccet, congelet, atque exurere quoquo pacto dicatur; nó eo tamen modo urit, quo ſol; ut quod candidum eſt, fuluum, igneumq; reddi poſsit, quin magis liuidum, atrumq;. Quapropter illud, quod eſt à frigore proprio; humore abſumptum, ſiccum potius redditum dici debet, quàm fuluum.

S I *Scytharum regionem, frigidiſſimam eſſe cognoſcamus, veluti Coſmographi teſtantur omnes, vt qua, in Aſia, ab extremo Aquilone, ad initium Orientis æſtiui ſita ſit; cuius non modo prima pars, à Scythico promontorio, ob niues, inhabitabilis prorſus eſt; ſed etiam alia eius partes, pari modo frigida perhibentur. Si marium fœminarumq; eius regionis frigidas, atque humidas temperaturas fateamur, quemadmodum pluribus exemplis, hoc ipſo loco demonſtrauit Hippocrates; ſenſitq; Ariſtoteles libro quinto de Generatione animalium capite tertio. albedinem, liuidam à frigore fieri, potiuſquam fuluam, dicendum erit; à caliditate nempe fuluus color fit, liuor uero à frigiditate auctore Galeno aphoriſmorum ſect.*

ſect. 5. com. 17. Ubi aphoriſmum explicans, qui ita habet. Frigidum autem conuulſiones, diſtentiones, liuores, rigores febriles, in commento hæc protulit Galenus. Ac ſanè quidem liuores, ex refrigeratione fiunt, & rigores febres aduocantes; comprobauitq; Ariſtot. 8. Problematum ſect. problemate 19. Quærens qua de cauſa liuidi, qui rigent, efficiantur, atque rationem reddens, inquit, quoniam ſanguis, appulſu frigoris gelaſcit, gelatus autem nigreſcit propter caloris inopiam. Quibus apertum ſatis ſit, à frigore liuidum, non fuluum (qui caliditatis ſoboles eſt) emergere colorem. Amplius ſi prædominantes in corpore ſucci, corporis colorem euariare poſſunt, quemadmodum Galenus & libro quarto de Tuenda valetudine atque alibi frequentiſſime oſtendit; dum illos, quibus crudi dominantur ſucci, qui è pituita genere ſunt, uel plumbi colorem referre uoluit; uel mixtum his eſſe albi, liuidiq;, aliquando & liuorem ſolum abſque albo præſeferre, dixit, pituitoſus autem, frigidus ue ſuccus, ex Hippocratis ſententia Scytharum inſit corporibus; idcirco uel liuentes eos, vel cum liuore albos, uel etiam plumbeos, potiuſquã fuluos appellare operæ pretium eſſet: niſi fuluum eo modo capiamus, quo fului dicuntur à Poëtis lupi, qui atro quodam, atque ſubcineritio ferè colore tincti apparent, quemadmodum Virgilius, fuluos appellauit lupos, libro 1. Æneidos, his uerbis.

Inde lupæ fuluo nutricis tegmine lætus
Romulus, excipiet gentem.

Cæterum, ſi etiam græcum exemplar conſulere, dili
gentiusq́; penſitare nobis liceat; atque uerba ad aliũ
ſenſum, quàm à doctiſſimis Hippocratis interpreti-
bus uerſa ſunt, exponere fas ſit; ſecus iudicio meo, at
que melius fortaſſe, græca illa uerba explicari pote-
runt, quæ ita habent. πυῤῥὸν δὲ τὸ γένος ἐϛὶν τὸ σκυ-
θικὸν διὰ τὸ ψύχος οὐκ ἐπιγενομένον ὀξέως τοῦ ἡλίου. ὑπὸ
δὲ τοῦ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται, καὶ γίγνεται πυῤ-
ῥὴ. Quæ ita ab ipſis latinitate donata ſunt. Porrò
Scytharum gens, fului ualde coloris exiſtit, propter
frigus ingens. Non enim accedit uehemens ad eos
Sol; à frigore uero, albedo exuritur, & fit fulua.
Et quoniam difficultas eſt in dictione πυῤῥὸς, quam ip
ſi, fuluam interpretati ſunt; dictio vero hæc, non mo
do à πῦρ πυρὸς, quod ignem ſignificat; verum etiam
à uerbo πυρόω deduci fortaſſe poſſit, quod candefacio
ſignificat,; ſatius fortaſſe erit, ſi dictionem illam πυῤ-
ῥὴ, non ἀπὸ τοῦ πῦρ πυρὸς, quod ignem, & calorem
denotat, ſed magis à uerbo πυρόω deductam eſſe dica
mus; atque albedinem frigore exuſtam, non fuluam,
ſed candidiorem reddi ſcribamus. Candida nempe
plurima ſunt, quorum humidiores partes candoris
ſui corruptelam inferunt, niſi à frigore abſumptæ, di
geſtæ, atque vt ita dixerim exuſtæ fuerint; reſolutis
vero, atque à frigore humidioribus partibus exhau-
ſtis, atque ſiccatis, non modo fulua, vel ſe ipſis nigrio
ra, verum etiam candidiora redduntur; quemad-
modum in candelis ex ſeuo confectis, innumerisq́;
alijs, liquido conſtat, quæ, licet albedinem quandam
in

in ſe habeant, candidiora tamen adhuc, à frigore redduntur. Verum, ne uerba contorquere uideamur, illuſtriumq́ue uirorum loci explicationem non accuſemus, dicere etiam hoc pacto poſſumus, animaduertendum eſſe, fuluum ipſum colorem, de ruſo, atque uiridi mixtum eſſe; atque in alijs plus viridis; in alijs plus ruſi ineſſe; & qui de magis ruſo conflatus eſt, πυῤῥὸς recte uocabitur, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, hoc eſt ab igne atque qui huiuſmodi eſt, à calore id ſibi adueniſſe, igneumq́ue pallentem à Galeno recte definitum eſſe dicemus. Qui vero viroris magis eſt particeps, illum à frigore, albedinem adurente, uiridemq́ue reddente, fieri non inficiabimur. Dum itaque Hippocrates ſcripſit ὑπὸ δὲ τοῦ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται καὶ γίγνεται πυῤῥή. per albedinem fuluam, non igneam pallentem intellexit, quæ ex ruſo conſtituta ſit; ſed fuluam, quæ viroris admodum particeps exiſtat. Candorem itaque fuluum habebunt Scythæ, plurimo uirore confectum; vel liuidum, vt qui, non ſanguine, calidisue ſuccis, ſed crudis, pituitoſisq́ue referti ſunt; Qua re & Galenus libro 1. de Tuenda ualetudine non longe à principio, probans non omnem affectum ſecundum naturam, ſanitatem eſſe, non fuluos Scythas ipſos, ſed ruſos appellauit his verbis. Eſt enim affectus ſecundum naturam, tum Ægyptiorum nigritia, tum Gallorum candor, tum Scytharum ruſus color, quorum tamen nullum eſt ſanitas, quùm ea omnino in colore non conſiſtat. Ruſus autem color, atrore & nigrore multo mixtus eſt, auctore Gellio

Atticarum noctium lib.2.cap.26. atque ad album, magis quàm ad flauum uergit, Galeni teſtimonio libro 1. de Criſibus, bilis amaræ exemplo, quæ aliquando rufa apparet, aliquando flaua, ſæpius & pallida: & ſi quidem albior (inquit) ac turbulentior facta ſit, ruffeſcit; ſi vero ſplendens ſit, & purior, flaueſcit; nam quod veluti igneum in bile ſplendet, ipſam flauiorem reddit.

II.

ALLIVM aduerſus ebrietatem, optimum eſſe aſſeruit libro 4. de Victus ratione in Morbis acutis com. 91. his uerbis. Allium flatum parit, caliditatemq; in thorace: capitis item grauitatem facit, & cibi faſtidium; ſi & alius quiſpiam dolor ex conſuetudine ante infeſtauerit, irritat: cæterum urinas ciet; eſtque, hoc prædítum bono, quùm, qui potaturus ſit, & ſeſe crapulæ daturus, uorare allium, optimum ſit. Cuius oppoſitum prorſus tenendum eſt; cùm nanque allium ipſum, capitis grauitatem facere, omnibus compertum ſit, atque maxime ſuis uaporibus caput petere, quemadmodum ipſemet, eodem textu fatetur Hippo. Ebrietas autem nihil aliud ſit, quàm capitis repletio, atque grauedo, ex uaporum uini ad caput aſcenſu: quùm allium, capitis grauitatem faciat; qua ratione, ebrietati conferre poſſit, neſcio.

LICET *vinum, & allium, vaporibus caput replere*

plere apta ſint; facultate tamen, diuerſi, cùm emergant ab utriſq; uapores, calidi etenim hi, diſcutienteſq; illi vero frigidi, replentes, atque grauantes; diuerſos propterea, atque ſibi aduerſos effectus, utrũq; parere, non eſt incongruum. Quocirca, quo Hippocratis diluatur contradictio, dicendum eſt, calidos, acreſq; allij uapores, eam capitis grauedinem tollere, craſſoſq; eos vapores diſcutere, qui à crapula, potuſq; uini, oborti ſunt multitudine, atque hac ratione, ebrietati reſiſtere poſſe; Galeni nempe teſtimonio compertum eſt, allium quandoque non modo capitis grauedinem non facere, quin potius, eam, ſi qua eſt, tollere, quemadmodum ſcriptum reliquit libro 4. de Ratione uict. in morbis acutis com. 91. hiis uerbis. Allium ſi quis praeuacuato corpore obtulerit, capitis grauitatem ſanat. Quapropter craſſos cerebri uapores, ex crapula obortos, diſcutiens allium, capitis grauedinem tollere fateamur. Vel fortaſſe, atque melius ita dicendum eſt, allium crapulam ſoluere, ebrietatemq; arcere, quoniam urinas mouet, epotumq; uinum ad uias urinæ deduci, per eaſq; regiones euacuans, uaporum ad caput aſcenſum inhibet; atque idcirco, dum ibi Hippocrates, plures allij facultates enarrauit, vbi ipſum, urinas ciere dixit, ſubdidit, atque idcirco eſt hoc praditum bono; quod, qui potaturus ſit, & ſeſe crapulæ daturus, uorare allium optimum exiſtit; quaſi innuere uelit, quia allium ad uias urinæ uinum deducit, idcirco potaturis commodum eſt. Hanc autem uim, non modo allio,

verum etiam ſingulis urinam cientibus ineſſe, arbitrati ſunt doctores, quemadmodum oleo attribuit Ariſtot. qui Problematum ſect. 3. problemate ultimo. Quærens cur oleum ad arcendam uinolentiam, ualeat, ita reſpondit, quia urinam cùm ciere poſſit, uino hauſto, iter gerit. Et licet olei, alia quædam ſit fortaſſe, & potior cauſa, quia videlicet uino innatet, uaporumq́ʒ ad caput aſcenſum idcirco inhibeat, Ariſtoteles tamen non aliam eo loco opinatus eſt, quàm propter uini ad uias urinæ deductionem.

III.

AQVAM pluuiam, ex omnibus ociſsime putreſcere, atque malum odorem habere ſcripſit in libro de Aëre, aquis, & locis; qua re ipſam decoqui, atque excolari debere, præcepit. Quod etiam Paulus Aegineta ſenſit libro 1. capite quinquageſimo, ex Hippocratis ſententia, ita ſcribens. Cæleſtis præterea aqua (teſte Hippocrate) nullo pondere grauis, dulcore abundanti, limpiditateq; neutiquã uulgari, tenuitateq; cenſetur, eo quod à Sole leuiſsimum trahatur, ac tenuiſsimum; idq; non ex alijs aquis modo, ſed ex mari etiam, corporibusq; colligitur, proinde & omnium celerrime putreſcit, quod è diuerſis admodum qualitatibus cõſiſtat. Duo hiſce uerbis expreſſere Hippocrates, atque Paulus, pluuiam uidelicet aquam ociſsime putreſcere, demum & prauum odorem habere; quorum oppoſitum ex ipſomet Hippo-

Hippocrate, atque etiam ex Galeno tenendum eſt; ipſamq; non adeo uelociter putreſcere, ex his colligere licet, quæ Galenus lib. 6. de Cõpoſitione medicamentorum ſecundum locos, ſcriptis tradidit, ubi diacodionem compoſuit; in quo componendo pharmaco, aquam pluuiam indidit, inquiens; aqua quidem pluuia additur, quo, putredini, minus obnoxium ſit pharmacum; habet autem, & adſtringens quidpiam in ſe, hæc aqua. Cùm itaque pluuiam aquam medicamentis immittat Galenus, ne adeo facile putreant; quùm reliqua à putredine conſeruet, ipſam ociſsime putreſcere nequaquam credendum eſt; nam propter quod, unũquodque tale, & illud magis tale eſt; in quã ſententiam ſcripſit etiam Cor. Celſus lib. 2. capite 29. de his, quæ aluum adſtringant, in capitis calce pluuiam aquam, putredini admodum reſiſtere affirmans, his uerbis, Aqua uel tepida, uel perfrigida, dura, ideſt ea, quæ tarde pertranſit, ideoq; pluuia potiſsimum. Quæ etiam pluuiæ aquæ uis, ex ipſius adſtringenti facultate, facile nobis perſuaderi poteſt; maxime quippe proficit, adſtringens facultas, atque putredini ſummopere reſiſtit, ubi hæc, in ſubſtantia tenuium partium, continetur; contrahit nanque, conſtringit, denſat, repellit; &c. auctore Galeno lib. 6. de Compoſ. medicamentorũ ſecundum locos, ubi de ſtomatico medica

mento

mento ex nucibus egit. Malum uero odorem, nequaquã ipſam habere, ex his planum fit, quæ ab eodẽ Hipp. in libello ſuo de bonitate aquæ, ſcripta ſunt in hæc uerba, Aquas pluuias ſcio, leuiſsimas eſſe, ſubtiles, puras, bonas, ac dul ces guſtui. Quod etiam in libro de Aëre, aquis, & locis ab ipſo repetitum eſt, atque rationem reddens, inquit, quia Sol tenuiſsima, ac leuiſsima ſurſum rapit, ac trahit; quibus quali tatibus ſibi attributis, tetrus ab ipſa odor omnino tollitur. Auicena præterea ſecunda 1. doctrina 2. cap. 16. ubi de diſpoſitionibus aquarum uerba habet, conſtantiſsime aſſeruit, aquas ipſas pluuias, ex laudabilibus aquis eſſe; atque illas præcipue, quæ in æſtate ueniunt, & ex nu bibus, cum quibus accidunt tonitrua. Quare pluuiæ aquæ non omnes ita damnandæ ſunt, neque adeo facile putreſcunt, maloue ſunt infectæ odore, quemadmodum libro de Aëre, aquis, & locis innuere uiſus eſt Hippocrates.

AQVAE *pluuiæ ociſſime putreſcere poſſe credantur, non modo quia ex plurimis congregatæ ſunt, atque permixtæ, quemadmodum Hippocrates habet in libro de Aëre, aquis, & locis. Sol etiam ex omnibus humidis (inquit) indiſcretos undique rapiens humores, ſurſum eos trahit; inæqualitas autem omnis, facile mouetur, atque ad corruptionem tendit; uerum etiam, quoniam forſitan, tenuium partium cum ſint, prauas qualitates externas facile ſuſcipere ualent; te*

nuis

tenuis nanque quauis ſubſtantia, facilius quàm craſſa alterationem recipit Galeni teſtimonio libro 1. de diſfer. febr. cap. 2. Verum, quoniam aliquando improbas has deſcribunt doctores, quandoque vero & ſummis eas extollunt laudibus; idcirco contradictionem hanc de medio tollentes, dicendum eſt, non quaſcunque pluuias aquas citiſſime putreſcere, prauumq́ odorem habere; ſed illas tantum, quæ per diuerſa putrida, immundaq́ loca defluunt; nec non & illas, quæ exitu carent, locumq́ in unum redactæ ſunt, quas & putreſcere, atque ex putredine dehinc, odorem prauum contrahere pro comperto habemus; ipſasq́ has iure Galenus improbauit lib. 4. de Tuenda ualetudine, neque apomeli ex huiuſcemodi confectum laudauit, quare & ipſas decoqui, atque percolari ſuaſit. Quod etiam ipſemet Hippocrates præcepit in libro de Aëre, aquis, & locis, declarans, quæ ratione aquæ pluuiæ bonæ ſint, & inquiens, verum opus habent vt decoquantur, atque excolentur, ſin minus, odorem prauum habent, & raucedines, ac vocis grauitatem, bibentibus, inde accedere par eſt. Quæ itaq́ per putrida nõ transfluunt loca, ſed in ciſterna aliqua percolantur, depuranturq́ pluuiæ aquæ, hæ utiq́ ſunt optimis illis conditionibus prædita, quas ipſis Hippocrates in libro de Aëre, aquis, & locis attribuit, his verbis. Aquæ igitur pluuiales leuiſſimæ, & dulciſſimæ, & tenuiſſimæ, ac ſplendidiſſimæ ſunt. Quod etiam repetitum eſt in libro de bonitate aquæ, leuiſſimas ipſas eſſe ſcribens, ſubtiles, puras, bonas,

dulcesq́

dulceſq́; guſtui; atque has quoque ipſas in componendo diacodione, alijs præferendas duxit Galenus libro 7. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos; quas etiam conficiendo apomeliti, idoneas eſſe arbitratus eſt libro 3. de Alimentorum facultatibus, cap. penultimo, ubi de uino egit, ipſas colore albas, conſiſtentia vero tenues oportere eſſe affirmans. Diuerſæ itaque cùm pluuiæ aquæ ſint; quædam etenim ſunt, quæ per immunda loca defluunt; quædam vero, quæ in ciſterna aliqua iam defluxæ, purgatæ, & depuratæ ſeruantur; diuerſas idcirco non immeritò ſortitæ ſunt qualitates; quæ nanque purgatæ ſunt, non adeo facile putreſcunt, quùm alioqui impurgatæ, per immundaq́; loca defluentes, velociſſime putreſcere ualeant. Nemo tamen propterea ſit, inquit Pau. Ægineta, qui citius putreſcibilem aquam, deterrimam eſſe abſolute iudicet; alterationis quippe procliuitas, virtuti magis quā vitio adſcribenda eſt; quapropter, quæ inculpata aqua inditijs prædita, facile putreſcit, ſaluberrima cenſenda eſt. Amplius animaduertendum eſt duplices poni à Galeno pluuias aquas libro 6. de Mor. vulgaribus Com. 4. com. 19. procelloſam alteram, nimboſamq́;, quam ibi ex Hippocrate condemnat; æthereæm alteram, atque cum tonitru effuſam, quam non improbat, atque oculorum medicamentis componendis adhibet; mulſamq́; pariter ex ea conficiendā probat. Dum itaque pluuiā aquam improbat, ac ſpernit, de procelloſa intellexiſſe dicatur; de tonitruali vero, dum eam collaudat.

AQVAE

IIII.

AQVAM ſalſam uentrem nō deijcere, quin potius alui egeſtioni maxime aduerſari contendit in libro de Aëre, aquis, & locis, in hunc modum ſcribens. At enim mentiuntur homines de ſalſis aquis, propter imperitiam, in eo, quod per aluum ſecedere, eamq; ſoluere putantur, maxime enim contrariæ ſunt ad alui egeſtionem, ac ſeceſſum; ſunt enim crudæ, & coqui non poſſunt, quare uenter ab ipſis magis adſtringitur, quàm eliquatur. Opinioni huic nequaquam fauet communis omnium ſententia, & uulgare experimentum; ſal etenim uel per os ſumptum, uel etiam per inferna iniectum, membra ad excernendum irritat, quapropter, & ſalſam aquam idem præſtare credendum eſt, detergendo, mordicādoq;, atque uim ipſam expultricem irritando. Aëtius quoque Serm. 9. capite 45. ubi de diſentericorum curatione egit, aquam putealem ſubſalſam eſſe ſcripſit, uentremq; perturbare. Ventrem autem perturbare poſſe, non quia putealis, ſed quia ſubſalſa credendum eſt.

S A L, *licet facultatibus præcipue polleat, detergente, atque adſtringente, quemadmodum ab Aëtio ſcriptum eſt Serm. 14. capite 25. atque etiam ab ipſo Galeno libro 3. de Alimentorum facultatibus, cap. penultimo de cibis ſale conditis; quod etiam corroborauit, libro nono de Simplicium medicamentorum*

rum

rum facultatibus, ubi ex profeſſo de ſale egit; non eſt mirum, ſi uel deterſione, mordicationeq́; irritando, vel etiam ſua adſtringenti ui comprimendo, expellendoq́; uentris deiectiones mouere valeat. Verum quoniam & præter has facultates, deſiccat quoque ualide, quemadmodum ab eodem Gal. habemus lib.5.de Simpl.med.facul.cap.9.idcirco cùm ſicca reddat,atque dura corpora, ſiſtere etiã aluum non immerito poteſt, quemadmodũ hoc loco ſentire uidetur Hippocrates. Et quoniã ſalis ſalſæq́; aqua, par debet eſſe ratio; idcirco ſalſã aquã, haud ſecus ac ſal, ratione qua exſiccat, aluum non modo non deijcere, quin potius ad alui egeſtionem maxime aduerſam eſſe, cum Hippocrate tenendum eſt. Qua tamen ratione, & uentrem aliquando mouere, perturbareq́; poſſit, quemadmodum communis habet opinio, ſcriptumq́; eſt ab Aëtio; dicamus, quod ratione maioris ſuæ, minorisue ſalſedinis, aluum quandoque mouere, quandoque et ſiſtere valet; ſalſa nanque quæ plurimum eſt aqua, ventrem conſtipat vtique, atque indurat, quoniam exſiccat valide; quæ vero modice ſalſa exiſtit, qùum ualida exſiccanti ui minime polleat, expultricem uim irritando, mordicandoue, vel etiam detergendo, uel adſtringendo, ad alui deiectionem non parum facere poteſt, proterea Aëtius, non ſalſam putealem aquã, ſed ſubſalſam, uentrem perturbare faſſus eſt, modice ſalſam intelligens, quoniam, quæ eiuſmodi non eſt, qùum maiori exſiccandi ui polleat, aluum ſiccam reddere, atque compeſcere iure debet.

BILIM

V.

BILIM, ſanguine ipſo, aliquanto frigidiorem eſſe aſſeruit lib. 1. de Morbis ad calcẽ, his uerbis. Eſt enim pituita frigidiſsima ex natura, calidiſsimus autem ſanguis, frigidior eſt etiã aliquanto bilis, ſanguine. Contraria prorſus eſt de ipſa, à nobis habenda ſententia, quùm Galenus non modo in libro de inæquali intemperie, uerum etiam libro 2. de Temperamentis, ubi ex propoſito, partium omnium corporis humani temperaturas pertractat; ætate florentes, pueris, calidiores eſſe probans, calidiſsimam omnino ipſam, atque ſanguine calidiorem ſtatuat. quod etiam inferius teſtatus eſt, ubi de humorum temperamento agens in hunc modum inquit; Succorum optimus, & maxime proprius, atque domeſticus, ſanguis eſt; huius ueluti ſedimentum, ac fex, atra bilis exiſtit; quæ idcirco tum frigidior, tum craſsior eſt ſanguine, ſicuti flaua bilis longe calidior. Idemque repetitum ab eodem fuit libro 1. ad Glauconem, capite de febris tertianæ curatione in capitis initio, ubi ſic ait. At flauæ bilis humor, inter omnes, qui in corpore ſunt aridior, calidiorq; exiſtit. Quod etiam lib. 5. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite 21. his uerbis expreſsit. Si quidem ſanguis, caloris eſt particeps, animali mediocris; pluſquam uero mediocris, bilis, ſicuti pituita frigiditatis;

giditatis; quod etiam alibi frequentiſsime affirmauit; neque immeritò, talis nobis conſtituenda eſt bilis, quùm ex ſanguinis ſupercalefactione, atque inflammatione procreetur Galeno auctore libro 2. de Potentijs naturalibus circa libri medium; ſanguinem ex mediocri calore, alios uero ſuccos ex eodem immodico fieri ſcribentis.

Calidum, *ac frigidum, cùm multipliciter dicantur, tantam apud antiquos recepere ambiguitatem; vt nonnulli fuerint, qui bilim, ac ſanguinem inter frigida enumerare, ueriti non ſint, quemadmodum teſtatur Ariſtot. lib. 2. de Partibus animalium capite 2. Hippocratem forſitan redarguens, qui, hoc ipſo loco, bilim, ſanguine, qui temperatus eſt, frigidiorem ſtatuerit. Eodem modo & ſanguinem, non eſſe natura calidum licet multis uideatur calidus, ſcriptum reliquerit, in libello de corde. Qua autem ratione ab Hippocrate libro 1. de Morbis ſancitum ſit, bilim, ſanguine aliquanto frigidiorem eſſe, & quo pacto paradoxon hoc, quod etiam Galeni dictis aduerſari uidetur, veritatem ſortiri poſſit, ita dicendum eſt; incongruum non eſſe, doctores, bilim ipſam, modo frigidiorem ſanguine, modo calidiorem ipſo conſtituere; quando & calidum, & frigidum, quemadmodum dictum eſt, multis accipiantur modis; atque idemmet, diuerſis tamen rationibus, modo calidum, modo frigidum eſſe queat. Quippe ſi caloris innati copia, unumquodque in corpore noſtro calidum*

lidum dici debet; frigidum vero, quod eo deſtitutum eſt, quùm ſanguis, innati, inſitiq́; caloris, minerã ſit, non abſque ratione, bilis, huiuſcemodi calore deſtituta, frigidior ſanguine cenſeri debebit. Ex aduerſo vero, ſi bilis calidiſſimos effectus contemplati fuerimus, vt quæ ardentiſſimas febres, atque acutos ſemper pariat morbos Galeni teſtimonio 7. Aphoriſmorum ſect. com. 32. Si generationem ipſius; ex ſanguine nanque plus calefacto, atque vt ita dixerim exuſto ortum nanciſcitur; ſingulaq́; huiuſcemodi, quemadmodum etiam calx, & cinis, & ſedimenta animalium, & inter excrementa fel, quoniam feruore nimio exaruere, relictum ſibi continent aliquid caliditatis Ariſtotelis teſtimonio libro 2. de Partib. animalium, capite 2. in calce. atque ſi eius præcipites, furioſosq́; motus; ſi ætates, & anni tempora, in quibus viget, non profectò ſanguine frigidiorem, quin longe calidiorem procùldubio fatebimur. Quocirca bilis ipſa, & ſanguine calidior, ipſo uero & longe frigidior dici poteſt. Frigidior itaque cum Hippocrate nobis pariter cenſenda erit, dum ipſam naturali calido deſtitutam; calidior vero cum Galeno, dum acri refertam, adſcititio, aduſtoq́; calore, conſideraueerimus. Eodem modo, dum hoc loco, calidiſſimum ſanguinem eſſe aſſeruit; per ſanguinem, uniuerſam ſuccorum congeriem, calidiſſima bile, plurimiſq́; ſpiritibus, ac natiuo calore refertam intellexiſſe credẽdum eſt, quùm alioqui temperatus is exiſtat, quemadmodum in ſequentibus apertiſſime demõſtrabitur.

VI.

BRASSICAM, acrimoniam quandam in ſe habere ad ſeceſſum, & ſimul boni eſſe ſucci ſcripſit in libro de Affectionibus ad calcem. Cuius oppoſitum tenendum eſſe uidetur, ipſamque nullo pacto boni eſſe ſucci credendum eſt, ab omnibus quippe doctoribus, atque à Galeno præcipue ſcriptum eſt, ipſam, inter omnia olera, paucum præſtare nutrimentum, idque minime probum, ſed graueolens capite de braſsica libro 2. de Alimentorum facultatibus, atque adeo prauam eſſe arbitratus eſt, ut in hortis, uicinum etiam inficiat aërem Com. 1. in 3. librum de Morbis uulgaribus com. 14. ſuper uerbis Hippocratis. Qui in Dealcis decumbebat horto &c. Amplius & lib. 1. de differ. febrium cap. 4. ubi de his cibis egit, qui natura ſua mali ſunt, braſsicam malum natura cibum eſſe affirmauit, his uerbis; Voco autem prauos cibos, quibus hoc ipſum eſt à natura inſitum, ſicuti allia, cæpæ, naſturtia, porros, braſsicas, ocyma, & urticas, & quæcunq; alia agreſtia dicuntur, ueluti quæ apud nos lampſanæ uocantur.

BRASSICAM, *acrimoniam quandam in ſe habere ad ſeceſſum, cum Hippocrate, ſentit etiam Galenus 2. Aphoriſmorum ſect. com. 18. dum braſſicæ, atque leguminum mordaces humores auferri debere ſcripſit, ab una aqua dum elixantur ad aliam transſe-*

tranſferentes; ipſarumq́; acrimoniam, uentrem deijcere omnibus ſatis perſpicuum eſt, aſſerente ipſomet Hippocrate lib. 2. de Diæta ipſam calefacere, aluum mouere, ac billioſa ducere, acrimoniam itaque dubio procul ipſas habere, dicendum eſt, atque propterea & aluum mouere. Boni vero ſucci, dum ipſas eſſe ſcripſit Hippocrates, paradoxon eſt, neque eiuſdem cum ipſo ſententiæ Galenus eſſe uoluit, quùm libro 2. de Alimentorum facultatibus, ſolam olerum, modicum præſtare alimentum, idq́; minime probum, ſed graueolens faſſus ſit; malum quoque natura cibum eſſe affirmans libro 1. de differ. febrium capite 4. atque ſolam olerum, melancholicum ſanguinem generare contendat libro 3. de locis affectis, capite ſexto. Quinimmo & lib. 2. Prognoſticorum com. 139. porraceam bilem gignere uoluerit. Quibus liquido conſtat, ipſas, boni ſucci eſſe, nequaquam poſſe. Verum, quò diuini Hippocratis tueamur dicta, ita paradoxo huic reſpondere poſſumus, dicentes, braſſicas, licet boni ſimpliciter ſucci non ſint, optima tamen ſi coctura parentur, boni fortaſſe ſucci euadere poſſe; duplici nanque cùm conſtent ſubſtantia, craſſiori altera, terreſtriq́; altera vero tenuiori, acriq́;, quæ in earum ſuperficie continetur, in qua & graueolentiã illam, viruſq́;, ſortitæ ſunt, quibus, poſſunt in hortis etiam vicinum inficere aërem. Hæc inquam uiroſa ipſarum pars, ſi dum coquuntur, cum prima abijciatur aqua, boni forſitan ſucci, ijs eſſe poterunt, qui denuo, & magis coctas in ſecunda aqua ipſas comederint,

derint, cum iam nocuum depoſuerint virus. Vel etiam boni eſſe ſucci, dicere ipſas poſſumus, hoc eſt dulcis, quemadmodum dulcem ipſarum ſuccum appellauit Ariſt. 3. Problematum ſect. problemate 17. quærens cur braſſica, ſedet crapulam, atque reſpondidit. An quod ſuccum dulcem, diſcutientemq́; obtinet.

VII.

CALIDVM omne, frigido moderato nutriri opinatus eſt, in libro de Natura fœtus, circa libri initia, in hunc modum ſcribens. Manifeſta ſi quidem eſt ratiocinatio de ſpiritu; quod calidus exiſtens in ligno, attrahit alterum frigidum, à quo nutritur, & à ſe ipſo dimittit; nam ſi non alterum, pro eo, quem à ſe dimittit, attraheret, non uolutaretur ſpiritus foras prodiens; omne enim calidum, frigido moderato nutritur. Quod etiam repetitum ab ipſo eſt in libro de carnibus, accenſæ in lucerna flammæ exemplo, à uento modo magis, modo minus motæ, calidi alimentum, frigidum eſſe inquiens. Amplius & libro de Veteri medicina, non alia ratione probat, caliditatem, atque fri ditatem, facultatum omnium in noſtro corpore exiſtentium, minime potentes eſſe, niſi quia, quo tempore ipſa inter ſe permixta ſimul fuerint, non lædunt; temperamentum etenim (inquit) & moderatio contingit frigido à calido, & uiciſsim calido à frigido; ubi uero ſeorſim utrunque ſecretum fuerit, tunc affligit. Atque hæc

hæc eadem uidetur eſſe ſententia Ariſt.8.Phyſ. circa initia ſtatim ſeptimi capitis, ubi ita habet. Fieri nanque non poteſt, ut accretio ſit, niſi alteratio antecedat; etenim id, quod incremẽta ſuſcipit, tum ſimili, tũ diſsimili creſcit, cõtrariũ nanque, contrarij nutrimentũ dicitur eſſe. Quod etiã habuit lib. 2. de Anima cap. 4. tex. 43.& 44. in hæc uerba ſcribens: dicamus igitur, quod exiſtimatur quod nutrimẽtum eſt cõtrariũ contrario, & nõ omne cõtrarium, omni cõtrario, ſed contraria, quæ non tantum fiunt ab inuicem, ſed etiã augẽtur; plura enim fiũt ab inuicẽ, ſed non omnia augentur. uerbi gratia ſanum ab infirmo; & inuenimus etiam, quod nõ eodẽ modo ſunt nutrimentum ad inuicem, ſed aqua eſt nutrimentum igni; ignis autem non eſt nutrimentum aquæ; in corporibus autem ſimplicibus, hæc duo proprie exiſtimantur, quod alterum eſt nutrimentum, & alterum nutribile &c. inferiori uero textu ita habet. Sed in hoc eſt locus dubitationis, quidam enim dicũt, quod ſimile nutritur per ſimile, & ſimiliter etiam augmentatur, & quidam è conuerſo ſcilicet, quod contrarium nutritur per ſuum contrarium, ſimile enim non patitur à ſuo ſimili, & nutrimentum tranſmutatur, & digeritur, & tranſmutatio in quolibet eſt ad diſpoſitionem oppoſitum, aut ad medium. Cuius oppoſitum dicendum uidetur; frigidum nanque, quum ca-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lido ſit contrarium, atque ſimilia ſimilibus con ſeruentur; contraria uero ſe inuicem corrumpant, ac deſtruant; hac ratione, nullò pacto, calidum à frigido enutriri poterit. Ipſe præterea Hippocrates lib. 6. de Morbis uulgaribus Com. 5. textu 8. frigidum ſcripſit & auxiliari, & tollere, quæcunq; à calido ſunt; quem locum Galenus explicans in commento, dixit, Hippocratem, id, ſibi ipſi ad reminiſcentiam ſcripſiſſe, etenim (inquit) frigidum, frigidis opitulatur affectibus, calidos autem morbos tollit; nam ab uno, tanquam exemplo, ad omnia contraria, traducere ſermonem oportet. Cùm itaque frigidum, calido aduerſum ſit, at frigidis tantum opituletur affectibus, tollatq; quæcũq; ex calido ſunt, calidum à frigido enutriri nequaquam poterit. Propoſitio itaque ſi ita ſimpliciter intelligatur, uſquequaque uera non uidebitur.

QVOD *ualidum ſatis paradoxon apparet, facillime ſic enodari poteſt. Nemini dubium eſt, calore naturaliter habente, animal ſanum eſſe; infirmum autem, ſi ſecus contingat; Idcirco dum calidum, frigido moderato enutriri aſſeruit; caloris, atque frigoris, congruam debere eſſe inuicem mixturam innuit; aliam nanque, alia ſi ſuperet; affici animal, affectus genere, ſuperantis cauſa conformi, eſt neceſſarium, inflammationes nempe, eriſipelata, erpetes, antrhaces, igneiq́; omnes huiuſcemodi affe-*

ctus

ctus tunc fiunt, dum uis caloris ſuperat, conuulſiones è contrario; tetani, palpitationes, torpores, reſolutiones, comitiales, attoniti, frigiditatis uincentis ſunt effectus; ideo neutrum, alterum ſuperet, ſi ſanum debet eſſe animal, ſed ſimul commixta ſint congrue. Mixtio autem, ſeu mixtura hac, calidi, ſimulq́ frigidi apertiſſime à Galeno declarata eſt libro 2. de Facultatibus naturalibus, pulſationem à calido fieri aſſerente, quod frigidi particeps eſt, uerba autem eius hac ſunt. Nam calor inſitus, ceu ſemper mobilis, neque intro, neque extra ſolum fertur; ſed alterum ipſius motum, alter ſemper excipit. Verum (paulo poſt) ad ſuperiora, exterioraq́ motionem, & quaſi explicationem, quod natura calidus ſit, experitur, intro autem, deorſumq́ fertur, hoc eſt ad proprium principium uiam init, quoniam frigidi aliquatenus particeps eſt. Quod etiam uberius explicauit in libro de Palpitatione, tremore, rigore, & conuulſione; ubi quid ſit rigor exponens, calidi naturalis eſſe affectionem ſcripſit, ac repentinam, uiolentamq́, ipſius innati caloris frigefactionem; atque dehinc naturalem calorem, mixtum quid ex calido, ac frigido eſſe aſſeruit, frigidiq́ aliquid omnino in ſe habere; primaq́, caliditatis ratione, ſibimet motum prabere, eamq́ (ſi agere debet) neceſſariam ipſi eſſe; magnum autem uſum, frigiditatem ei adiungere: calor quippe ſurſum ferri natus eſt, ac ſibi ſimul alimenta deferre, niſiq́ frigus obſtaret, ſumma peteret; atque euaneſceret; hunc igitur caloris motum,

impedit frigiditas, ne longius protenſus pereat; leuitate nanque ſua, atque impetu adſuperna, corpora deſereret, detinet uero illum frigiditas, ac impedit, vehementisq́; elationis impetum moratur. Sic itaque rurſus, licet in calido uita conſiſtat, niſi adeſſet caliditati frenum, nimia fieret, nimisq́; præceps corporum conſumptio, & per conſequens uita breuis. Maniſfeſto huius rei exemplo nobis ſit inſpiratio, qua per os, & per omnem cutem animalia vtuntur, ex qua duplicem capimus utilitatem; roboratur nanque ſemper antiperiſtaſim calidum innatum refrigeratum, vt ne diſſipatum intereat, & maxime quum ex qualibet cauſa adauctum eſt, atque nutritur, & excitatur, ualidiusq́; redditur, quemadmodum ignis uentilatione accenditur. Pro cuius paradoxi declaratione, perpendenda ſunt etiam aurea Ariſtotelis uerba, hoc idem apertiſſime indicantia in calce libelli de Spiratione, quæ ſic habent. Conſtat igitur, ſi calor integer, atque inuictus ſit retinendus (hoc autem neceſſarium eſt ad vitam ſeruandam) oportere quandam, caloris in animalis origine ſiti refrigerationem dari, cuius quidem rei exemplum aptè etiam ex iјs accipi poteſt, quæ carbonibus eueniunt, quotieſcunque ingruente offocatione lumen amittunt, ſi enim furnulo eos aſſidue abtectos habeas, quamprimum extinguuntur, contra vero, ſi agitentur, & operculum crebrò tum affigatur, tum detrahatur, diu igneſcentes aſſeruantur; hoc itaque pacto calidum, frigido moderato enutriri poterit. Quare & Ariſt. ſecun-

da

da Problematum ſect. problemate 2. quærit unde eſt, quod in caldarijs exiſtente aëre frigido, homines magis ſudent, quàm exiſtente aëre calido, quod ea de cauſa euenire dicebat, quia frigiditas exterius occurſans calorem innatum roborat, qui corroboratus, corporis ſuperfluitates omnes facile exprimit; quam rem cognoſcentes fabri quoque in ſuis carbonibus accenſis, ubi ferrum ignitur, aquam aſpergunt frigidam, moderate tamen, vt calor ille moderetur, & nutriatur. Quando autem dicitur frigidum calido aduerſari, non de moderato, ſed de intenſo frigido intelligendum eſt; qua re, & accenſa lucerna, pro exemplo huius rei, rite ponitur in libello de Carnibus, cuius flamma à nimio quidem uento extinguitur, à moderato vero fouetur.

VIII.

CAPITIS ex uulnere, quiſquis moriturus eſt, in hyeme diutiori tempore uiuere, quã in æſtate ſcripſit, quiſquis aliàs ex uulnere moriturus eſt, quacunque capitis parte uulnus habeat, in libro de vulneribus capitis non longe à principio. Quod etiã fortaſſe in libro de Vlceribus innuere uoluit, dum inquit, pleriſque ulceribus, tempus calidum, commodius eſſe frigido, exceptis his, quæ in capite ſunt ac uentre, magis uero æquinoctij tempus. Hoc communi omnium ſcribentium doctrinæ, atque etiam experientiæ aduerſari uidetur; oblato nanque medicis, capitis uulnere, non

modo frigidiorem non expoſcunt aërem, quin magis æſtate etiam media, accenſas prunas ſupra caput detinent, ne calida cerebri temperies corrumpatur; cerebrum quippe, maxime calidum eſt, atque calidum adeo, ut à Galeno, calidius etiam aëre, quouis tempore credatur, quemadmodum lib. 8. de vſu partium in libri initio ſcriptum reliquit. Vbi aduerſus Ariſtotelem, cerebrum propter cordis refrigerationem factum non eſſe arguit, ac inquit, quouis enim tempore, cerebrum multo calidius aëre inuenitur, ſiue ruptum alicuius caput, manibus curemus; ſiue etiam experiendi gratia, animali cuiuis, cranium exciderimus, deinde meningibus deſciſsis tangere voluerimus. adde etiam, quod nemo eſt, qui ignoret, nos id maxime agere, ut quamcitiſsime oſſa capitis excidamus, ne cerebrum refrigeretur; quodque ſi refrigeretur; malorum id ultimum eſt, illi, cui fractum caput ſit; atqui ſi aër, cerebro calidior eſſet, haudquaquam ab eo refrigeraretur; nunc autem, etiam ſi æſtas fuerit, facile refrigeratur, indigetq; etiam tum, foueri citiſsime, tanquam non ſolum id non ſit frigidum, ſed ne citra moleſtiam quidem, frigidæ ſubſtantiæ occurſum toleret. Quibus uerbis exprompta eſt medicorum ratio, & vſus, qui in curandis capitis uulneribus, ipſo etiam æſtatis tempore igne, accenſisq; prunis uulnera fouent, atque

que pelliceis pileis cooperienda curant.

NE *huiuſce paradoxi ambiguitas, ex tempera-tura cerebri, enaſci fortaſſe quibuſdam credatur, de qua Galenus diuerſo modo loquutus eſt, quandoq; et-enim, illud, frigidum eſſe temperatura aſſeruit, vbi ipſius carnem ſeorſum, & per ſe conſiderauit, quem-admodum in libris de Temperamentis; quandoq; vero calidiſſimum ſtatuit, uti libro 8. de vſu partiũ, dum illud, venis, atque arterijs tenuis meningos; ita vndique obuolutum perpendet, vt nulla eius in-ueniri particula poſſit, qua illis careat; à quibus tan tum nanciſcitur calorem, vt aëre æſtatis etiam tem pore calidius ſit. Dicamus Hippocratem in propo ſito paradoxo, non hanc, uel illam cerebri temperiem conſideraſſe, ſed anni tantum conſtitutionem, in qua, putredo, ocius, vel ſerius, in ipſo vulnerato cerebro prouenire queat. Qua re, ne mente concipiamus, diuinum Hippocratem, paradoxa nobis tradidiſſe, incœptum vt perficiam munus, pro uiribus parado-xa diluens, ita ipſius verba interpretanda, atque explicanda eſſe cenſeo, vt diutiori fortaſſe tempore, viuere dicat hyeme, qui capite vulnerati ſunt, quam æſtate, duplici ratione; vel quia minor ſit hyberno tempore corporum reſolutio; vel quia ocius æſtate, quàm hyeme, cerebri, meningarumq; confractarum, atque ſanguinis ibi collecti corruptio adueniat. Qua re doctores ſinguli, de curatione vulnerum, fractura rumq; capitis agentes, oſſis perforationem, longe ci-tius æſtate, quàm hyeme, moliendam eſſe ſuadent,*

albucaſis

Albucaſis nanque inquit, in diebus hyemis oportet vt ſtudeas in ablatione oſſis ante diem decimum quartum, ſecundum omnem diſpoſitionem; & ſi eſt in diebus æſtatis, vt properes remouere os, ante diem ſeptimum, priusquam corrumpatur, quod eſt ſub oſſe, & panniculo. Cui & Haliabas ad verbum ſubſcripſit. Auicenna quoque vigeſima 4. tract. 3. capite 1. oſſis perforationem in æſtate, vltra ſeptem dies tardari non debere aſſerebat, in hyeme vltra decem; & quo velocius factum fuiſſet, eò melius eſſe affirmabat; cuius verba hoc loco apponere non erit abs re, quæ ita habent. Quapropter vt non effundatur pus ad interiora, oportet, vt extrahatur, ſi fuerit plaga capitis completa; aut incidatur, ſi non fuerit completa; & non fiat occupatio in reſtauratione eius; & oportet, vt non tardetur illud in æſtate vltra ſeptem dies, & in hyeme vltra decem dies, & quanto velocius fuerit, tanto erit melius, & longinquius ab hoc, vt accidant nocumenta magna. Atque non Arabes modo, verum etiam Hippocrates, libro de Capitis vulneribus oſſis perforationem, non modo vltra dies ſeptem, ſed ne vltra triduum quoque tardari debere teſtatus eſt, his verbis. Poſtquam autem os ſcalpro raſeris, ſi quidem ad perforationem tendere, oſſis ſauciatio videatur, perforare oportet, & citra perforationem, triduum non excedere; ſed in hoc perforare, tum aliàs, tum tempore calido, ſi ab initio curationem ſuſceperis.

IX.

CAPITIS in vulneribus, ſi febris ſuperueniat, & tumor, atque inflammatio circa faciem, non ſemper perforandum eſſe os; ſed purgantis medicamenti vſum, ſatis eſſe poſſe ſcripſit in libro de capitis vulneribus. Hoc eſt paradoxon, & contrarium communi chirurgorum praxi, qui, ubi indicia hæc, capitis in uulneribus inſpiciunt, membranarũ inflammationem, ſanguinisq; collectionem formidantes ad oſsis capitis perforationem rupta omni mora deueniunt.

VERVM *eſt profectò Hippocratis dogma; licet nanque in capitis vulneribus, & febris ſuperueniat quandoque, & tumor, & circa faciem inflammatio, non protinus tamen vulnus, ad internas capitis partes penetraſſe affirmandum eſt, vt & inflammatas meninges, collectumq; ſanguinem ſuſpicemur, atque ad cranei perforationem, neceſſariò confugere debeamus; quandoquidem hæc ipſa ſymptomata, ex procatarctica quoque, atque externa aliqua cauſa, in vulnere, & ſatis leui, circa caput, aliquando enaſci poſſunt: ab ambiente etenim nos aëre, à male curante medico, atque ab huiuſcemodi alijs externis occaſionibus, eriſipelas plerunque aduenit, à quo & febris, & tumor, & circa faciem inflammatio ſuboriri ſolent, quæ non propterea excidendum neceſſariò, perforandumq; eſſe capitis os ſuadent; ſed ad omne opus rite abſoluendum; ſola purgantis*

pharmaci

pharmaci uis, ſatis eſſe, nobis quandoque poterit.

X.

CARNES contuſas, ac conciſas, neceſſariò pus fieri, atque conſumi ſcripſit in libro de uulneribus capitis. Quod etiam in initio libri de Vlceribus ab eodem his uerbis repetitũ eſt. Quod ſi qua caro ex telo contuſa,& diſecta eſt, eam curare oportet, quo, quamcelerrime ſuppuretur, nam & minus inflammatur, & neceſſe eſt carnes contuſas, ac diſectas putreſcere, ac pus fieri, & eliquari, atque conſumi, & poſtea nouas carnes naſci. Cuius oppoſitum nos docet Chirurgorum experientia uulnera quædam curantium per uiam primæ intentionis, quæ agglutinatione perficitur. Non omnes itaque conciſas carnes putrefacere licet.

CARNES *contuſas, atque conciſas, pus fieri veriſſimum eſt, quæ tamen contuſæ admodum, atque conciſæ ſint; quoniam, quæ non ſunt adeo contuſæ, maleue affectæ, poſſunt etiam abſque earum putrefactione ſanari; contuſiones quidem, medicamentis diuerſis quæ ad contuſa valeat; inciſiones vero, prima ipſorum vulnerum intentione, quæ agglutinatione (vti alias dictum eſt) perficitur, quemadmodum etiam teſtatus eſt Galenus in libro Artis medicinalis, vbi de curatione ſolutionis continuitatis in parte carnoſa egit, in hac verba ſcribens. Continuitatis autem ſolutionis curatio intentionem quidem habet vnionem, quæ in partibus quidem inſtrumentarijs*

tarijs impoſſibilis eſt, in ſimilaribus vero non ſemper poſſibilis, at quandoque, ſicuti in carnoſis, ſanitas, conglutinatione perficitur, nihil vero differt, neque ſi coalitum appellaueris. Qua autem ratione, ipſa contuſa caro ſuppuretur, docuit Hippocrates libro 1. *de Morbis his verbis, Si vero caro conuulſa fuerit, aut contuſa, ſanguinem ex venis, ſibi ipſi propinquis trahit, atque hic putreſcit, ac ſuppuratur.*

XI.

CAEPE viſui commodum eſſe ſcripſit lib. 2. de Diæta, inquiens. Cæpe uiſui commodum eſt, corpori uero malum, quia calidum, & æſtuoſum eſt, ac aluo ſecedit. Neſcio qua ratione cæpe, uiſui conferre poſsit, quùm cibus natura malus ſit, quemadmodum habemus à Galeno libro 1. de Differ. febrium capite 4. quo in loco declarans, qui nam cibi natura mali ſint inter ipſos cæpe recenſet. Libro præterea de Cibis boni, & mali ſucci, ubi de oleraceis agit; de olerum radicibus, acrimoniam in ſe habentium loquutus, cæpe, porros, & huiuſcemodi, malum ſuccum generare aſſeruit. Amplius lib. 2. de Alimentorum facultatibus capite de beta; cæpe, inter cibos connumerare minime dignatur, ſed inter obſonia tantum, quæ ciborum condimenta ſunt, haud ſecus ac porrum, pulegium, thymum, origanum, allium, & cardamum, atque acria omnia. Quod etiam paulo inferius capite de apio,

æquapio,

æquapio, ſio, & ſmirnio affirmauit his uerbis; Sed omnia huiuſcemodi ſtatuet quis, ciborum eſſe obſonia, quemadmodum & cæpe, allia, porra, & ampeloprаſſa, & ut in ſumma dicam, omnia acria; huius autem generis eſt & ruta, iſopus, origanum, feniculum, coriandrum &c. Quod ſi ea facultate prædita ſunt cæpe, ut acrimoniam habeant, prauosq; ſuccos generent; quando praui etiam ab his, acresq; uapores procreari, atque ad caput oculosq; deferri neceſſe ſit, quonam pacto oculis congrua eſſe poterunt? De quibus ita quoque Dioſcorides capite proprio retulit; Capitis dolores facit (inquit) copioſus cæparum cibus; pauloque inferius ſubdidit, Faciunt in ualetudine, maiori copia in cibo ſumpta, ſomni inexpugnabilem neceſsitatem, quam læthargum dicunt. Quibus uerbis innuit, cæpe, ita capiti eſſe noxia, ut illud uaporibus repleant ſomnumque inducant inexpugnabilem. Qua re, quùm tã graui humore, atque uapore cerebrum, caputq; lædant cæpe, oculis ipſis nequaquam cõmoda eſſe poterunt. Amplius, quùm in corpore noſtro, diſpar fortaſſe non ſit ipſius cæpe, atque allij actio; allium autem auctore Hippocrate libro de Diæta, oculis incommodum ſit, uiſumque hebetet, eodem pariter modo cæpe viſui non admodum conferre poterit.

Caepe, *viſui profectò conferre credendum eſt,*

quemad-

quemadmodum in libro de Diata ſcriptum reliquit Hippocrates; verum conſultius fortaſſe erit, ſi ipſum occularibus remedijs admoueatur exterius, quàm ſi interius per os aſſumptum fuerit; comeſtum etenim cæpe, malum generare ſuccum à Galeno perhibetur, in libello de Cibis boni, & mali ſucci; à quo prauó ſucco, laudabiles attolli uapores minime poſſunt, quin potius improbi, acresq́; oculos ipſos, viſumq́; lædentes; atque cum non admodum diſpar fortaſſe ſit cæpe, atque ipſius allij actio; acres quippe uapores, non diſſimili valde qualitate vtrũque generat, ipſum nanque cæpe, humore, & vapore calido eſt tenui, & lento; allium vero, calidum quidem eſt, & acre, ac humoris aliquid continens, ſed lentum non eſt; atque Hippocrates eodem loco, nec non ſecundo libro de Diata, allium, oculis incommodum eſſe fateatur, uiſum hebetare affirmans; idem, atque magis adhuc de cæpe credendum nobis eſt; cùm præter calidos, acres, tenuesq́; uapores, lentorem quoque habeat, quo diutius oculis adhæreſcens, ipſos adhuc magis torquere, ac lædere poſſit; Quare, & Ariſtoteles 20. Problematum ſect. problemate 22. dum quærit, cur ipſum cæpe, tam acriter mordere oculos poſſit, nec aliud ex cæteris (quamquam acre) quidpiam eiuſmodi facere valeat, ueluti origanus, naſturtium, & huiuſmodi, vnde nomen à græcis κρόμμυον impoſitum putant (inquit) quaſi pupillam comprimi cogat παρὰ τὸ κόρας μύειν τῶν ἐσθιόντων. oſtenditq́; & comeſtum, & etiam exterius applicitum,

C *noxium*

noxium oculis eſſe, lacrymasq́ mouere; atque ratio nem reddens, inquit, Quia acrium genus diſcrimine euariat numeroſo, quo ſua cuiq́ vis conſiſtit; origanus nanque, cæteraq́ idgenus, calida ſunt leniter, & ſicca; quod autem lacrymas mouet, mordax id eſſe debet, humidum, & lentum; cæpe vero, vim eiuſmodi ſanè habet, vt quod & humore, & vapore ſit calido, tenui, & lento; itaque oculis admotum, eo quod vapor eiuſmodi eſt, humorq́ tenuis cōmeat, lacrymas mouet, quùmq́ editur, itidem tranſmiſſa reſpiratione facere poteſt. Mordere quoque oculos cæpe retulit ſect. 31. problemate 22. quærens cur fumus oculos potius infeſtet, ac inquit. An quia infirmiſſimi ſunt; infirmiſſima nanque omnia, quæ corpori interſerta ſunt, occuluntur; indicium autem eſt, quod acetum, & quodque acre, carnem non exteriorem, ſed interiorem demordet; an quia laxiores, refertiq́ meatibus ſunt; conſpectus etenim per quoſdam meatus protruduntur, & excidunt; itaque quod his mordaciſſimum eſt, cæteris corporis partibus obuium, ſubire denſiora non poteſt, ſed perreptat, & decidit æquo modo, & cæpe, & quæcunque alia oculos mordent. Qua re dicendum profectò eſſet, neque per os aſſumpta cæpe, neque etiam exterius ocularibus collirijs indita ſi fuerit, multo nobis commodo eſſe poſſe. Verum, quo diuini Hippocratis mē tem tueamur; atque eius dicta à ueritate aliena non eſſe fateamur, dicamus oportet, ipſa, & interius, & exterius, viſui conferre aliquid poſſe; exterius quidem,

dem, quoniam craſſos detergendo, atque attenuando vapores, qui oculorum impediunt aciem, non mediocriter profectò viſui proſunt; atque propterea ad oculorum claritatem, caparum ſuccum cum melle inungi, albuginibusq́; prodeſſe, oculorum nubeculis, atque incipientibus eorum ſuffuſionibus, teſtatus eſt etiam Dioſcorides. Cui & Galenus ſubſcripſit libro 7. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite proprio. Quod etiam ſenſit Auicenna 2. Canonis capite de Cape. Poſſunt etiam aliquando quemadmodum dictum eſt (per accidens tamen) etiam per os aſſumpta cape, oculis prodeſſe, non modo quia uaporum craſſitiem attenuent, atque detergant, uerum etiam quia lacrymas moueant, quemadmodum aſſeruit Ariſtoteles 32. Problematum ſectione, problemate 9. quærens, cur nonnulli poſt lippitudinem acutius videant, & inquit, an quia purificati oculi ſunt; fit enim ſæpe, vt exterior denſitas pupillæ, aciē arceat, quæ, lacryma emiſſa, laxatur, atque reſoluitur; quamobrem, proſunt interdum, quæ mordent, lacrymam euocant, vt cæpe; obſunt, quæ tantummodo ſiccant, vt origanum. Ab acribus itaque capæ comeſtæ vaporibus oculorum acies obtenebrata, priſtinum poteſt ſplendorem recipere; eodem modo & albuginibus incipientibusq́; ſuffuſionibus; oculorum nubeculis, cum melle ipſorum ſuccus, appoſitus, atque commodus eſſe poteſt.

XII.

CEREBRI tenuem membranam, ſeu interiorem vulneratam, non amplius coaleſcere poſſe, inquit in libro de Locis in homine, is uerbis. Membranæ cerebri duæ ſunt, altera ſuperna craſsior; tenuis altera, cerebrum attingens; non amplius eadem permanens poſtquã fuerit uulnerata. Cuius oppoſitum habemus, ipſa edocti experientia, coaleſcere nanque ipſam quandoque uidimus; atque hoc ipſum, Galenus ſenſiſſe uiſus eſt, libro 2. de Cõpoſ. medicamentorum ſecundum locos. De fiſſuris, & contuſionibus in capite factis ex Archigene pertractans, docensq́;, quibus, uulneratæ cerebri membranæ agglutinentur; atque incaſſum ſanè, ipſarum agglutinationem nos edoceret, ſi coalitum prorſus ſubterfugerent.

TENUEM *cerebri membranam uulneratam, non amplius coaleſcere dicendum eſt, talem quippe, qualis prius fuerat, quandoquidem, quæ ex ſemine ortum habuere partes, corrigere propemodum impoſſibile exiſtit. Earum tamen loco, licet aliquando quædam facere, quæ uſum haud diſſimilem præſtent, quemadmodum in libro Artis Medicinalis ſcriptum reliquit Galenus, vbi de cauſſis ſalubribus partium inſtrumentariarum loquutus eſt; quarum, natura quidem opifex, medicus autem miniſter exiſtit; quemadmodum ego ſuperioribus diebus in vico Villaltæ conſpexi in Antonio Snaider Glemonenſi, cui*

in

in cornu capitis dextro adeo amplum inflictum fuerat aſciale vulnus, vt extenſæ ferè manus quantitate ab Excellentiſſimo Hieronymo Craſſo Vtinenſi doctore chirurgo extracta caluaria vnico oſſe fuerit; meningesq; adeo erant laceræ, vt uix credi poſſet; quæ tandem corruptæ, abſque ullo capitis dolore, abſque febre, abſque vllo delirio, ablatæ paulatim fuere; earumq; uice, caro ſupercreuit, vacuum replens locum: ſub qua, conſpicuus, haud ſecus ac ſub membranis, cerebri conſpiciebatur motus, ſanusq; is eua ſit. Et licet Galenus, de fiſſuris, atque contuſionibus in capite factis, agens libro 2. de Compoſitione Medicamentorum ſecundum locos, docuerit, quibus capitis membranæ ſciſſæ agglutinentur; non propterea tamen, illas, vero coalitu, uniri poſſe contendit; ſed vel callo, vel carne, uti dixi, vel alio huiuſcemodi: quæ etiam ſi coaleſcere quandoq; viderentur, illud raro fortaſſis eſſet; & non niſi quibus duriores redditæ meninges non ſunt, ſed molliores adhuc perſtant, veluti pueris.

XIII.

CIBVM, qui ſemel in die aſſumunt, deterius concoquere aſſeruit, quàm ſi bis aſſumant, lib. 4. de Ratione uictus in morbis acutis tex. 89. his uerbis. Cibum, qui ſemel in die capiunt, hi & impotentes ſunt, & calidam urinam mingunt, præter conſuetudinem uaſa uacua habentes, fit autem & os ſalſum, & amarum, & in opere tremunt, & tempora ipſis di-

ſtenduntur, & cœnam concoquere non poſſunt, ueluti ſi pranſi eſſent. Hoc aduerſari uidetur, ei, quod ſcripſit in libello de Salubri Diæta, ubi habet, uentriculum maxime concaleſcere ex cibo, ſemel tantum in die aſſumpto. Quod ſi uentriculus, ex cibo ſemel tantum, in die aſſumpto, maxime concaleſcit, ualidiorem obtinens calorem, ualidius quoque ac lõge melius concoquere deberet. Cœna itaque melius concoquetur, cibo in prandio non aſſumpto cum calidior uentriculus redditus ſit quàm ſi aſſumptus fuiſſet. Quod etiam ratio, & ipſe ferè uſus nobis dictat; ueriſimile ńanque eſt naturalem calorem, nullo alio cibo, neque excrementoſo ſucco impeditum, ualidiori opera, ad cœnam concoquendam, motum iri debere, quàm ſi à cibo in prandio aſſumpto & defatigatus, & ſatur factus eſſet?

LICET *Hippocrates in lib. de veteri medicina ſeipſum exponere videatur, atque eadem met verba referat, quæ & lib. 4. de victus ratione in morbis acutis; verum nos etiam hoc pacto dicere poſſumus cibum, qui ſemel in die aſſumunt, deterius fortaſſe concoquere, quàm ſi bis accipiant, quoniam in diæta, diuturnioriq́ inedia, prauis uentriculus repletur ſuccis, qui concoctionem perturbant, impediuntq́, prauis autem ipſum repleri in ieiunio ſuccis, ex oris amarore, ſalſedineq́ percepta, facile unicuique perſpicuum eſſe poteſt; atque hac de cauſſa forſitan in libel*

lo

lo de Diata, ventriculum, ex cibo ſemel tantum in die aſſumpto concaleſcere ſcripſit, ſuccis huiuſcemodi repleto; & licet uentriculum concaleſcere dixerit; non propterea tamen, melius, atque validius bene diſpoſito uentriculo concoquere affirmauit; lęditur quippe atque affligitur ob longiorem inediam uentriculus, inquit idem Gal. lib. 2. de Ratione uictus in morbis acutis com. 28. Celſusq́; lib. 1. cap. 1. dum uictus rationem ſanis hominibus præſcribit, bis die, potiusquam ſemel, cibum, & hunc quidem plurimum (modo concoquant) ſumendum conſuluit; ſciens utique hac ratione, prauis uentriculum non repleri ſuccis, à membris alijs attractis; atque nutrimento bis die aſſumpto, riteq́; confecto, virium robur firmamq́; valetudinem parari; quod inculpata ſanitate utentibus, ex uſu eſſe magnopere, cenſuit. Poſſumus quoque & ſic ex Galeno reſpondere, dicentes, eos, qui aſſueti ſunt bis in die comedere, ſi ſemel tantum cibum aſſumpſerint, propter immutatam conſuetudinem non mediocriter lędi, in lib. nanque de Diſſolutione continua, non longe à principio, oſtendens quantum conſuetudo valeat, ita ſcripſit. Qui conſueuit prandere, & remouetur ab eo, & eſt contentus cœna, magnificat nocumentum ſibi. Quod apertiſſime adhuc lib. de victus ratione in morbis acutis, hiſce uerbis explicauit. Nam & his, qui bis in die cibum ſumunt, & his, qui ſemel, repentinæ mutationes, noxas, ac ęgritudines inducunt; & eos ſanè, qui prandere aſſueti non ſunt, ſi pranſi fuerint, ſtatim in-

firmos facit hoc, & toto corpore graues, & debiles, & pigros; ſi uero etiam inſuper cœnauerint, acidum ructantes, quibuſdam uero etiam alui liquida egeſtio oboritur, quùm præter cõſuetudinem uentriculus grauetur, ſolitus reſiccari, & non bis intumeſcere, neque bis cibos coquere. Atque paulo inferius concludens, in hunc modum ſcripſit. Eum igitur qui præter conſuetudinem, ſemel in die cibum accepit, ſi, ubi tota die uaſa uacua fecit, quantum conſueuit, cœnauerit; uerisſimile eſt, ſi tunc cùm impranſus eſſet, doluit; multo magis grauari; ſi vero etiam longiori tempore euacuatis uaſis, poſtea de repente cœnauerit, adhuc magis grauabitur. Atque ſic uera erũt Hippocratis dicta. Cibum ſemel in die aſſumentes, deterius concoquere, quàm ſi bis aſſumerent, tum propter immutatam conſuetudinem; tum etiam, quoniam uentriculus prauis repleatur ſuccis, qui concoctionem perturbent, impediantq́;.

XIIII.

COITV in ipſo minus delectari mulierem, uiro; & uirum, longiori etiam tempore, muliere ipſa aſſeruit in libello de Genitura. Quamuis obſcena uidebitur fortaſſe quibuſdam tractatio hæc; quùm tamen à diuino Hippocrate propoſita ſit, ne indiſcuſſa omittatur; dicamus, experientiam oppoſitum nos clariſsime docere, atque non prorſus uera eſſe, ipſius dicta oſtendere; Mulieres nempe, & magis, & longiori tempore, quàm uiri, coire appetunt, delectan-

delectanturque adeo, ut inexplebili uoracitate, coitum ſibi nunquam deficientem poſtulent, quemadmodum eodemmet loco ſcripſit Hippocrates his uerbis. Coitu in ipſo delectatur mulier per omne tempus, donec uir ſemen emiſerit. Atque idem cum Hippocrate Tireſiam uatem Thebanum, qui utrunque ſexum fingitur expertus, ſenſiſſe comperimus. Ioue enim ac Iunone contendentibus, utrius, maior in coitu uoluptas ſit maris, an fœminæ, mulierum partes tutari uiſus eſt; qua ſententia irata Iuno, illum luminibus orbauit, uti ex fabula conſtat ab Ouidio recitata lib. 3. Metamor. fabula 4.

LICET *mulier, non modo in proprio eijciendo ſemine, delectationem percipiat, verum etiam in ſeminis virilis auida ſuſceptione, atque amplexu, quemadmodum teſtatur Gal. lib.* 1. *de ſymptomatum cauſis, vbi ſic habet. Egregium vero proprium quiddam habet, generatricium particularum ſenſus, propterea quod facultatem etiam habent ualentiſſimam; in mari quidem, ſeminis expultricem, in fœmina vero, tum hanc ipſam in teſtibus, ac ſeminalibus uaſis; tum attracticem in toto vtero; coniunxit etenim natura cum ſeminis effuſione, & cum eius conceptu, ingentem cupiditatem, ſimul ac voluptatem. atque Ariſtoteles, duplicari delectationem fœminarum aſſeruit, non modo in motu ſui ſpermatis, dum videlicet virile ſemen ſuggit; verumetiam*

in

in diuerſitate motus vteri, confricatione videlicet, alijsq́; huiuſcemodi. Veruntamen cùm coitus voluptas in ſenſu tactus maxime conſiſtat; atque is ubi perfectior eſt, uoluptas & ipſa maior ſit oportet; idcirco quùm in uiro tactus ipſe perfectior longe, quàm in muliere exiſtat, quia temperatus magis; ea de cauſa Hippocratis dictum ueritatem omnino habere uidetur, mulierem ſcilicet in coitu, minorem uiro delectationem percipere. Amplius quùm uiri ſemen, muliebri calidius ſit; pruritum, ac titillationem quandam ſua caliditate inducens, maiorem vtique delectationem uirile efficiet, quàm muliebre poſſit. Atque non hiſce tantum rationibus, uerum etiam, quia præter teſticulos ipſos, quorum eſt ſemen generare, conditæ ſunt obſcenæ partes; ijsq́; inſigniores duo nerui eximij ſenſus inſerti, qui, uiris, deſinunt in glandem (uenereæ uoluptatis ſedem) dum itaque, qui concauus eſt in pene neruus, ſpiritus copia impletur, penem arrigit, uiasq́; diſtendit, per quas ſemen directe, & impetu iaculemur; ueneris autem ingens facta delectatio, ſeminis uaſa, & teſticulos irritat; hinc mirifice impulſum ſemen, turgidumq́; ſpiritus vbertate, uix poteſt ſuis uaſis contineri, ſed foras exilire cogitur ingenti uoluptate; uiris quidem, quodam quaſi ſaltu ob uiæ flexum, ac longitudinem; mulieribus uero languidius. Atque quemadmodum omnes hæ cauſæ, maiores ſunt in uiris, quàm in mulieribus; ſic illos conſtat, maiori in coitu uoluptate teneri, quàm mulieres. Quod au-

tem

tem longiori etiam quàm mulieres tempore, coitus delectationem ſentiant uiri, id eadem quoque de cauſa eſſe poteſt. Spermatica quippe membra, atque ipſi, ex quibus ſemen ducitur, meatus, longiores in uiris ſunt, anguſtiores, ac inuoluti magis; quocirca diuturniorem dubio procul percipiunt uiri, ſeminis per eos tranſeuntis, delectationem. Quare non ualet ratio hæc, mulieres inexplebili deſiderio coitum appetunt; maiore itaque quàm uiri coitus delectatione fruuntur. quin magis è contrario; quia breuiorem percipiunt delectationem, idcirco repetitis, frequentioribusq́; uicibus illum expetunt. Quanto autem, mulieribus, magis delectentur uiri, ex ueloci, atque ingenti corporis uirorum, in coitu, conſumptione, ſatis unicuique conſtare arbitror; illudq́; Hippocrates teſtatus eſt eodem libello de Genitura, his uerbis. Propterea autem, quod uir magis delectatur, ſecernitur ipſi de repente ab humido, fortiori turbatione, ac agitatione, quàm mulieri. Licet itaque mulieres, pluribus oblectentur modis, nempe dum ſemen emittunt, atque etiam dum vterus, uiri ſemen auide ſuſcipit, atque amplectitur; non propterea tamen, uiris, magis, atque longiori tempore delectari ipſas fateamur.

XV.

CORIANDRVM calidum eſſe, ac ſimul ſomnum conciliare aſſeruit, ſi poſtremum edatur in libro de Diæta, his uerbis. Coriandrum calidum eſt, & aluum ſiſtit, & ructum

acidum

acidum ſedat, & ſomnum conciliat, ſi poſtremum edatur. Cui ſententiæ non ita facile nobis aſſentiendum eſt. Somnus quippe, doctorum omnium conſenſu, à frigido conciliatur & humido; calidum autem coriandrum eſſe, & non frigidum, nõ modo ab Hippocrate in libro de Diæta, verum etiam à Galeno aduerſus Dioſcoridem ſcriptum eſt, lib. 7. de ſimpl. medic. facultatibus, atque in lib. de Attenuante uictus ratione, ubi de cibis, qui craſſos in corpore ſuccos attenuant, uerba faciens, inquit; pari modo & urtica priuſquam exſiccetur, eſculenta eſt, præterea fœniculum, ruta, coriandrum, anethum, eiuſdem cum illis ſunt ſpeciei, euidenterq; etiam calefaciunt.

De *coriãdri tẽperatura, licet diuerſa diuerſi ſcripſerint doctores; Aëtius nempe, ex contrarijs facultatibus, ipſum compoſitum eſſe aſſeruit, multum habens ſubſtantiæ amaræ, quæ tenuium partium eſt, & terrea; nec parum aqueæ humiditatis, tepida ui prædita; habet etiam parum quid adſtrictionis, inquit; Dioſcorides uero, coriandrum refrigerare affirmauit, cui & Celſus ſubſcripſit lib. 2. cap. 26. Hippocrates tamen, cuius modo ſumus interpretes, calidum coriandrum ſtatuit, quem ſequutus Galenus pluribus in locis, ac præcipue in lib. de Attenuante uictus ratione, circa libri initia, coriandrum attenuare, atque euidenter calefacere ſcripſit. Hac autem ſibi ab Hippocrate attributa temperatura, quoniã*

ſomnum

ſomnum conciliare aſſeruit, ſi poſtremum edatur; atque hoc non uideatur rationi conſonum, quando, non calidis, ſed frigorificis ſomnus paretur auxilijs; idcirco paradoxon hoc diluentes; reſpondeamus cum Galeno lib. ſexto de ſimpl. medic. facult. cap. de Vitice, nonnulla calida eſſe ſcribente, quæ caput tentant, non caliditate tamen ſua, partium'ue tenuitate; ſed uaporum copia ab ipſis prognatorum; atque hac ratione coriandrum quoque, licet calidum conſtituat, Hippocrates nõ caliditate tamen ſua, ſed uaporum copia caput replentium, ſoporem facere poſſe dicamus; quemadmodum etiam Dioſcoridem ſenſiſſe conſtat, qui tantam uaporum copiam à coriandro procreari aſſeruit, vt meritò caput infeſtare ſcripſerit, κάρον, hoc eſt ſoporem faciens; neque hoc de ſolo coriandro fateri viſus eſt Dioſcorides, quod frigidum ab ipſo perhibetur, ſed de innumeris quoque alijs calidioribus, veluti irides omnes ſunt, quibus lib. 1. cap. 1. naturam calefacientem, ac extenuantem ineſſe ſcripſit, ſomnum tamen omnes conciliare, lacrymas ciere. &c. Eodem modo & uitici, adſtringendi, calefaciendiq́; facultatem attribuit, caput tamen infeſtare, ſoporemq́; facere voluit; haud ſecus quoque & ſtyracino unguento, quod ex ſtyrace in Syria confici teſtatur efficaciſſimam calefaciendi uim ineſſe auctor eſt, dolores tamen capitis facere, & graue, ſoporiferumq́; eſſe ſcripſit. Quocirca licet calidum ab Hippocrate, atque ab alijs perhibeatur coriandrum; ſomnum tamen dicta ratione inducere; non inconuenit;

atque

atque eò magis adhuc, ſi poſtremis cum epulis edatur, quemadmodum ſcripſit Hippocrates, ipſius quippe uapores, ita facilius ad ſuperna emittuntur.

XVI.

CORPORA rariora, atque hirſutiora, labores magis ferre ſcripſit in libro de Diæta ſalubri, his uerbis. At uero rariores, hirſutioresque corporum ſpecies, ac habitus, tum carnium eſum ſuſcipiunt, tum labores magis ferunt, & bonæ habitudines ipſis fiunt diuturniores. Hoc refragari uidetur, ei, quod ſcripſit in libro de Alimento; debiliores eos, ac ſaniores inquiens, quibus cutis eſt rara, in hunc modum. Denſitas corporis ad perſpirationem, quibus minus aufertur, morbidiores, qui probè perſpirant, debiliores, & ſaniores ſunt, & à morbis facile reconualeſcunt; qui male perſpirant, priusquam ægrotent fortiores ſunt, ubi autem ægrotabunt, difficilius à morbis reconualeſcunt. Quod & rationi quoque uidetur conſonum; quibus nanque rara eſt corporis textura, his, laboribus in ipſis, ex plurima innati caloris difflatione, reſolutioneq; uires collabuntur facile, atque euaneſcunt.

CVM *labor, qui græce* πόνος *dicitur, & acceſſiones, & caſus, grauiaq; ſymptomata, & quæcunque hominem lædunt, diſcrutiantq;, indicare nobis poſſit Galeni teſtimonio lib.* 8. *Therapeutices methodi, &* 1. *Aphoriſ. ſect. com.* 11. *ubi Hippocrates inquit.*

quit. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores. & ſect. 2. com. 46. dum ſcribit, δύο πόνων ἅμα γινομένων. *hoc eſt. duobus doloribus ſimul eundem locum occupantibus. Significet etiam corporis uehementes motus, exercitationesq́;, quemadmodum ab eodem habemus lib. 6. de Morbis uulgaribus particula 5. aphor. ult. ſcribente* πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. *hoc eſt. Labores cibos praecedant. Quod etiam à Galeno repetitum eſt lib. 3. eiuſdem Com. 2. com. 5. In qua rurſus ſignificatione accepit, & aphor. 16. ſect. 2. ubi fames, laborandum non eſt, quo in loco, Galenus, laboris nomen ſic interpretatur.* πόνον δὲ νῦν ἀκούειν χρὴ τὴν σφόδραν κίνησιν, ἥνπερ καὶ γυμνάσιον ὀνομάζουσιν. *hoc eſt. Hic autem, per laborem, intelligere oportet uehementem motum, quem exercitium nominant. Si Hippocrates hoc loco, per labores, fortes, corporis exercitationes, atque fatigationes, non malas corporum affectiones, hominem lædentes, intellexiſſe crediderimus, ipſum utique, tanquam à recto aberrantem carpere poſſemus; denſiora nanque corpora, ad quæcunque obeunda exercitia, ualidiora longe ſunt, quàm laxiora, molliora q́;. Quare per labores, intelligendæ ſunt omnino, malæ corporum diſpoſitiones, quas, rariora corpora, denſis, longe facilius ferunt; quocirca, & ipſemet in libro de Alimento; ſaniores eos eſſe dixit; quibus cutis eſt rara; textura nanque rariore, corpora, ab intrinſecis laboribus, diſpoſitionibusq́; omnino læduntur minus, quandoquidem putridæ,*

putridæ, excrementitiæ, atque fuliginoſæ ſuperflui tàtes facilius in ipſis difflantur, euacuanturq́;. Quod etiam uerba ipſius eodem loco oſtendunt, quæ ſic habent. Qui probè perſpirant, debiliores, & ſaniores ſunt, & à morbis facile reconualeſcunt; qui male perſpirant, priusquam ægrotent, fortiores ſunt, ubi uero ægrotarunt, difficilius à morbis reconualeſcunt. Verum, quo facilius labores huiuſcemodi corpora ferant, internæq; affectiones diſcutiantur, non rariora tantum ſint oportet, ſed etiam hirſutiora addidit, hoc uerbo, robur, membrorumq́; internorum calorem indicans, qui fuliginoſa excrementa foris trudere, externasq́; partes, pilis ueſtire ualeat; laxa etenim, ac rara, quæ alioqui ſunt corpora, labores fortaſſe non ita facile ferunt, quùm glabra ſi ſint, molliora, atque imbecilliora eſſe credantur.

XVII.

EVACVATIONEM moliendam nobis eſſe per loca eadem, ad quæ natura uergit, & non aliò, hortatur 1. Aphoriſ. ſect. aphoriſmo 21. inquiens. Quæ ducere oportet, quo maxime natura uergit per loca conferentia eò ducere. Cuius tamen oppoſitum ab ipſomet perſuaſum nobis eſſe conſtat, dum ancipites nos reddere uidetur, qua uia, naturæ opē ferre debeamus lib. 1. de Morbis uulgaribus Com. 3. textu 24. Metonem deſcribens igne correptum, in quo, diuerſas à natura tentatas fuiſſe euacuationes refert, morbumq; bene ſolutum.

Ipſi

Ipſi nanque, die tertia (inquit) largius, & bene aluus ſoluta fuit; nec tamen in ea operatione perſtitit natura; ſed quarta (ait) bis de nare ſanguis fluxit; quinta die iterum deiectiones, quemadmodum tertia; ſequentibus diebus denuo ſanguis ex naribus demum & ſudores, ſic & bene iudicatum, (ut dixi) ſcribit Hippocrates. Quæ ergo credenda fuiſſet à nobis uia tutior? atque conuenientior, quæ'ue à nobis, tanquam magis ſalutaris amplexanda? cùm tot in uno, eodemque morbo oblatæ à natura fuerint euacuationes? Si nanque per alui deiectionem, opportuniorem eſſe uiam ſuſpicati eſſemus, dū per eas regiones vergere natura incœperit, ſuccosque cò deducere tentauerimus, quùm ſequenti die natura, ab incœpto deſiſtēs, fluentemq; aluum compeſcens, ſanguinis profluuium è naribus oſtenderit, nonne in præceps mortis diſcrimen, ægrum deduxiſſemus? Si rurſus per ſanguinis miſsionem, quùm ad uentris ſubductionem, natura reuerſa fuit, nonne utique perperam feciſſemus? Qua re ambigua nobis ſupereſt naturæ imitationeque per eadem loca ſemper, ad quæ ipſa uergit, euacuatio molienda nobis eſt.

Hippocratica *ſanctio hæc, nobis omnino obſeruanda eſt, vt euacuationem, per eaſdem regiones moliamur, per quas natura euacuat; ſi tamen natura recte, non ſymptomatice operetur. Docet*

autem nos Galenus in calce com. 21. primæ ſect. Aphoriſ. quando naturæ euacuatio à nobis imitanda ſit, & quando minime; medicum oportere inquiens, naturæ motum animaduertere, & ſi quidem idoneus fuerit, ei adminiculari; ſi uero contrarius, noxiusq́, hunc prohibere, transferre, atque auertere; quod quidem ſemper, optimi conſuluere medici, atque nos, hoc idem exequi debemus: Neque ullos ancipites reddere debet Metonis caſus, ab Hippocrate enarratus, in quo plurimæ fuere, atque per diuerſas partes à natura tẽtatæ euacuationes, quas imitari, nobis perdifficile quidem fuiſſet; dicendumq́ eſt Hippocratem in Epidemijs ea enarrare, quæ inſolenter, & raro contingere obſeruauit, quæ vero vt plurimum eueniunt, ita à nobis tractanda ſunt, vt naturam rite, non ſymptomatice operantem imitemur; per eademq́ loca, ad quæ natura vergit, euacuationem moliamur. Quod ſi plures, atque diuerſas quãdoque ſibi proponat natura euacuationes, quemadmodum in ægroto illo, quùm pro diſcrimine forſitan putreſcentium ſuccorum, varij fieri poſſint expulſionis motus, atque etiam nobis ignoti (quod tamen raro contingit) ne diuerſa à motu naturæ, noſtra operatio ſit; nulla propterea erit à nobis tentanda euacuatio; ſed prouidæ naturæ totum negocium permittendum, quemadmodum in caſu Metonis ab ipſo factum vidimus.

XVIII.

FEBREM diurnam, longiorem nocturna, atque deteriorem eſſe ſcripſit lib. 1. de Morbis uulgaribus Com. 3. textu 6. in hæc uerba. Nocturna non admodum lætalis, longa tamen eſt; diurna longior; quibuſdam autem, & ad tabem uergit. Quibus Galenus in commento ad uerbum ſubſcripſit. Neque diuerſum ab ipſis, ſentit Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 54. ita ſcribens. Diurna eſt, cuius paroxiſmus accidit in die, & eius tepor in nocte, & nocturna eſt è conuerſo, & utræque ſunt malæ; ſed diurna eſt longior, & deterior, & facit cadere mul totiens propter longitudinem ſuam, & ſuum euentum in calore diei, in ethicam; & ſi ipſa non eſſet ſæua, non accideret hora apertionis pororum, & reſolutionis uaporis; & non accidit niſi propter multitudinem materiei, & fortitudinem eius. Oppoſitum tamen huius tenendum eſſe uidetur; ſi longitudinis febrium cauſas contemplari uoluerimus, inter quas & humiditas plurima à Galeno recẽſetur 3. Aphoriſmorum ſect. com. 7. & 16. & ſuccorum copia, qualitasue; multi nanque, lenti, frigidíque ſucci, diuturniores febres pariunt: pauci uero, tenues, calidiq́; , breuiores, quemadmodum Galenus quoque teſtatus eſt 4. Aphoriſmorum ſect. com. 44. prædominantes uero, morbosq́; parientes ſucci ex motu ſuo, in di-

uerſis diei partibus cognoſcuntur; ſanguis nanque, flauaq́; bilis, ſucci calidi ambo, calidiori mouentur hora; bilem uero atram, ac pituitam, frigidos ſuccos, frigidiori pariter diei hora, moueri par eſt, quemadmodum ex initio libri de Dinamidijs conſtat, vbi de dominio humorum & motu ſuo in diuerſis diei partibus agens, ſic inquit, Sanguis dominatur ab hora noctis nona, uſque in horam diei tertiã; cholera rubra, ab hora diei tertia, uſque in horam nonam; cholera nigra, ab hora diei nona, uſque in horam noctis tertiam; phlegma dominatur ab hora noctis tertia, ad horam nonam. Febris itaque, quæ à plurima humiditate, atque à frigidiori genita eſt ſucco, ea longior eſſe debet, quæ eiuſmodi non eſt; duo autem hæc, humiditas nempe, frigidioresq́; ſucci, nocturno magis uigeat tempore, atque mouentur, quàm diurno; nocturna itaque febris, ab hiſce genita cauſis, diurna omnino diuturnior eſt credenda.

SI *rite, quæ ab Hippocrate hoc loco dicta ſunt, perpendere uolumus, comparatio fieri debet, diurnæ, ad nocturnam febrem, iiſdem, non autem diſſimilibus putreſcentibus ſuccis, quoniam ſi nocturno tempore, ſanguis, uel flaua putreſcat bilis, febrimq́; accendant; diurno uero pituita, atraue commoueatur bilis; nemini dubium, diurnam, longiorẽ nocturna ea ratione eſſe, quod à lentis hæc, frigidioribusq́; ſuccis;*

ſuccis, à calidioribus altera, facileq; mobilibus, or tum trahat. Verum ſi calidi ſucci, ſanguis uidelicet ipſe, flauaq; bilis, & noctu moueantur, atque iidem & interdiu; diurna idcirco, nocturna erit prolixior; quoniam pro ratione diuerſi caloris naturalis, motus; naturæ operationes interdiu debiliores; noctu, validiores fiunt; diurno quippè tempore, ſucci à centro ad circumferentiam; nocturno è contrario à circumferentia ad centrum, mouentur magis; ob id itaque diurna febris non ita facile, ac nocturna, peruincitur. Quod vero de tenuioribus, calidioribusq; dictum eſt ſuccis; de craſſis atque frigidioribus idem dictum putato; utrorunque etenim par eſt ratio. Si nanque craſſi, frigidiq; ſucci, & nocturnas exacerbationes pariant, atque diurnas; longiori ſuperabuntur tempore, qui interdiu, breuiori, qui noctu mouebuntur, eadem ratione. Quod autem longior febris, breuiori deterior, exitus ipſe probat, quùm longior ad tabem ſæpenumero uergat.

XIX.

FEBRE in ardenti, lac aſinæ exhibuit lib. 4. de Ratione uictus in morbis acutis tex. 8. ubi, poſteaquam dixit, quod ſi os amarum fuerit, uomere confert, & uentrem ſubducere, ſubdidit demum. Verum ſi ad hæc non aperiatur, lacte aſinæ cocto purgabis. Diuerſum tamen ab eodem habemus 5. Aphoriſmorū ſect. aphor. 64. ſcribente. Lac dare febricitantibus, malum eſſe, malum & caput dolētibus &c.

atque Galenus pariter in commento, lac, multum febricitantibus nullo pacto exhibendum eſſe aſſeruit; febris autem ardens, ualida febris eſt, & qui ea detinentur, admodum febricitare dicuntur; in huiuſcemodi itaque febre neque aſininum, neque aliud ullum lac, competere credendum eſt.

L A C, *quum duplici ratione, corporibus exhiberi poſſit, vel enim pro cibo, ac nutrimento; vel etiam quandoque pro medicamento; dicendum eſt, in libro de Ratione uictus in morbis acutis, Hippocratem, lac, in ardenti exhibuiſſe febre, non tanquam cibum, ſed veluti medicamentum, aluum ſubducens. Nempe, dum venter, aliis auxiliis aperiri non potuiſſe affirmauit, lacte aſinæ cocto purgandum precepit. In aphoriſmis autem, dum illud in febribus uetat, cibi loco, & nutrimenti, febrientibus, non propinandum ſuadet. aſſumptumq; cibi ratione lac, non plurimum, ſed modicum fore credendum eſt, cùm autem exigua eſt eius quantitas, à febrili calore, facile in nidorulentam qualitatem uertitur, atque corrumpitur, idcirco improbum ipſis eſſe perhibetur. longe vero copioſius eſſe debet, dum pro medicamento abſorbetur, quemadmodum exhibitum ab ipſo uidimus libro 7. de Morbis uulgaribus, ubi habet. Lacte aſinino cocto, & bibito ad duos dies, nouem heminarum menſura, bilioſam purgationem vehementem ſubortam eſſe, & libro de Ratione uictus in Morbis acutis, ubi in comitialibus, aut ſemiſy de-*

miſyderatis, non minus quàm duodecim heminas bibendas præbuit; ſi uero uirium robur aderat, plures quàm 16. lactisq́; maior hac quantitas, à calore febrili non ita peruincitur, vt in nidorulentam qualitatem tranſeat, atque corrumpatur; quin potius è contrario calorem ipſa euincit, ac ſuperat, atque deiectionem mouet. Hac itaque ratione, etiam in febre ipſa, atque ardenti quidem, lac commode quandoque exhiberi poteſt, quemadmodum lib. 4. de Ratione uictus exhibitum ab ipſo uidimus, quo ſcilicet expetita corporis euacuatio fieret.

XX.

FEBREM quartanam à pituita fieri autumat in libro de Affectionibus, dum ſcripſit, Febrem tum tertianam, tum quartanam à bile, & pituita fieri. Cuius oppoſitum omnes ſcribentes ſentiunt, à melancholico ſucco, ipſam fieri aſſeuerantes; neque illud negauit ipſemet Hippocrates in calce libri de Natura hominis dum hæc uerba habuit. Quod autem quartanæ febres, atræ bilis participes ſint, uel hinc condiſcere licet, autumno enim maxime à quartanis corripiuntur; & in ætate, à quinque & uiginti annis, uſque ad quadragintaquinque.

LOCVS *hic Hippocratis certos nos reddit, ægritudines uniuerſas iuxta ipſius placita à bile tantum, atque pituita, primo, fieri, quandoquidem cùm tertianam, quartanamq́; febrem ab his duobus ſolis, & non ab alijs fieri ſcripſerit; tertianaq́; non ab alio*

ſucco, quàm à flaua bile, omnium conſenſu, procreari poſſit; reliquum eſt, vt quartanam ipſam, à pituita fieri dicat, quod ſecus ab omnibus ſcribentibus aſſeritur, ab atra bile ipſam fieri aſſeuerantibus. Quod demum & ipſemet falſus eſt in lib. de Natura hominis. Locum autem illum, in libro de Affectionibus, qui difficultatem parit, ita enucleandum eſſe reor, vt non recedentes à ſanctione ipſius, affirmantis, morbos omnes ab hiſce duobus omnino, à pituita uidelicet, ac bile procreari, tanquam primis, & à quibus, bini, qui ſuperſunt ſucci, ſanguis uidelicet, atraq; bilis originem trahunt; ille nanque à pituita per ulteriorem ſui coctionem; hæc à flaua bile aduſta, ſuperaſſataq;, vel etiam à ſanguine craſſefacto, ipſiusue fæce, generationem ſortiuntur. Dicamus, quartanam febrem à pituita fieri, quæ in ſanguinem iam conuerſa ſit; ac demum ex ipſo craſſefacto ater redditas ſuccus; atque hoc fortaſſe uoluit Auicenna, dum lib. 3. tract. 3. cap. 18. de Melancholia agens, ſcripſit, pituitam, in nigram degenerare bilem propter ſpiſſitudinem aut prorpter aliquam aduſtionẽ; quod tamen raro fit. Vel dicamus, quartanam febrem, ab ipſa putrefacta pituita fieri, hoc pacto, quia, dum ipſa putreſcit, ex aliquorum ſententia in bilioſum tranſmigrat ſuccum Galeni teſtimonio 7. Aphoriſmorum ſect. com. 42. Quod ſi in bilioſum conuerti ſuccum poteſt pituita, quùm is ater, ex aduſtione redditur, idcirco, licet non primo, ſecundario tamen, pituita, atra reddita bilis, quartanam febrem procreare

creare

-ereare poterit. Quare vel à pituita in ſanguinem primo conuerſa, mox ex eius incraſſatione, in atrum ſuccum mutata; vel ab ipſamet per putrefactionem in bilioſum redacta ſuccum, qui aduſtus, ad quartanam iam aptus eſt redditus, quartanam febrem fieri poſſe dicamus. Vel etiam à pituita, quæ ſalſa ſit, quoniam hæc caloris profectò cuiuſdam particeps eſt; & ſi uehementius, prorſusq; torreatur acrem, atramq; bilem gignit.

XXI.

GRAVIDA ſi eſſe deſijt, quæ facile concipiebat, uelit autem iterum concipere, bis per annum (inquit) à manibus, & cruribus, uenam ſecari ſinat in libro de Superfœtatione. Quod etiam repetitum ab eo eſt, in libro de Morbis mulicbribus. Quod aduerſari uidetur ei, quod in libro de Locis in homine teſtatus eſt, dum inquit, Infœcundum faciunt hominem, uenæ ſectæ, quæ intus ad malleolos feruntur, & ad magnos digitos inſeruntur. Contraria eſt etiam propoſitio hæc, communi, & uulgari omnium ſententiæ; aperta nanque uena tali, ſteriles reddi mulieres, creditur.

QVONIAM *ab eodē ſcriptum eſt 5. Aphoriſ. ſectione, aphor. 46. Quæcunque præter naturam craſſæ, non concipiunt vtero; his, omentum, os vteri comprimit, & priuſquam extenuentur, non concipiunt. Idcirco, vt dictis hoc loco ab Hippocrate reſpondeamus, dicendum eſt, non quibuſcunque mulieribus,*

lieribus, quæ concipere non valent, à manibus, & cruribus, venam ſecandam eſſe, quo facile concipiant; ſed eas tantum mulieres, ſanguinis miſſione extenuandas hortatur, quæ ita præter naturã craſſæ ſunt, vt præpingue omentum, os vteri comprimat, eaq́ ratione, nequaquam concipere valeant. extenuandas inquam eſſe dixit, quippè non ſemel, neque ab vna tãtum parte, ſanguinis detractionem ipſis ſuaſit; ſed bis per annum, non modo à manibus, ſed etiam à cruribus, venam ſecandam præcepit, quo, ſanguinis defectu, penuria'ue, extenuentur, graciles q́ reddantur mulieres; atque ſic demum extenuatæ concipiant. quoniam fortaſſis, & quùm iam prius, vtero concipiebant, nimia ea obeſitate carebant. Quod etiam faciendum eſſe ſuaſit in libro de ſuperfœtatione, in hæc uerba ſcribens. Si mulier præ pinguitudine, vterum ad concipiendum, læſum habere videatur, attenuatio quàm maxime, & gracilitas inducatur ſupra reliquam curam. Quare & in libro de Coacis prænotionibus, ſeu Prorrheticorũ. Sterilibus ipſis, & non parientibus, ſanguinis uomitum ad cõceptionem prodeſſe ſcripſit; ſanguinis copiã indicans, conceptui quandoque impedimento eſſe. Obæſa nanque omnia, ea de cauſa ſteriliora ſunt, Ariſtotelis teſtimonio, lib. 2. de Partibus animalium, cap. 5. quoniam, quantum de ſanguine proficiſci ad genituram, & ſemen genitale debet, hoc in adipem, aut ſeuum ſumptitatur. ſanguis nanque cùm coquitur ad hæc tranſit. Et licet aduerſa ſit,

communis

communis omnium ſententia, (aperta nanque uena tali, ſteriles reddi mulieres, uulgus arbitratur); dicamus, mulieribus in illis, ueritatem illud ſortiri, quæ præter naturam craſſæ non ſunt; ſed corpus ſuapte natura, vel gracile, uel moderate craſſum obtinēt, ſanguine, pro ſui ipſius, ac fœtus nutritione indigentes, quas ſterileſcere forſitan uerisimile eſt, ſi ipſis exigua etiam ſanguinis quantitas extrahatur; & ſi crurum tantum uenæ ipſis ſecentur, his, quæ in brachio ſunt abſque ſectione relictis.

XXII.

HAEMORRHOIDEM nullam abſque uſtione ſinendam, ſed omnes exurendas eſſe ſcripſit, in libello de hæmorroidibus. Eiuſdem ſententiæ eſt etiam Aëtius ſerm. 14. capite quinto. Cuius tamen oppoſitum, ipſemet nobis tradidit Hippocrates ſexta Aphoriſ. ſect. aphoriſmo 12. ita ſcribens. A' diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſeruatur, periculum eſt, aquam inter cutem, uel tabem aduenire. Adhuc, & libro de Ratione uictus in morbis acutis, ubi eas, filo lanæ ſuccidæ tranſmittendas, atque curandas docet, unam relinquendam apertam ſuaſit. Atque illud idem Galeni teſtimonio, innuere uoluit lib. 6. de Morbis uulgaribus Com. 3. tex. 37. & 38. ita ſcriptū relinquens. Sanguifluis uenis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonaria, neque phagedæna, neque inflammatiunculis, quæ dothienes

dothienes uocantur, neque ijs, quæ terebinthi; fortaſſe uero neque lepris, fortaſſe neque alijs; medela quidem multis importune adhibita, talibus non tarde capti ſunt, & pernicioſe, ſic &c. quem locum explicans Galenus, errare eos toto cælo affirmauit, qui, unam ex ijs, ſaltem, nõ relinquũt, ſed omnes unà obſtruũt.

NISI *Aëtium haberemus Hippocratis aphoriſmum duodecimum ſextæ ſectionis exponentem ſerm. 14. cap. 5. & contraria ſibi ipſi Hippocratem ſcripſiſſe, fateri opus eſſet; & nos maiori negocio rem hanc tractandam ſuſciperemus. Verum cum talem, tantumq́; nacti ſimus interpretem, quæ ab ipſo dicta ſunt recenſentes, pauca, pro tuenda Hippocratis ſententia, atque concilianda, quæ apparet diuerſitate, ſubſcribemus. Dixit itaque Aëtius, in eo aphoriſmo, ita ſentire Hippocratem; vt hæmorroidas ſananti, inueteratas; ſi non adſeruetur ille, cui ſanantur, hoc eſt, ſi non conuenienti is diæta vtatur, & vna non ſeruetur aperta, periculum eſſe hydropem ſibi, aut tabem ſuccedere; poſſibile vero eſſe inquit, incolumes eos euadere, optimumq́; curationis finem aſſequi, poſt hæmorroidum omnium extirpationem, qui opportuno tempore, venæ ſectione, & conuenienti ſemper vtantur diæta; atque hoc pacto intellecto aphoriſmo, non aliud profectò inferre videtur Hippocrates, quàm illud idem, quod in libello de hæmorroidibus ſcripſit, vbi voluit; nullam abſque vſtione relinquendam eſſe, ſed omnes ex æquo ſanandas;*

das;

das; quoniam inquit, ſanatio, perfecta liberatio eſt, atque legitima curatio, quæ fit, quùm poſt earum omnium vſtionem, debito vtuntur corpora regimine in cibo, & euacuationibus. Non itaque ſemper, in eis curandis vna ſeruetur aperta, ſed omnes ex æquo vri poſſunt, atque ſanari, ſi tamen, debito ille, vtatur victus regimine. Qualis autem ſit conueniens victus, docuit Galenus lib. 6. de Morbis vulgaribus Com. 3. com. 38. ſcribens; importune ſanguifluis uenis medentur, qui neque uenam per circuitus ſcindunt, neque aluum ducentibus vtuntur, neque per exercitationes euacuant. Poſſumus tamen nos, & id ſuperaddere, atque Hippocratem à crimine hoc pacto uindicare, animaduertentes in Aphoriſmis, Hippocratem, de inueteratis, non de recentibus loquutum eſſe hæmorroidibus; quæ ſi recenter fluere cœpiſſent, ab earundem omnium ſanatione, atque ſuppreſſione, non tantum immineret periculi; quod ſi inueteratæ forent; naturaq́; omnia corporis excrementa per ipſas deponere aſſueta iam ſit; niſi una relinquatur aperta, per quam fæculentus, ac melancholicus humor expurgetur, periculum immineret, ne fortaſſe ea contingerent, quæ ab Hippocrate in textu referuntur, dum periculum eſſe inquit, aquam inter cutem, aut tabem aduenire. Quocirca dum in Aphoriſmis, unam ſeruari apertam conſuluit; de inueteratis per quas iamdiu natura, ſuperuacua ſanguinis deponere aſſueta eſt, uerba feciſſe arbitramur. Dū uero in libro de Hæmorroidibus, omnes ex æquo

ſanandas

ſanandas ſuaſit, de ipſis recens fluentibus intellexiſſe dicamus, per quas natura, corporis excrementa, nondum detrudere, atque ſe exonerare ſolita ſit.

XXIII.

HVMOREM omnem calefactum, tenuiorem reddi opinatus eſt in libro de Locis in homine, vbi de cauſa fluxionum pertractans, ita inquit. Fluit autem etiam propter caliditatem, quùm carnes rarefactæ tranſitus præbuerint, & humor calefactus, tenuior redditus fuerit; omnis enim humor calefactus tenuior fit. Nos uero huic repugnantia frequentiſsime uidemus; humores nempe plures ſunt, quibus excalfactis, tenuiores reſoluuntur partes; his uero diſcuſsis, non modo non redduntur tenuiores, quin magis craſsiores, quemadmodum in pituita, atraque bile euidentiſsime fieri conſtat; neque hi duo tantum frigidi ſucci, uerum etiam calidiores quoque, idem perpetiuntur; bilioſus quippè, propter caloris exuperantiā euaporatus, & tanquam aſſatus, craſſior omnino, & non tenuior redditur, Galeni teſtimonio libro 2. Prognoſt. com. 38. quo in loco geminas eſſe craſsitudinis ſuccorum cauſſas, aſſeruit, calidum admodum, & frigidum; calidum enim euaporat, frigidum adſtringit, atque exprimit; qua ratione etiā ſanguis craſſior ab adſtringentibus redditur, ut quæ tenuitatem ipſius exprimāt. Calefacti itaque ipſi ſucci,

ci, tenuiores non redduntur omnes.

CALIDUM *quùm duplex ſit, moderatum, atque intenſum; dicamus humorem omnem, moderate, non autem uehementer calefactum tenuiorem reddi, quemadmodum uoluit libro de Locis in homine; huius nanque calidi proprium eſt, quod in corporibus noſtris concretum eſt, rarefacere, ac fundere, quemadmodum libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 1. ſcriptum reliquit Galenus; cuius oppoſitum, intenſus calor efficit, qui tenuiores reſoluit partes, atque diſcutit; craſſa, denſaq; quæ ſuperſunt, relinquens. Quæ ualidi caloris actio, palàm fuit nobis à Galeno declarata libro 2. Prognoſt. com. 38. duas craſſorum ſuccorum cauſas reddente, frigidum ſcilicet, atque admodum calidũ, his uerbis. Quin etiam ſincerus humor, craſſior redditur, pituitoſus quidem propter frigiditatem, quaſi concretus. bilioſus uero, propter caloris exuperantiam euaporatus, & tanquam aſſatus; duæ nanque hæ contrariæ cauſæ, craſſitudinis ſunt, calidum admodum, & frigidum; calidum enim diſcutit, frigidum adſtringit.*

XXIIII.

IEIUNIUM capitis dolori, ac crapulæ malum eſſe ſcripſit libro 4. de Ratione uictus in Morbis acutis textu 89. Quin magis libro 2. de Morbis uulgaribus, non modo crapulæ, capitisque dolori aduerſum eſſe uoluit ieiunium, ut affectibus in hiſce, panem quàm calidiſsi-

mum,

mum, cum uino meraco, edendum præbuerit, ita inquiens. Caput ſi doleat ex crapula, uini meraci heminam bibat; ſi uero aliter caput doleat, panem quàm calidiſsimum cum uino meraco edat; quibus liquidò conſtat crapula in ipſa, nequaquam commodum ſemper eſſe ieiunium. Quod etiam libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de dolore capitis per conſenſum agens, aperte explicauit his uerbis. Si uero uni alicui parti condoleat, ueluti hepati aut uentri, aut ſtomacho, his ipſis auxiliabimur, calida quidem in ipſis ſubſiſtente intemperatura, panem ex uino diluto exhibendo, & ſorbitiones ex alica. Cuius oppoſitum & ratio, & experientia ipſa habent, experientia nanque compertum eſt, eos qui crapulæ ſeſe dedere, optime demum ſe habere, ſi longo ieiunio, ſomnoque indulgeant, quemadmodum & Hippocrates eodem met textu, uerbis immediate præcedentibus, docuit, de repletis loquutus, inquiens, his bene fuerit, ſi ſuperdormierint; nec à ratione quoque alienum eſt, ſi ab ingeſtorum copia, & capitis dolor, & crapula ortum traxerint, ieiunio plenitudinem tollente, eam ſummoueri, potiuſquam adaugeri debere.

2 IEIVNIVM *profecto, non alia ratione, capitis dolori noxium eſſe uoluit, niſi quia longo in ieiunio, uentriculus prauis repletur ſuccis, quemadmodum*

m ex oris amarore, apertum ſatis fit, quem ieiunantes percipiunt, à quibus & praui eleuati uapores caput petentes, dolorem eius adaugent, quod maxime picrocholis contingit, quibus non hoc ſymptoma modo, verum & alia innumera, dum ieiunant, aduenire, teſtatus eſt Galenus libro 2. de Ratione uictus in morbis acutis com. 29. ieiunantibus inquiens, os amaricat, oculi cauantur, tempora palpitant, extrema frigeſcunt, maxime uero picrocholis talia contingunt. Atque propterea & Auicenna quoque libro 3. tract. 2. capite 9. de regimine uniuerſali in ſoda, inquit. Veruntamen nimia paruitas comeſtionis in ſoda calida, nocumentum affert, augmentum in ipſa faciens. Sic itaque ieiunium, capitis dolori à calida cauſa oborti, nocuum eſſe poteſt; atque non in hoc tantum fortaſſe, ſed in alio etiam quocunque capitis dolore, quia uentriculus prauis repleatur ſuccis. Quo autem pacto officiat & crapula, ad quam ſoluendam, ſomno indulgere, atque parciori diæta uti, incongruum non arbitrantur quidam; quoniam inquiunt, copioſioribus epulis refertus uentriculus, ieiunium, longamq́; diætam expoſcere videtur, quæ acernatam conficiant, atque conſumant crapulam. Dicendum eſt, hac ratione ieiunium, crapulæ aduerſum eſſe, quoniam, ſi nulli prorſus aſſumantur cibi, qui uapores à crapula aſcendentes comprimant; quo tardius, atque rarius deprimuntur, eò grauiores, frequentiores, atque diuturniores capitis dolores fiunt. Quapropter ad eos comprimendos, uel aliò auertendos,

E

doſ, quemadmodum incommodum ieiunium, iti-
bus aſſumptus, multum nobis praſtare commodi p
teſt; atque idcirco in affectione hac, ieiunium min
me laudandum. Cæterum illud mirari magis licet,
qua ratione Hippocrates, non cibos modo, quin etiã
meraciores potus, panemq́; quàm calidiſſimum, quæ
duo maxime caput replent, pro arcenda crapula ex-
hibeat, quemadmodum feciſſe uiſus eſt libro 2. de
Morbis uulgaribus, aperte inquiens. Caput ſi quis
doleat ex crapula, uini meraci heminam bibat; ſi
uero aliter caput doleat, panẽ quàm calidiſſimum cũ
uino meraco edat. Dicamus hac ratione, uinum in
crapula præcepiſſe meracum; ut excitato ex meri po
tu, naturali calore, præ copia grauato, torpidoq́;
reddito, crapula ipſa uel per uomitum, uel per ſe-
ceſſum ſoluatur. Vel etiam (quod & magis conſo
num eſt) quò aſcendentes à crapula uapores, ad uias
urinæ, meraco diuertantur; quemadmodum & al-
lium, quod alioqui caput replet, facere inſinuauit li
bro 4. de Ratione uictus in morbis acutis textu 91.
aduerſus ebrietatem, illud optimum eſſe ſcribens,
quoniam uinum ad uias urinæ deducit. Panem au-
tem quàm calidiſſimum exhibuit; quoniam exſiccat
Hippocrate auctore libro 2. de Diæta, ac tarde per-
tranſit; ut exſiccatione ſua uini humorem abſumat;
tardo uero eius tranſitu, ipſius ad membra, cere-
brumq́;, penetrationem remoretur.

IMPETI-

XXV.

IMPETIGINES, quas Hippocrates, atque alij græci λειχῆνας uocant, à pituita fieri aſſeuerauit in libro de Affectionibus, inquiens, lepra & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & uitiligo, & alopecia à pituita fiunt. Oppoſitum cuius ſcripſit libro 2. Prædictionum in calce, ubi habet, impetigines, à morbis fieri ab atra bile factis. Inter melancholicos quoque affectus impetigines recenſuit Aëtius ſermone ſecundo, capite 121.

IMPETIGINES, *geminum poſſunt nanciſci ortum, uel enim à ſalſo ſucco, qui pituitoſus eſt, quemadmodum & aliæ affectiones fiunt, quæ hoc loco cum impetigine ab Hippocrate ſimul recenſentur, lepra uidelicet, pruritus, ſcabies, alba uitiligo, & reliqua; quarum omnium, pituitoſa materia ſalſa, fortaſſis eſt principium, quemadmodum à Galeno habemus in Introductorio, ubi de Humoribus agit. Vel poſſunt etiam ab atra bile fieri; quando uidelicet pituitoſi ipſas generantes ſucci, tractu temporis, ex ſalſedine aduruntur: ſalſa nanque pituita, quoniam caloris cuiuſdam præter naturam eſt particeps; ſi uehementius, & prorſus torreatur, acrem, atramq; bilem gignit; non enim quæuis atra bilis, ex melancholico, aut bilioſo tantum ſucco naſcitur, ſed ex ſalſa quandoque pituita; quemadmodum ex Auicenna conſtat libro 3. tract. 4. capite 18. atque quum ſalſa pituita uſta, atra bilis eſt reddita, à morbis tunc*

ab atra bile factis, impetigines originem traxiſſe, dicendum eſt. Quapropter uera dixit Hippocrates libro de Affectionibus, à pituita impetigines fieri aſſeuerans, de priori ſua origine loquutus. Verum quoque eſt, & quod libro 2. Praedictionum in calce affirmauit; quando non primo, ſed ex aduſta pituita, atra bilis reddita, ortum habere poſſint.

XXVI.

LAC minime dandum eſſe ſcripſit, quibus bilioſæ ſunt deiectiones 5. Aphoriſmorum ſect. aphoriſmo 64. inquiens. Lac dare febricitantibus malum; malum & caput dolentibus, & quibus ilia ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis; malum autem, & quibus, in febribus acutis, bilioſæ ſunt deiectiones. Oppoſitũ cuius communis tenet experientia; atque contrariũ græci omnes conſuluiſſe uiſi ſunt, quùm lacte, deiectionibus in huiuſcemodi, ſummo utamur commodo, chalybeato ſaltem, extractaque ab ipſo ferreis cylindris, ignitis'ue lapillis, ſeroſa parte.

LAC, *quando Hippocrates minime dandum eſſe præcipit, quibus bilioſa ſunt deiectiones, quemadmodum 5. Aphoriſmorum ſectione aphor. 64. dicamus ipſum, de lacte loquutum, tanquam de cibo ſimpliciter, quod in modica quantitate ſumptum, in nidorem uertitur; atque bilioſos denuo parit ſuccos. Cæteri uerò græci omnes, dum in bilioſo alui fluore, atque dyſenteria lac exhibent; tanquam medicinalem*

cibum

cibũ propinant, ipſumq́ in copioſa ſatis quãtitate, quò uidelicet, & bilioſorum ſuccorum acredo obtundatur; ijdemq́ per aluum commodius purgentur, atque id nos docebat Hippocrates lib. de Locis in homine, dum ſcribebat, ſi corpus cibos ipſos ſupe rauerit, neque morbum, neque contrarietatem, ex his fieri, quæ offeruntur. Vnde, cibos offeramus (in quit) ea copia, quantum corpus, cui offeruntur, ſuperare ualeat; nam ſi quis ſic fecerit, omnino neceſſe eſt, cibum, aluum ſubducentem oblatũ, ſubducentem eſſe. Et licet in nidorem fortaſſe uerti poſſet lac, bilimq́ procreare; iam genitæ tamen bilis eductio, atque acrioris ſucci temperamentum, maiori eſt nobis commodo, quàm ſit ex bili regenerata incommodum. Qua autem ratione exhiberi debeat, à Galeno dictum eſt libro 10. de Simplicium medicamentorum facultatibus, atque alibi; nec non ab Aëtio ſerm. 9. capite 27. & 43.

XXVII.

LAC in cholera exhibet, dum adhuc flatus adſunt, & dolor libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis textu 110. in hunc modum ſcribens. Oleum quoque dabis, ut quieſcat, & uenter ſubducatur; & ſoluitur morbus; à cibis autem, atque alijs abſtineat; uerum ſi dolor nõ ceſſauerit, lac aſinæ bibendũ, donec purgetur, dabis. Oppoſitum cuius habet Aphoriſmorum ſect. quinta, aphoriſ. 64. inquiens. Lac dare febricitantibus, malum; malum, &

caput dolentibus: & quibus ilia ſuſpenſa mur murant, &c. Quo in loco, ubi flatus, uentris ue dolores adſunt, lac nequaquam exhibendum eſſe manifeſtiſsime docuit.

L A C *in cholera morbo, dum adhuc flatus adſunt, & dolor exhibendum eſſe ſuaſit, libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis; quod tamen in aphoriſmis, ubi flatus, atque inteſtina murmurantia ſunt, prohibuit. Cui contradictioni ita reſpondendũ eſt. Hippocratem, in cholera ex acribus orta ſuccis, qui ex eſorum ingeſtione prodierunt, lac exhibere, quo ſuccorum demulceatur acredo, obtundaturq́, atque etiam ipſi educantur. Et licet dolor una, flatusq́, adſint, quùm flatuoſus ille ſpiritus, dolores parturiens, acris pariter ſit, acriq́, à ſucco genitus; quando acrem humorem, lacte euacuandum præcipit, reliquum eſt, vt eo educto, & flatus, & qui ab ipſo orti ſunt dolores, remoueri uerißimile ſit: quod etiam Galenum obſeruaſſe conſtat 5. Aphor. ſect. cõ. 44. ita de lacte ſcribentem. Maior itaque offenſio diſtentis præcordijs obuenit, minor uero murmurantibus: ſed tamen, his quoque lac eſt inutile, aceſcit autem in ipſis; Serum tamen lactis, ſale, & melle condientes, plurimis talibus exhibuimus, qui & adiuti ſunt, eorum aluo ſubducta. Miteſcunt profectò lacte, atque euaneſcunt, penitusq́, diſcutiuntur in hoc morbo geniti flatus ab acri, calidoq́, procreati ſucco, quemadmodum ſcripſit libro 4. de Ratione uictus. Quod ſi à frigido, humidoq́, ſucco, ilia murmurarent,*

murarent, & flatus parti eſſent, tunc fortaſſe noxium eſſet lac, quemadmodum in Aphoriſmis opinatus eſt Hippocrates.

XXVIII.

LAC aſinæ in febre ardenti exhibet.

VIDE *contradictionem hanc ſuperius in dictione Febre in ardenti. &c.*

XXIX.

LAC aſinæ decoctum exhibet ad ſubducendam aluum libro 4. de Ratione uictus in Morbis acutis textu 8. in febre ardenti. Eodem modo, & in libro de Internis affectionibus, ubi de peripneumonia uerba fecit, nec nō & ubi de prima tabis ſpecie loquutus eſt. Amplius & libro 7. de Morbis uulgarib. lacte aſinino cocto, & bibito ad duos dies, nouem heminarum menſura, bilioſam purgationem uehementem ſubortam eſſe aſſeruit. Libro quoque deMorbis muliebribus, ubi de uteri ulcere uerba habet, idem uoluit dum ita ſcriptum reliquit; Et pharmacum deorſum purgans bibendum dato; & ubi tempus anni fuerit, ſerum coctum inſuper bibendum præbeto per dies quinque, ſi id facere oportet: ſi uero non fuerit ſerum, lac aſininum coquito, & per dies tres, aut quatuor bibendum dato. Cuius etiam ſententiæ uidetur eſſe Aëtius, qui ſerm. 7. capite 30. de Carbunculis in palpebris agens ex Sæuero, lac moderate coctum ad aluum ſubducendam exhibuit.

exhibuit. Veruntamē ſecus nobis ſentiendū uidetur; quandoquidem cùm nihil in lacte ſit, quod aluum ſubducere queat, præterquam ſeroſitas ipſius; ſeroſum nanque lac aluum ſubducit, caſeoſum uero ſiſtit, craſſoſque ſuccos gignit, atque inde obſtructiones in iocinore, calculique in renibus gignuntur, inquit Galenus libro 3. de Alimentorum facultatibus, capite de lacte; quod etiam frequentiſsime ab ipſo repetitum eſt, cæteriſque doctoribus ſubſcribentibus; ex eius autē decoctione huiuſcemodi ſeroſitas euaneſcat, auferaturque; iure optimo & alui ſubductionem, in ipſo decocto lacte, de medio tollendam eſſe, nemo negabit.

Dvm *lac aſinæ decoctum exhibet, ad ſubducendam aluum; ſi prorſus, & valde decoctum, ab Hippocrate exhibitum, pro ſubducenda aluo, intelligeremus; hoc vtique verum vſquequaque non eſſet, reſoluitur quippe ex coctura, ſeroſa ipſius pars, quæ ſubducendi aluum vim obtinet; Quod Galenus libro 3. de Alimentorum facultatibus iis confirmat verbis. Si quis lacti præferuefacto, ſerum omne conſumat; iam nihil prorſus ſubducet; at iniectis candentibus lapillis, tantiſper, dum omne ſerum diſſipetur; adeo aluum, hoc modo accuratum, non ſubducet, vt contrarium etiam ſit effecturum; hiſq; hoc exhibemus, quibus venter, acrium excrementorum morſu, infeſtatur. Quod etiam eodem libro, capite de lacte affirmauit, ita inquiens, meritò igitur,*

tur, liquidius lac, magis; craſſius autem, minus aluum ſubducit: contra autem craſſius, valentius nutrit; tenuius autē, minus: Quod ſi quis lac prius elixando ſerum omne conſumat, præterquam quod ſic paratum, aluum non ſubducit, contrarium etiā efficit, ipſumq́; iis exhibemus, quibus venter, acrium excrementorum demorſu infeſtatur. Atque idem teſtatur Aëtius ſerm. 2. capite 95. cæteriq́; omnes doctores. Quapropter, quo paradoxon hoc diluatur, dicendum forſitan eſt Hippocratem per decoctum lac, non admodum coctum intelligere, ſed calidum tantum redditum, atque ita calefactum, ad aluum ſubducendam, ab ipſo propinari. Quod Aëtius quoque, vbi de carbunculis in palpebris ex Seuero egit, innuere viſus eſt, moderate coctum, illud exhibendum eſſe ſcribens, quaſi calefactum dicere velit. Vel etiam ad aluum ſubducendam, eo pacto coctum propinauit Hippocrates, quo, antiquos decoquere conſueuiſſe, teſtatur Celſus libro 2. capite 11. atque ad aluum deiiciendam dediſſe; ſalis (inquiens) ei paululum adiiciebant, decoquebantq́; id, & ſublatis his, quæ coierant, quod quaſi ſerum ſupererat, bibere cogebant.

XXX.

LAPIDEM patientibus pueris uinum nō meracum, ſed quàm aquoſiſsimum dare, ſatius eſſe duxit in libro de Aëre, aquis, & locis, ita inquiens: Et plerique ſanè hoc modo lapidē, & calculum contrahunt; fit autem pueris etiā

ex lacte, ſi non ſalubre id fuerit, ſed ualde calidum, ac bilioſum; uentrem enim percalfacit, & ueſicam qua re, urina, dum aduritur, hæc patitur; & ſanè ſentio, melius eſſe pueris, uinum quàm aquoſiſsimum dare; minus enim uenas adurit, atque reſiccat &c. Quod etiam cõfirmaſſe uiſus eſt libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis textu octauo, ubi ſic habet. Quod autem ſuperiora quidem omnia, ueſicamque minus offendet ſi dilutius fuerit; inteſtina uero iuuabit magis, ſi meracius, neminem latere arbitror. Celſus quoque libro 1. capite 3. Vinum dilutius pueris, ſenibus meracius aptum eſſe aſſeruit, neutri tamen ætati, quæ inflammationes moueant. Cuius tamen oppoſitum tenendum uidetur, ex ijs, quæ ipſemet Hippocrates ſcripſit libro 3. de ratione uictus in morbis acutis textu 6. in hæc uerba. Vinum autem album uinoſum, iam plurima, maximaq; parte laudatum quidem, & culpatũ in uini dulcis enarratione; ad ueſicam uero, uino alio magis penetrat, urinasq; prouocat, & perpetuo purgat; atque multa, ad opem, his morbis, ferendam facit, nempe, & ſi uino alio ad cætera inhabilius exiſtat; ueruntamen, quæ in ueſica ab eo fit purgatio, liberat, ſi propinetur quale oportet. Quod ſi uinoſum, alijs omnibus, veſicam commodius purgat, & pueris ipſis in ueſica calculi gignantur; uinoſum itaque

que, non aquoſum, lapidem patientibus pueris exhibendum magis eſt.

CVM *vrinarum craſſities creandorum calculorum, prima potiſſimaq; cauſa ſit; caliditas uerò, non inſignis modò, uerum etiam mediocris, ad huiuſcemodi materiam ſpiſſandam, ſatis eſſe ualeat; à frigore nanque calculi nequaquam fieri poſſunt, ſed à calore, uel uehementi, uel etiam tepido, ſi materia craſſa ſit, quemadmodum habemus à Galeno in libro de Renum affectus dignotione, atque medela, alibiq; frequentiſſime. Pueris autem ipſis innaſcantur calculi, tum propter ueſicæ, corporiſq; uniuerſi calorem, quemadmodum Galenus teſtatus eſt libro 2. de Natura humana com. 15. tum etiam quia ludentes à cibo, proſilienteſq; moueantur. non immerito itaque, his, qui ex eorum uoracitate, atque ingluuie, & materiam congeſtam plurimam habent, & ludentes ſtatim à cibo, crudos in uenis ſuccos plurimos colligunt, unde & craſſæ ſunt ijs urinæ, ingenitaq; adeſt membrorum caliditas, uinum quàm aquoſiſſimum Hippocrates, propinandum iuſſit pueris quidem, qui generando calculo ſunt proni; ne meracum, ipſorum venas adurat, atque reſiccet; quemadmodum ipſemet aſſeruit; magiſq; adhuc incaleſcant; quod ex calido quoque, bilioſoq; exſucto lacte, ipſis uſu uenire oſtendit in libro de Aëre, aquis & locis, uentrem, & ueſicam percalfaciente; atque hac de cauſa aquoſiſſimum uinum, ipſis potandum præbuit. Qua autem de cauſa, & meraciſſimum*

quan-

quandoque conſulat, dicendum eſt geminus cùm ſit in calculis ſcopus, præſeruatiuus alter, ne uidelicet generentur; alter uero, eorum, qui iam geniti ſunt, curatiuus; idcirco, & gemina vtitur intentione; quæ licet ſibi quoquo pacto aduerſa uideatur, nullum tamen eſt inter ipſas diſcrimen; atque quæ euidens contradictio apparet, breuibus, ac facile, ita dilui poteſt. Si dixerimus Hippocratem, quàm aquoſiſſimum pueris ſuadere uinum, vt præcaueat, ne eorum calor augeatur; atque ex copioſa, aptaq́ue, quæ in ipſis eſt materia generentur lapides; meracum uerò, dum iam genitos calculos curare in animo eſt; quod etiam maxime proficuum eſſe ſcripſit libro 3. de ratione uictus in morbis acutis textu ſexto, ita ſcribens. Vinum album uinoſum, iam plurima, maximaq́ue parte laudatum quidem, & culpatum in uini dulcis enarratione; ad ueſicam uerò, uino alio magis penetrat, urinasq́ue prouocat, & perpetuo purgat.

XXXI.

LEPRAM à pituita fieri ſcripſit in libro de Affectionibus, his uerbis, Lepra, & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & uitiligo, & alopeciæ à pituita fiunt; ſunt autem talia turpitudo potius quàm morbus. Quod uidetur etiam fortaſſe ſentire Auicenna 3. 4. tract. 3. capite 3. capparesin curatione ipſius exhibens: Cuius tamen oppoſitum ipſemet Hippocrates aſſerere uidetur, lepram, non à pituita, ſed ab

atra bile fieri aſſeuerans libro 2. Prædictionum ad calcem, his uerbis. Fiunt autem leucæ quidem ex lætaliſsimis morbis, qualis eſt & morbus tabidus appellatus. Lepræ uero, & impetigines, ex morbis ab atra bile factis. Præterea cùm & in libro de Humoribus, & libro ſexto de Morbis uulgaribus ſcipſerit, lepra non corripi, qui hæmorroidas habet, palàm eſt, ab atra bile, à qua hæmorroides ſunt, lepram fieri, apud ipſum pro confeſſo eſſe. Galenus præterea in libello de Tumoribus præter naturam, ſcabiem, & lepram, melancholicos ſolius cutis eſſe affectus teſtatur, quod ſi in uenis quoque, & carne fierent (inquit) cancer nominarentur.

Lepra, *quo pacto à pituita fieri poſſit, atque demum ſub morbis ab atra bile factis comprehendatur, ſuperius declaratum eſt, in reſolutione impetiginis, huius etenim, atque illius, par eſt omnino ratio.*

XXXII.

MELANCHOLICVM affectum eſſe tenet, quùm quis in febribus aluum liquidam habet, perturbatamq; mentẽ libro 4. de Ratione uictus in Morbis acutis textu 42. in hunc modum ſcribens. Quibus per febres aluus lubrica eſt, & mens turbatur, horumque multi floccos uellunt, nareſque fodiunt, & parum quidem interrogatis reſpondent; ſed ex ſe, nihil quod

quod compoſitum ſit, dicunt, talia his melan cholica eſſe arbitror. Secus tamen cum Galeno, atque omnibus ſcribentibus tenendũ eſt, quãdo melancholiam, deſipientiam eſſe abſque febre apertiſsime teneant; atque propterea Galenus in explanatione illius textus non melancholicorum, ſed phreneticorum hæc eſſe ſymptomata dixit.

MELANCHOLIA, *licet affectus eſſe dicatur abſque febre; non propterea tamen abſurdum eſt, febrientem etiam, ſi perturbatam habeat mentem, ſi floccos uellat, nareſq́; fodiat, atque parum interrogatis reſpondeat, melancholica pati ſymptomata dici poſſe, atque ſi is non proprie melancholicus ſit, melancholici tamen nomen mereatur. Amplius, quum hoc ipſo loco, per febres ipſas, quæ recenſet ſymptomata, conſequi doceat; ſuccos in febribus arefactos, atque aduſtos ſupponit iam ad bilis atræ naturam uergentes, melancholicum affectum parere; atque hac ratione poterit quis, & cum febre ipſa melancholica quandoque pati ſymptomata, aduſtis à febrili calore ſuccis.*

XXXIII.

MENSES, quibus ſuperflue purgantur, iis cucurbitulæ inguinibus admotæ, remedio ſunt, inquit libro 2. de Morbis muliebribus circa libri initia; atque idem tenet Celſus libro 4. capite 20. Amplius eodem de Morbis muliebribus libro, non inguinibus modo, cu cur-

curbitulas admouendas eſſe hortatur Hippocrates,quinimo in ſuperfluo eorum fluxu,& ſupra cubitos, atque ad genua, laqueum immittendum eſſe docuit. Diuerſam tamen in re hac ſententiam ipſum habuiſſe conſtat 5.Aphoriſ. ſect.aphoriſmo quinquageſimo his uerbis. Mulieri ſi uelis menſtrua cohibere, cucurbitulas quàm maximas ad mammas appone.Cui ſententiæ & Galenus ſubſcripſit libro 1. ad Glauconem, capite de curatione febrium cum accidentibus, ubi animi defectum ex accidentibus curat, ita inquiens. Menſes quùm exeunt, ſi tunc crura fortius ligentur, ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur. Eodem modo, & lib. 13. Therapeu. Methodi capite 13. ubi de cucurbitulis flegmonibus applicandis uerba facit, in hunc modum ſcriptum reliquit. Menſtrua quùm euocare in animo eſt; à pube & inguine cucurbitulam affigimus.

PLVRIMAS *habet contradictio hæc ambiguitates; uerum niſi ab ipſo ſcriptum fuiſſet eodem de Morbis muliebribus libro,menſium in ſuperfluo fluxu, eodemmet tempore, laqueos, duabus oppoſitis partibus, ſupra cubitos uidelicet, atque ad genua, admouendos eſſe difficile, arduumq́; fortaſſe non eſſet, propoſitæ contradictionis ſcrupum enodare, cucurbitulas ſcilicet inguinibus admotas, ſuperfluum menſium fluorem ſiſtere poſſe, quemadmodum libro de Morbis muliebribus aſſeruit: atque eaſ-*

eaſdem mammis applicitas, idem nobis præſtare poſſe, vti in Aphoriſmis habuit; diuerſis tamen ambo temporibus; per vtraſque etenim regiones, reuulſio fieri poteſt; ad mammas quidem, per eam, quæ ab inferioribus, ad ſuperiora retractio dicitur; ad inguina vero, per eam, quæ ab internis, ad externa. Ipſa quippe anatome perſpicuum nobis eſt, uenam cauam ad lumborum fines, in duos diuiſam ramos, in vtraque crura deſcendere; à quibus ramis, venulæ quædam in vterum demittuntur, per quas, ſanguis, in ipſum percolatur, ac transfluit. Fit itaque, vt per cucurbitularum, atque vinculorum, inguinibus applicationem, is, qui per exiguas illas venas, in vterum fluebat; ſanguis, detineatur, atque per maiores venæ canales, ad crura rectà feratur, vinculorum, atque cucurbitularum vi attractus. Neque aliud inter hanc, atque eam, quæ ad mammas retractio fit, diſcrimen cadit, niſi quia cucurbitulæ mammis appoſitæ, ſanguinem in vtero iam fluxum; atque per venas, quas vterus mammis habet communes, delatum, reuellunt, atque euacuant; quæ uero inguinibus admouentur; illum, qui iam fluxurus eſt, deriuant, atque reuellunt, nec non & per capaciores, rectosq́ ductus ad crura deponunt. Vel etiam hoc pacto reſpondere poſſumus, dicentes Hippocratem in Aphoriſmis, maximum ſanguinis motum, immoderatumq́ fluorem conſideraſſe, atque fortaſſe etiam in ipſo fluxus initio; quare ne ad inferiora, maiori etiam ſanguis rapiatur impetu, idcir

co

eo ad ſuperiora reuellit. Dum uero ad inguina retrahit, quemadmodum in libro de Morbis muliebribus, non ſanguinis immoderatum fluorem, ſed exiguum, non inter fluxus initia, ſed iam ad multos dies protractum reſpicit. Verum, quoniam (quemadmodum ſuperius dixi) eodem libro, unum eundemq́ ſcopum, non diuerſis modo temporibus, ſed uno eodemq́ tempore, duobus contrarijs motibus molitur, quum & ſupra cubitos, atque ſimul ad genua, laqueos immittendos docet; idcirca hac, atque non leuis quidem, inſurgit difficultas; quo pacto ſcilicet, gemini hi, atque maxime inter ſe diſcrepantes motus, operationesq́, eodem tempore contingentes, unũ eundemq́ finem ſortiri queant; quæ enim brachijs ſunt applicita uincula, ſurſum; quæ uero ad genua deorſum, ſanguinem trahere, uериſimile eſt. Quare, reliquum eſt, vt diuerſos profectò fines, non unicum, ambo, conſequi poſſe videantur. Quibus, breuiter ita dicendum eſt; diuerſa hac operatione fieri, vt ſanguis, qui ſupra, atque infra, eodem trahitur tempore, neque ad ſuperiora retrahi, neque ad inferiora prolabi valeat, ſed curſum ita moretur ſuum, vt iam non fluat amplius. atque hoc pacto à duobus contrarijs inter ſe motibus, ſanguinis motus, fluxusq́ ſiſtitur; haud ſecus profectò, ac de aue Galenus in libello de Tremore, rigore, & palpitatione ſcripſit; quæ in aëre dum pendet, locum iam habitum nõ mutat, moueri tamen dicitur; probatq́ ex duobus cõplicatis in ipſa motibus, immobilem quoquo pacto fie-

ri, atque uideri. Ex ea enim (inquit) cognoſcas licet, idem corpus, in eodem loco permanens, motu aliquo uſum, ſublime permanere, tanta profectò motionis parte, quanta careret, ſi grauitate ruinam ſortiretur; & quam immobilitatem eſſe cenſes (inquit) mixta ex duobus motio eſt, motibus, corpus in contraria loca trahere potentibus, quorum ſi unum auferas, ab altera corripi corpus illico conſpicies. Quod etiam pulcherrime libro 1. de Muſculorum motu, eodem exemplo, fieri docuit. Interdum enim accidit (inquit) vt in ſublime acta auis, eodem in loco manere nobis conſpiciatur; ſed vtrum (ait Galenus) dicendum ſit, hanc immobilem eſſe, ceu ſi ſuſpenſa deſuper fuiſſet; an moueri ad ſuperiora tantum quantum grauitas corporis eam deorſum duxiſſet; mihi ſanè (ſubdit) hoc uerius eſſe uidetur; nã ſi ipſam priuaueris anima, uel uigore muſculorum, celeriter ad terrã deferri cerneres; quò manifeſtum eſt, connatam grauitate corporis, lationem deorſum; lationi ad ſuperiora, uigore animi exiſtere. Firmatur itaque ſanguis in uenis vteri, quia duobus diuerſis mouetur motibus. Adhuc uero, quoniam ſcriptum eſt ab eodem, eodemmet loco, menſes immoderate fluentes, cũ curbitulis pubi admotis curari; dubium profectò, & hoc non contemnendum eſt; quandoquidem, nedum mobiles, fluentes furioſosq́; uerum etiam quietos firmosq́ in aliqua particula ſuccos, etiam à longinquis, cucurbitulas ipſas ad ſe attrahere perſpicuum eſt. quare; quùm cucurbitulæ vtero in

ipſo,

ipſo, etiam qui procul eſt, ſanguinem deducere queāt; quanam ratione, ab ipſo fluentem compeſcere poterunt? Dicamus Hippocratem, non de ſanguinis menſtrui immoderato, ſed mediocri atque exiguo fluore, loqui; tranſacto præterea principio, ſuppoſitaq́; reuulſiua euacuatione per uenas manus peracta, quò ſcilicet, is tantum, qui in partibus circa vterum collectus ſanguis eſt, & qui propinquas replet uenas, atque breui temporis ſpacio in vterum collapſurus ſit, diuertatur, euocetur, extrahaturq́; atque hac fortaſſe ratione immoderate fluentes menſes cucurbitularum, pubi admotarum, uſu, ſiſti poterunt: quoniam non uniuerſus in corpore ſanguis, ſed ea tantum ſanguinis portio, quæ in ipſo membro, propinquisq́; uenis continebatur, ipſis prorſus educatur, atque euacuetur. Et licet de earum inciſione nihil loquutus fuerit Hippocrates; hanc tamen fuiſſe eius ſententiam, certos nos facit Celſus, uerus interpres eius, qui libro 4. capite 20. cum cutis inciſione eas admouendas eſſe docet; atque hoc pacto applicitæ, non modo, quia in vtero iam contentum, uel ſibi propinquum ſanguinem euacuent; ſed poſſunt etiam alia ratione facillime fluentem inde ſanguinem ſiſtere. Geminæ nanque quùm ſint retentorum menſium occaſiones, oſculorum uidelicet vteri obſtructio, ac ſanguinis craſſities; ita & immoderati fluxus, cauſæ duæ potiſſimū ſunt, altera facultatis retentricis imbecillitas; altera uero ſanguinis tenuitas, atque ſeroſitas, propter quā uenas facile exilire poteſt. cucurbitularum itaque pu-

bi admotione fit (ſcarificata, atque inciſa ſi ſint) vt tum membrum corroboretur, ualidiusq́; dehinc retineat; tum etiam vt tenuis, aquoſusq́; ſanguis educatur; atque, qui in uenis illis ſupereſt, craſſior, neque ita fluxilis redditus, firmari hoc pacto, atque ſiſti non magno negocio poſſit.

XXXIIII.

MENSES ſex menſibus retentos, nullam habere medelam, imo interficere mulieres ſcripſit libro 1. de Morbis muliebribus. Quod etiam innuere uiſus eſt in libro de Natura fœtus, dum aſſeruit. Cùm quinque, aut ſex menſibus, in uteris moram traxerint, menſtrua, putrefacta, inde pus fieri; & quibuſdam pus per uterum exire. Cuius tamen contrarium ſenſit libro 4. de Morbis uulgaribus, mulieris hiſtoriam recenſens, quæ conualuit, quùm tamen per ſeptennium menſes ei non fluxiſſent, his uerbis. Famulæ, quam recens captam uidi, cui durities in dextris erat magna, non ualde doloroſa, & uenter magnus ac circuntenſus, non ſimilis hydropicæ, & aliàs pinguis, ac mollis, & non ualde difficulter ſpirans, uerum decolor; menſes ſeptem annis non prodierant, facta eſt dyſenteria, & non teneſmo tentata; & ſub hæc duricies in dextra doloroſa erat, & febres tenues; & non ultra ſeptem dies, etiam aluus turbata eſt, ſeceſſus electrum referens, ſubuiſcoſus, multus,

ad

ad aliquot dies; ſanata eſt, & menſes poſtea prodierunt, & partes ſecundum uentrem molles fiebant, & corpus boni coloris, ac craſſum ipſi erat. Eodem modo & libro quinto in initio, Lariſſam Gorgiæ uxorem deſcribit, cui per annos quatuor ſuppreſsi erant menſes, præter ualde modicos, quæ tandem concepit, & puellam nono menſe uiuam peperit; quæ poſt incommoda plurima, ſana tandem euaſit.

MENSES, *congenitum profectò eſſe mulieribus auxilium, teſtatur Galenus libro* 1. *de Morbis uulgaribus Com.* 2. *atque in lib. de Sanguinis miſſione aduerſus Eraſiſtratum. Quo fit, vt quibus, exigue etiam ſunt retenti tempore, corpus uniuerſum affici affirmet Hippocrates in libello de Natura fœtus. Cui & Auicenna ſubſcripſit* 4. 3. *tract.* 2. *capite* 1. *de debilitate iocinoris; ex eorum retentione, iecoris ſanguinem corrumpi aſſerens. Verum enimuero, ex ipſius ſuppreſſione, licet male afficiantur mulieres; illud tamen uerum uſquequaque non eſt, quod lib. de Morbis muliebribus ſcripſit, ſex uidelicet menſibus retentos, interficere; quandoquidem, & mulieres plurimas, quibus longiori etiam retenti fuerant tempore, ſanitati reſtitutas cognouimus. cuius rei Galenus quoque teſtis eſt, qui libro ſexto de Morbis uulgaribus Com.* 3. *com.* 29. *ſcripſit, ſe mulierculæ, iam octo menſes, purgationis menſtrua ſuppreſſione laboranti, extenuatiſſima cùm eſſet, haud exiguo detracto ſanguine, breuiſſimo tempore, proprium habi*

tum reſtituiſſe; prima nanque die, ſanguinis ſeſquilibram, poſtridie libram, tertia die uncias octo detraxit. aliasq́; plurimas, eodem modo, ad ſanitatem reuocaſſe fatetur. Quinimo affirmat Aëtius ſerm. 16. capite 60. menſes, quibuſdam propter ſudores, uomitus, vel labores, vel alias exercitationes deficere, nec multum male affici; ſicuti, neque quibus ob maciem, uel laborum exceſſum deficiunt, detrimentum patiuntur. Quod item ex Ruffo & Aſpaſia retuliſſe uiſus eſt eodem Sermone, capite quinquageſimo primo, dum ſaltatrices menſtruis non purgari ſcripſit, quibus omnibus, menſes, abſque corporis ſui incommodo detinentur. Cui opinioni & Galenus fauet libro 3. de Symptomatum cauſis ad calcem, ſic inquiens. Sic & totius corporis culpa, aliquando prorſus non purgabitur fœmina, aliquando parcius, aut liberalius; aliquando malum uacuabit. Et prorſus quidem non purgabitur, tum propter plura exercitia, tum propter tenuem uictus rationem, tum propter ſuccorum ad alias uias inclinationem. Iam propter hæc ipſa, cùm mediocria ſunt, minus quàm pro naturæ debito purgabitur, ſicut propter longam deſidiam, & uictum liberaliorem; plus iuſto uacuabitur. Sed & male expurgabuntur, propter uteri rheumata, quod ſymptoma fluxio muliebris uocatur, expurgato ſcilicet per eam particulam toto corpore. Qua re dicendum eſt Hippocratem in libro de Morbis muliebribus, nec non & libro de Natura fœtus illud ſcripſiſſe, quod licet non ſemper ueritatem

tem habeat, quandoque tamen in aliquibus, uel etiã frequentius euenire poſſit. Rariſſimum autem illud eſt, & uere dignum, vt in Epidemiarum libris inſeratur, (in quibus, quæ raro contingunt, memoriæ prodidit Hippocrates) menſes ſex menſibus retentos, nullam habuiſſe medelam; aut eos denique quinque aut ſex menſibus retentos pus fieri; quæ alicui fortaſſe mulieri ſuis temporibus cõtingere potuere, & tã quam rarum, memoriæ prodidit Hippocrates.

XXXV.

MORBOS magis recipere, ac magis dolere ſcripſit, quod ſiccius eſt, quàm quod humidum in libro de locis in homine, ſtatim in libri initio, atque rationem reddens, dixit, morbus enim qui in ſicco eſt, ſtabilitur, & non ceſſat; qui uero in humido, diffluit; & aliàs, aliam corporis partem, occupat; ac ſemper tranſmigrans, requiem facit, & citius quoque ſedatur, ut pote non ſtabilitus. Contrarium tamen huius tenendum eſt; licet nanque quod ſiccius eſt, magis forſitan dolere natura aptum ſit, quàm humidum, non tamen morbis magis obnoxium eſſe, recipiendum eſt, quùm humida quæque, longe facilius quàm ſicca putreſcant putredinique magis obnoxia ſint, omnium ſcribentium conſenſu. Magis itaque recipiunt morbos, humida, quàm ſicca.

LICET *iuxta Galeni mentem, atque communem omnium ſententiam, ueritatẽ prorſus habere nõ*

arbitremur, vt quod ſiccius eſt, magis recipere morbos, atque magis dolere natura ſoleat, quàm humidum, quandoquidem humidioribus natura corporibus, impoſſibile ſit, vt uitam, omnis expertem noxæ, traducant, Galeni teſtimonio ſexta Aphoriſmorum ſectione com. 2. quod ſiccioribus non perinde aduenit; humiditates quippè modum excedentes ad putredinem faciendam idoneas eſſe dixit 3. Aphoriſmorum ſect. com. 11. atque alibi frequentiſſime; ſiccitates è contrario imbribus meliores, atque minus moriferas. Quibus liquidò conſtat, ſiccitates ipſas, doloribus, ægritudinibusq́; magis reſiſtere debere, quàm humiditates. Attamen, quò diuini Hippocratis explanemus ſententiam, hoc modo uerba ipſius intelligenda ſunt, atque dicendum hoc pacto eſt, illud, quod ſiccius exiſtit, non magis quàm humidum, obnoxium eſſe morbis; ſed morbos in ſicco, magis imprimi, atque firmari, quàm in humido, vt pote in quo facile dilabuntur, ac transfluunt. Hanc autem eſſe Hippocratis germanam ſententiam, ex verbis ipſius hoc ipſo loco, libro uidelicet de Locis in homine, conſtat aperte, quæ ita habent. Morbus enim, qui in ſicco eſt, ſtabilitur & non ceſſat, qui vero in humido diffluit, & alias, aliam corporis partem occupat, & ſemper tranſmigrans requiem facit, & citius quoque ſedatur, vt pote non ſtabilitus. Quod etiam affirmauit in calce libelli de Decenti ornatu. Inſtabilia prorſus eſſe, inquiens, quæ in humido conſiſtunt. ſic itaque morbos magis recipiunt, ſicca quæ ſunt, quàm humida.

humida. Magis autem dolent, quoniam ſicciores natura partes, his, quæ ſunt humidiores, exquiſitiori doloris ſenſu affliguntur; inflammationes nanque calores præter naturam, facilius ſicca, quàm humidiores partes perſentiſcunt, ab earum nanque humiditate, morborum ſuorum uis refrangitur, atque hebetatur. Hoc itaque pacto intelligatur, quod ſiccius eſt, magis dolere, morbosq́ magis quàm humidiores, recipere.

XXXVI.

MORBOS omnes à bile, atque à pituita tantum fieri ſcripſit libro 1. de Morbis, circa libri initia his uerbis. Aegritudines uniuerſæ fiunt, ex his quidem, quæ in corpore ſunt, tũ à bili, tum à pituita; ab externis uero, à laboribus, & uulneribus, ſed & à calido, & ſupercalefaciente, & à frigido, & ſuperfrigefaciente, & ſicco, & ſuperexſiccante, & ab humido, & ſuperhumectante. Quod etiam repetitum ab ipſo eſt ijſdem uerbis in libro de Affectionibus, pariter circa libri initia; atque paulo inferius, febrem tum tertianam, tum quartanam ipſam, à bile, ac pituita fieri aſſeruit. Amplius ex eodem libro idem affirmauit his uerbis. Cùm ad ægrotũ deueneris, interrogare oportet, quæ patitur, & ex qua cauſa, & quot diebus, & an uenter ſecedat, & quo uictu utatur, & primum conſiderare an morbus à bile, aut pituita factus ſit, aut utroque;

&

& hoc probè noſce conuenit, quod neceſſe eſt, ut ab altero horum, aut utriſque fiat. Libro quoque de Morbo ſacro ad calcem, cerebri corruptionem à pituita ac bile ortum habere ſcripſit, atque utriuſque cognitionem, proprijs indiciis poſuit, de alijs uero ſuccis ne uerbum quidem faciens. Quod etiam in Epiſtolis ſuis, ubi de inſania ſcripſit, confirmauit. Nec ſecus quoque libro de Locis in homine, febres propterea fieri ſcripſit, quùm in corpore ſuperinflámmato, carnes intumuerint, & pituita, ac bilis concluſa quieuerint, & neque refrigeretur quidquam, neque exeat, neque moueatur, neque aliud quid ſubeat. Libro prӕterea de Natura hominis, febres omnes, tam continentem, quàm quotidianam, & tertianam, à bile fieri exiſtimauit; in hac tamen maiori; in illa, minori bilis portione exiſtente. Cuius contrarium aliàs ſenſit, plurimosq; morbos, non ab his duobus tantum, ſed à ſanguine quoque, atque ab atra bile fieri aſſeuerauit; quemadmodum 1. Aphoriſmorum ſect. aphoriſmo 3. exercitatorum habitum deſcribens, qui non alio ſunt repleti ſucco, quàm ſanguine; quos non alia quoque ratione, ſanguinis miſsione euacuandos eſſe docuit Galenus in libro de Plenitudine, ac libro 4. de Tuenda ualetudine. Inſuper & lib. 4. de Ratione uictus in morbis acutis textu 28. uertigines, aphonias,

nias, capitis grauitates, ac conuulſiones, & ſyncopas cardiacas recenſet, quæ omnia à ſanguinis copia, atque coagulatione fieri uoluit. Atque in libello quoque ſuo de diebus iudicatorijs, coxendicum dolorem à bile, & pituita, atque etiam à ſanguine prouenire falſus eſt. Docuit præterea apertiſsime libro 4. de Morbis, quo pacto, morbos in corpore, ſanguis pariat. Eodem quoque libro, à bile, pituita, & ſanguine, ut puta humoribus calidiſſimis, febrem magis oriri affirmauit. Quinimo in eiuſdem libri initio, mulierem, & uirum quatuor humoris ſpecies in ſeipſis habere, teſtatus eſt, à quibus morbi fiunt, qui non à uiolentia aliqua fiunt. ſunt autem ſpecies hæ (inquit) pituita, ſanguis, bilis, & hydrops, ſiue aqua; & de his non minima, neque debiliſsima in ſemen procedit portio. Quibus adſtipulari uidetur ea, quæ innumeris in locis ſcripſit Galenus, ac præcipue 3. Aphoriſmorum ſectione com. 20. docens, quæ ijs immineant pericula, qui uel pituita, uel flaua bile, uel atra, uel ipſo etiam ſanguine referti, exercitare ſe uoluerint, oſtenditque apertiſsime, ualidiſsimas ægritudines à ſanguinis copia, oboriri poſſe. Palàm quoque eſt, quod non à bile modo, ac pituita, uel etiam à ſanguine ipſo, uerum & ab atra bile, plurimi morbi fiunt, ueluti melancholiæ, febres quartanæ, cancri, elephantes, ſcabies,

lepræ, & uitiligines nigræ, uaricesque denigratæ, atque alii innumeri, qui à doctoribus, atque ab ipſo Galeno 4. Aphoriſ. ſect. com. 2. & ſectione ſeptima com. 40. ac libro tertio Prognoſticorum com. 28. atque alibi frequentiſsime recenſentur. Quin & Hippocrates ipſe libro 2. Prædictionum ad calcem lepras, & impetigines à morbis ab atra bile factis procreari credidit. Atque hoc profectò uidetur rationi conſonum, quatuor nanque cùm ſint in corpore noſtro ſucci, ex ipſomet etiam Hippocrate in principio libelli de Structura hominis, quatuor quoque, & non bini tantum in quanto, & in quali, alterationes recipere debent, morbosque parere. Apertiſsimeq; libro de Natura hominis quatuor eſſe in corpore noſtro humores congenitos oſtendit, qui & ſanitatem, & ægritudines hominibus pariunt, in hæc uerba ſcribens. At uero corpus hominis habet in ſe ipſo ſanguinem & pituitam, & bilem duplicem, flauam uidelicet & nigram, atque hæc ſunt ipſius corporis natura, & per hæc ægrotat, & ſanus eſt. Quod etiam in libello de Genitura his uerbis aſſeruit. ſunt autem humidi ſpecies quatuor, ſanguinis, bilis, aqua, & pituita; tot enim ſpecies congenitas homo in ſe ipſo habet, & ab his morbi fiunt, aut etiam ex morbis diſcretiones. Non omnes itaque morboſa pituita tantum, ac bile prouenire, ac

procrea-

procreari dicendum eſt.

QVEMADMODVM *libro de Flatibus, aëra ſolum mortalibus ægrotis, uitæ, & morborum auctorē eſſe dixit, neque aliunde unquā uerîſimile eſſe morbos euenire; quàm ſi is, aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ingerat. Atque libro 2. de Natura humana textu ſexto, de his, quæ exterius morbos pariunt in uniuerſali loquutus, ægritudines fieri ſcripſit, partim à deprauata uictus ratione, quemadmodum priuatæ ægritudines; partim ab aëre cuius attractione uiuimus, ueluti ſunt populares morbi, qui quidem à ſpiritu, quem uiuentes attrahimus, ceu à propria eorum, effectriceq́; cauſa procreantur, quemadmodum ex his conſtat, quæ ab ipſo ſcripta ſunt in libro de Natura hominis; nullamq́; de balneis, exercitationibus, neque de ocio, uel uigilijs, de mærore, ira; de frigore æſtuq́; mentionem faciens, cùm hæc quoque haud ſecus; ac uictus ratio, ambientisq́; temperies, nos lædere ualeant. Eodem modo in libro de Affectionibus, atque in libro de Morbis 1. de his quæ interius nos affligunt loquutus, morbos à pituita tantum, atque à bile fieri ſcripſit (bilem autem uel flauam, vel etiam fortaſſe atram intelligens) de ijs nullam mentionem faciens, qui ab ipſo ſanguine originem trahunt; quoniam ipſius intentio hiſce in locis fuit, de ijs tantum morbis, qui non à πληθώρα, hoc eſt à copia, multitudine ue; ſed de his, qui à κακοχυμία, hoc eſt à ſuccorum prauitate, uitioq́; fiunt, uerba facere; atque*

idcirco ipſius ſanguinis morbos ex profeſſo, ſilẽtio per tranſijt. exuperans quippè ſanguis, quantitate tantum, non qualitate, ſeu prauitate peccat, & πληθώραν, non κακοχυμίαν parit. Quod ſi is in qualitate alterationem ullam recipit, iam non amplius ſanguinis; quin magis alterius cuiuſpiam ſucci, ueluti flaua bilis, naturam ſuſcipere uidetur. Quod autem de cacochimia, uitioſisq́; loquatur ſuccis, euidentiſſime ex his conſtat, quæ in libro de Affectionibus ſcripſit in hac uerba. Patiuntur autem hæc pituita & bilis, & à cibis, & potibus, & à laboribus &c. quoniam hæc uel calore, uel frigore immodico, bilem, ac pituitam alterant, immutant, excreſcere faciunt, atque adaugent, cacochymumq́; corpus reddunt, atque morbos pariunt.

XXXVII.

MVLIEREM uiro calidiorem eſſe, calidioremq; habere ſanguinem ſcripſit libro 1. de Morbis muliebribus. Quod etiam fortaſſe ſenſit Galenus lib.3. de Cauſsis pulſuum cap.2. ubi de uirorum pulſibus egit, ex eiuſdem mei ſententia in libello de Pulſibus ad Tirones, ubi uirorum pulſum tardiorem quàm mulierum eſſe aſſeruit; quæ quidem tarditas frigiditatem potius quàm caliditatem præſefert; pulſus nanque tarditas, facultatem infirmam caloremq; parciorem ſequitur; quemadmodum ibi oſtenſum eſt. Calidiorem quoque uiro, Auicenna ipſam credidit, quia non quemadmodum uiri, ab

ab ambienti frigido læduntur. ueluti ex his cõſtat, quæ 2. 1. capite de ſignis complexionum, in ſexto genere ſignorum retulit. Cuius tamen contrarium aſſeruit Hippocrates libro 1. de Diæta, ſic inquiens. Ex omnibus autem, maſculi calidiores ſunt, & ſicciores; fœminæ uero humidiores, ac frigidiores, cuius rei ratiõẽ reddens, ait, quia ubi in lucem editi ſunt maſculi, uictu, ac diæta laborioſiori utuntur, ut excaleſcant, ac reſiccentur; fœminæ uero humidioribus, ac pigrioribus diætis utuntur, & caliditatis purgationem ſingulis menſibus faciunt. Amplius quoque quùm quinta Aphoriſmorum ſectione, aphor. 16. ſcripſerit calidum ubi quis ſæpius utatur, hæc mala adfert, carnium effœminationem &c. hæc uerba in cõmento explicans Galenus, dixit, effœminationem, hoc eſt debilitatem; quæ naturalis debilitas non aliunde, niſi quia frigida magis. Confirmatur hoc idem Galeni teſtimonio apertiſsime ſcribentis, uirum, fœmina calidiorem eſſe 14. de vſu partium, ubi habet hæc uerba. Sicuti igitur homo, animal eſt, omnium perfectiſſimum, ſic, in eo ipſo rurſus, uir, muliere eſt perfectior; cuius perfectionis cauſa, caloris eſt exuperantia; hic enim primum eſt naturæ inſtrumentum; in quibus igitur eſt parcior, in his opificium imperfectius ſit, neceſſe eſt. Idẽ aſſeuerat & libro 2. de Temperamentis, pro-

bans

bans quare fœminæ ſint uiris pinguiores, ac in quiens, quia fœmina eſt mare frigidior. Frigidiorem quoque uiro ſatis, eſſe mulierem docuit in principio libri de ſemine, dum fœminæ figuram diebus quadraginta expleri, maſculi uero peractis triginta, ſcripſit; quod non alia ratione quidem, niſi à caliditate maiori id fieri credendum eſt. Ariſtoteles præterea lib. 4. de Generatione animalium capite 6. mares à fœminis, naturali calore, longe diſtare affirmauit, oſtendens, qua de cauſa mares potius quàm fœminæ, oblæſi in generatione hominum naſcuntur; quandoquidem (inquit) propter calorem mobiliores ſunt, motu autem ipſo franguntur, quùm recens quoduis, facile præ ſua imbecillitate frangatur. Auctoritatibus hiſce, talis quoque ratio ſuperaddi poteſt. Corporum quippe caliditas, atque frigiditas, licet ex multis innoteſcant, præcipue tamen ex motiuis operationibus cognoſcuntur, quæ à calido uidentur perfici, auctore Ariſtotele libro 2. de Anima. Calidi nanque proprium eſt moueri, haud ſecus ac frigidi immobilem eſſe, atque torpere. Quocirca quùm mulieres, uiris ipſis longe pigriores, atque torpidiores ad omnes actiones ſint, non utique calidiores uiris, ſed frigidiores potius ſunt habendæ.

MACROBIVS *Saturnalium libro ſeptimo, Symmachum propoſuit doctiſſime, atque copioſiſſime refel-*

refellentem Hori philoſophi rationes, quibus mulierum naturam, calidiorem uirili, probare nitebatur. Rationes autem eius erant, non modo hæ, quæ hoc loco à me relatæ ſunt, ſed longe plures; nam, & quia pilis, vt uiri non ueſtiebantur; & quia quo tempore igni dari honor mortuis habebatur; ſi quando uſu ueniſſet, vt plura corpora ſimul incenderentur, ſolitos fuiſſe funerum miniſtros, denis uirorum corporibus, ſingula muliebria adijcere, vt unius adiutu, quaſi natura flammei, & ideo celeriter ardentis, cætera flagrarent; atque etiam quia, celerius quàm mares, ad generandum fiunt idoneæ. Ommiſſis his, atque ad Macrobij lectionem, ſtudioſos, qui plura deſiderant, relegantes; eas tantum rationes recenſebimus, quæ ex Ariſtotele, Galeno, atque Auicenna excerptæ ſunt. Quando itaque Hippocrates libro de Morbis muliebribus, mulierem uiro calidiorem eſſe aſſeruit, non Parmedinis ſequutus eſt rationem, qui Ariſtotelis teſtimonio libro 2. de Partibus animalium capite 2. tales ipſas eſſe credidit, propter ſanguinis multitudinem, quam menſtruorum periodicus fluxus oſtendit; cuius opinionem lib. 4. de Generatione animalium capite 1. cum Empedocle refellit, probans menſtrua ipſa, ſanguinem uere non eſſe; multosq́; decipi, qui, quod humidum ſit, & colore cruentum, ſanguinem appellant; menſtruumq́; hunc ſanguinem, nequaquam ob calorem, ſed ob frigiditatem magis, moueri autumat; atque non uitii, ſed uitioſi humoris indicium eſſe affirmat; indigeſtum eſt

enim (inquit) & crudum, quod egeritur, & quaſi infirmum effluit; nec ſedem habet; ſed natura quaſi noxium, & magis frigidum pellit; quod maxime probatur, quia mulieribus, quum purgantur, etiam algere cõtingit; unde intelligitur frigidum eſſe, quod effluit; atque idcirco propter huiuſce ſanguinis purgationem, ſingulis menſibus factam, Hippocrates in libro de Diæta, frigidiores ipſas eſſe conſtituit. Non itaque hac ratione uti dixi, mulieres, viris calidiores poſuit Hippocrates; ſed quare arctiores adeo cùm ſint ipſis, cutis meatus, vt ſuus facile difflari calor nequeat, idcirco per accidens, calidiores uiris appellari poſſunt; qua etiam ratione, earum ſanguis, uirorum ſanguine calidior erit. Conſtituenda itaque mulier per accidens, uiro calidior, per ſe autem frigidior, quemadmodum & rationibus probatum eſt, atque ab Hippocrate libro 1. de Diæta, & quinta Aphoriſmorum ſectione ſtatutum; cui & Galenus innumeris in locis ſubſcripſit. Dum uero Galenus libro 3. de Pulſuum cauſis, ex tardiore uirorum, quã mulierum pulſu, calidiores eas ſtatuere quoquo pacto uiſus eſt; ita huic obiectioni reſpondere poſſumus, dicentes, quod licet, & imbecilliori facultati, & parciori calori, peculiaris ſit pulſus tardus; mulierum tamen pulſus, non hiſce de cauſis, uirorum pulſibus frequentior eſt; ſed quia multo eſt minor, eoq; minus uſui ſatisfit; idcirco auget, quantum poteſt celeritatem. At ſi celeritatis tanta acceſſio eſſet, vt omnem uſum complere poſſet, non quæreretur crebritas;

tas; ſed quoniam multum uſui cedit functio, ob diſtentionis paruitatem; & aliquantum à celeritate iuuatur, oportet iam ſatis pulſus ſit creber. Verum de hoc copioſius in Galeni contradictionibus ſermo habebitur. Auicennæ uero reſpondentes, dicamus, iam non propterea fœminas uiris calidiores eſſe, quia minori læſione, aëri ſe exponant frigido; quando quidem à primis annis, ambienti, & frigidiſſimo, ita quaſdam corporis partes nudas offerre aſſuetæ ſunt, ut nihil amplius incommodi percipiant; aſſuetis nempe, nulla fit paſſio.

XXXVIII.

PITVITAM ex bile diſſoluta fieri uoluit, dũ ab aceto attollitur libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis textu 38. ubi de oximelite loquitur, his uerbis, Vt autem in ſumma dicatur, quæ ab aceto eſt acredo, picrocholis magis quàm melancholicis prodeſt; amara ſiquidem diſſoluuntur, deſciſcuntque in pituitam, quùm ab aceto in ſublime attolluntur & multiplicantur, &c. Secus tamen profectò tenendum eſt, pituita nanque quùm ſemicocti alimenti excrementum ſit auctore Galeno libro 1. Prognoſt. com. 10. atque alibi frequentiſsime, non uidetur ex bile ipſa, quæ ex ſanguinis ulteriori coctione fit, inconcoctum ſuccum, pituitam uidelicet, generari poſſe; quæ temporis tantum progreſſu, percocta ſanguis efficitur, quemadmodum ſcriptum reliquit Gale-

nus libro 2. de Ratione uictus in morbis acutis com. 30. ubi etiam habet neutram bilem, in ſanguinem redire poſſe, & multo minus in pituitam, quæ longe ſatis à bile, quàm ſanguis ipſe diſtat; ulterius nanque percocta pituita, ſanguinem: ſanguis uero bilem generat.

RESOLVTA *ab aceto bilis amaritudine, ratione cuius, calidus, & ſiccus humor eſt; bilem, in pituitam degeneraſſe, dicere poſſumus, dum frigida, atque humida reddita eſt. Succus etenim quiuis frigidus, atque humidus, in corpore noſtro fuerit, pituita eſt Galeno auctore libro 2. de Differentijs febrium capite ſexto. Atque haud ſecus ac bilis in pituitam; pituita in bilem remeare quandoque poteſt Galeni teſtimonio, qui putrefactam pituitam, in bilioſum humorem conuerti poſſe, quorundam teſtimonio aſſeruit 7. Aphoriſmorum ſectione com. 42. in calce, acquiſita per putredinem acredine, atque caliditate. Quod ſi non quauis pituita in bilem tranſmigrare poteſt, ſalſa tamen quæ eſt, quoniam caloris cuiuſdam particeps exiſtit, in bilem degenerare non magno negotio poterit.*

XXXIX.

PLEVRETICI, quibus in principio ſputamina penitus purulenta ſunt, tertio die moriuntur, aut quinto; ſi uero hos effugerint, non multo melius habentes, ſeptimo, aut nono, aut undecimo ſuppurari incipiunt; ſic habet in libro de Coacis prænotionibus. Quod etiam

etiam innuere uiſus eſt eodem libro paulo infe rius, ita inquiens. Qui ex pleureticis expuunt purulenta, ſubbilioſa, rotunda, aut purulenta ſubcruenta, progreſſo tempore pernitioſe habent. Hoc quidem impoſsibile uidetur, atque illis aduerſum, quæ quinta Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo octauo in hunc modum ſcriptis tradidit. Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad ſuppurationem uertuntur. Quo in loco, materiam pleureſim facientem, ante decimum quartum diem in pus pertranſire minime poſſe uoluit, & meritò quidem; difficile nanque admodum uidetur inflammationum ſtatim in initio, dum materia adhuc, & ſanguis confluunt, pus iam genitum eſſe, quùm non protinus illud fieri poſsit, ſed in tempore, prout materia, ſeu ſanguis defluxus in eo tranſmutatur, ueluti doctores omnes ſentiunt.

PLEVRETICI, *quibus in principio ſputamina purulenta ſint, noſtris temporibus nunquam fortaſſe viſi, neque ab vllo alio, quàm ab Hippocrate deſcripti; quoniam non prius purulenti fieri poſſunt, quàm ſi in quatuordecim diebus à pleureſi expurgati non fuerint; atque etiam eorum, quidem, qui iam purulenti ſunt, non adeo praeceps mors expectanda eſt, quùm ipſemet Hippocrates libro de Locis in homine ex peripneumonia, aut pleuritide ſuppuratos vt plurimum non mori auctor ſit. & libro de Mor-*

bis 3. de pleuritide agens, inquit, qui vero ſanus nõ ſit ſeptima, aut nona, aut decima, hic ſuppurari incipit, melius eſt autem ſuppuratum fieri, etiam ſi doloroſum ſit, minus enim lætale eſt.. Galenuſq́ libro 2. Progñoſticorum com. 55. vbi Hippocrates in textu de purulentis verba facit; ægrum nobis ſubijcit, ſeptima à ſuppuratione die, purulentum ſcreantem. Qui (ait) ſi non per totum diem ſpuerit; ſed aut cum eo bilioſum quid, aut ſputum tantummodo ſine materia purulenta; atque huic in vnoquoque ſignorum genere, quæ media ſunt, adſint; hunc ad decimum quartum diẽ, mortem producere ſperandum; media autem ſigna ſunt, ætas, natura, tempus anni, terra, propria facultas, ægri temperamentum; accedentibus vero bonis indicijs, mortem, raro, ante decimum quartum diem, obituros teſtatur, quanto itaque minus poſſunt pleuretici, in initio, purulenta ſputamina excreare, quæ mortem adeo præcipitem minentur? Si tamen reperirentur pleuretici, qui primis ſtatim diebus purulenta expuerent, ea forſitan, quæ Hippocrates in libris de Coacis prænotionibus euentura prænuntiat, meritò aduenire poſſent. Animaduertendum præterea eſt, hæc eadem fermè verba ab ipſo repetita eſſe libro 3. de Morbis, vbi de pleuritide ex dorſo egit, quibus alium, & faciliorem nobis præbuit ſenſum, atque ita leguntur. Quibus ſtatim ſputa varia ſunt, & dolores valde acuti, hi tertia die moriuntur; hanc autem tranſgreſſi, ſaneſcunt; quo in loco ſputa varia ſcripſit,

quæ

quæ libro de Coacis prænotionibus purulenta poſuit; Græca autem uerba apponere libuit, vt poſſit quiſque ipſorum ſenſum, atque diuerſitatem elicere, habent autẽ hoc pacto in libro de Coacis prænotionibus τῶν πλευριτικῶν ὅισιν ἐν ἀρχῆ πάμπυοι αἱ πτύσιες, τριταῖοι θνήσκουσιν, ἢ πεμπταῖοι: φυγόντες δὲ ταύτας μὴ πολὺ ῥάον ἔχοντες ζ. ἡ. θ. ἡ. ια ἄρχονται ἐμπυεῖσθαι. *Libro uero tertio de Morbis ita.* οἷσι δὲ αἱ πτύσεις εὐθὺς παντοδαπαί εἰσι, καὶ τὰ ἀλγήματα πάνυ ὀξέα, οὗτοι τριταῖοι θνήσκουσι. ταύτας δὲ διαφυγόντες ὑγιαίνουσιν. *ibi nanque* πάμπυοι *dictione uſus eſt, hoc eſt purulenta ſputamina habentes; hic uero* παντοδαπαὶ *hoc eſt, uaria.*

XL.

PLEVRITIDES abſque conuulſionibus, his, quæ cum conuulſionibus fiunt, grauiores eſſe uoluit in libello de Coacis prænotionibus. Dura profectò uidetur opinio hæc; rationi nanque conſonum eſt duos ingentes morbos ſimul iunctos, deteriores, grauioreſque eſſe, quàm unicus tantum ſit. Pleureſis nanque, per ſe, acutus morbus eſt; atque ipſa etiã conuulſio, grauiſsima per ſe, ac maxime lædens; quod ſi pleuritidi aſſociata fuerit conuulſio, non abs re pleureſis longe grauior erit; uel enim copiam; uel ſepti tranſuerſi, nobiliſsimi, principaliſq; membri inflammationem indicaret, ex cuius læſione, & cerebrum læſum tripar eſt; quod neruorum cùm ſit origo, conuul-

ſionem ſi commoueat, non eſt mirum. Quodcunque igitur horum fuerit, ut uel à copia, uel ab inflammatione conuulſio fiat, pleureſis cum conuulſione, ea omnino deterior eſſe debet, quæ abſque conuulſione fit.

LICET *raro fortaſſe, duo hæc coniuncta uideantur, pleuritis uidelicet, unà cum conuulſione, ſi tamen quandoque ſimul eſſe reperiantur, uerisimile eſt conuulſionem, quæ grauis morbus & ipſa eſt, grauiorem proculdubio pleuritidem reddere; quia tamen contingit aliquando conuulſiones ipſas, materiam pleureſim facientem diſtrahere, atque reuellere; idcirco, diſtracta propter dolorificam conuulſionem à loco pleureſis materia, pleuritides abſque conuulſionibus, his quæ cum conuulſionibus ſunt, grauiores eſſe poterunt.*

XLI.

PLEVRITICOS balneo admodum iuuari aſſeruit libro 3. de Ratione uictus in Morbis acutis textu 58. ob doloris mitigationem (inquit) Quod etiam ab ipſo repetitum eſt textu 62. Quinimo in libro de Locis in homine, pleuritide in ipſa, balneis, quarta die, utendum eſſe ſuaſit. Contraria huic eſt omnium doctorum ſententia, quemadmodum apertiſſime etiam à Galeno colligitur 7. Aphoriſmorum ſectione com. 42. balnea minime conuenire aſſerente, ubi inflammatio adeſt, priuſquam noxii euacuētur ſucci, uel cōcoquantur.

Quod

Quod etiam habuit libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis com. 62. de febre ardenti loquutus, his uerbis. Quo fit, ut ex febre ardenti laborantibus, his tantum opituletur, qui ſine tumore, uel flegmones, uel eriſipelatos laborant, feruente in ipſis, per totum corpus, bile. In pleuritide itaque, quæ inflammatio eſt, dum dolor adeſt, qui materiam in loco partim congeſtam, partim quoque & adhuc fluentem, indicat; non autem iam eductam, atque euacuatam, balnea minime conuenire credendum eſt. Si nullo itaque alio die, multo minus quarto, competere poſsunt, quùm minime credibile ſit in quarto concoctionem iam eſſe peractam, corpusq́ue ipſum, noxijs ſuccis euacuatum.

QVEMADMODVM *in libro de renum affectus dignotione, atque medela, non alia ratione quandoque in renibus inflammatis, ante uenæ ſectionem, reliquamq́; corporis euacuationem, propter doloris immanitatem, balneis uſus eſt, niſi vt lotio, quod in renibus nocuum eſt, euacuaretur; balneorumq́; uſum, tum commodum eſſe aſſerat, quùm dolores excrutiant, materia autem exigua ſit, atque per urinas facile educi queat; haud ſecus in pleuritide ueritatem habere poterit Hippocratis dictum, balneorum uſum, pleureticis doloribus ſedandis commodum eſſe, ſi tamen dolorem ipſum, ingentem quidem eſſe, ab exigua tamẽ materia fieri ſuppoſuerimus, & qua*

per

per cutis meatus facile diſcuti, atque reſolui queat, ipſos meatus dilatante balneo, dolorificamq́; materiam exhalare faciente; aliàs, pleureticis, propter inflammationem coſtas ſubcingentis membranæ, eadem ratione, nocua ſunt balnea, quæ, & reliquis inflammationibus aduerſantur; quibus nullo pacto admouenda, niſi euacuato prius corpore; quoniam ſi ſecus factum fuerit, affectis membris fluxionem pariunt auctore Galeno 2. Aphoriſmorum ſect. com. 46. & ſect. 7. com. 42. ac libro 4. de Tuenda valetudine ad calcem, nec non & libro tertio de Ratione uictus in morbis acutis com. 62. atque alibi frequentiſſime. Vel dicamus, quò Hippocratis tueamur dicta; per balnea, humida fimenta ipſum intellexiſſe, quæ pleureticorum dolori, multo ſolent eſſe commodo. Vel etiam dicere ita poſſumus, balneis Hippocratem in pleuritide, non quocunque tempore uſum fuiſſe; ſed cocto iam morbo, ad ſputorum, quæ in thorace, atque pulmone continentur, expurgationem, quo tempore, ipſa, maxime conferre poſſe, teſtatur etiam Galenus libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis com. 61. his uerbis. Expoſitum eſt quoque, quonam pacto, coctis morbis, ptiſana uti uelit, quo tempore etiam balneum ſine periculo conceditur, vt pote, quod, ad ſputorum, quæ in thorace, ac pulmone continentur, expurgationem, maxime conferat. His itaque exiſtentibus conditionibus, balnea in pleuritide congrua eſſe poterunt.

PLEVRI-

XLII.

PLEVRITIDE in ipſa, uentris profluuia cauenda eſſe ſuadet 6. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 16. qui ita habet. A morbo laterali uel peripneumonia habito, alui profluuium ſuperueniens, malum. Quod ab ipſo etiam repetitum eſſe uidetur libro primo de Morbis his uerbis. Aluus turbata in pleuretico, aut peripneumonico, aut ſuppurato, malũ. Galenus quoque idem tenere uiſus eſt in Introductorio, ubi de pleuritide egit, inquiens. Cauenda uero in his ſunt uentris profluuia. Cuius contrariũ in libro de Coacis prædictionibus ſcripſit Hippocrates; à pleuritide facta in febre, quibus aluus multa, aquoſa ac bilioſa egerit, hos alleuari aſſerens. Quod etiam inferius comprobaſſe, atque affirmaſſe uiſus eſt, ubi in hunc modum habet. In doloribus pleureticorum, commodum eſt aluum molliri, ſputa colorari, ſtrepitus in pectore non fieri; urinam bene procedere; his autem contraria, difficilia ſunt; itemq́ue ſputum dulce fieri. Quam ſententiam etiam Auicenna amplexus eſt ſecunda primi doctrina prima, capite octauo, de complendo ſermone, de diſpoſitionibus ægritudinum lienteriam, pleureſim ſanare ſcribens. non ſemper itaque uentris profluuia, in pleuritide cauenda ſunt.

PLEVRITIDE *in ipſa, profluuia ventris pror*

ſus

ſus cauenda ſunt, quoniam complicatæ affectiones exiſtunt, atque inter ſe non parum diſſidentes. alui nanque profluuium, dulcia, atque relaxantia non expetit; morbus uero lateralis, maxime ea expoſcit, atque adſtringentia renuit. Reſponſio autem, ſeu reſolutio contradictionis ex Galeno elicitur eodem loco, ſexta Aphoriſmorum ſectione com. decimoſexto ſcribente. In mediocri morbo laterali, profluuiũ alui ſuperueniens, interdum prodeſſe poſſe, ratione euacuationis, & maxime cùm coctionis ſigna apparuerint; neque adeſt timor, ſed morbus eſt citra periculum, ſecus autem ſi fiat non abſque graui ægrotantium diſcrimine, id eſſe poteſt. Quare de grauiori, non de mediocri pleuritide, atque peripneumonia Hippocratem uerba feciſſe ſexta Aphoriſmorum ſectione ex iis conſtat, quæ Galenus in commento recenſet, inquiens, uocem eam ἐχομένῳ, ideſt habito, idem quod βιαζομένῳ ſignificare, quod uexari, & detineri, ac uiolenter affici ſignificat. Neque ſecus quoque uocem hanc interpretatus eſt ſectione quarta, commento 34. Galenus ubi habet Hippocrates. ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιστῇ θανάσιον. hoc eſt. ſi a febre habito, tumore non exiſtente in faucibus ſtrangulatio repente ſuperuenerit, letale; grauiſſimam anginam, uerbo ἐχομένῳ, indicans. Quod etiam Celſus libro 2. capite ſexto, aphoriſmum explicans, affirmauit, quoniam ſi grauia fuerint hæc, atque diarrhœa ſucceſſerit, malum eſt profectò; ſignificat nempe,

pe, iecur, per conſenſum earum partium, quæ reſpi rationi deſeruiunt, ita affici, vt propter imbecillita tem, alimentum ad ſe attrahere, atque in ſe conuer tere non ualeat. hoc etenim ubi acciderit, alui pro fluuium conſequi neceſſe eſt. In mediocri itaque mor bo laterali, concoctionis indicijs apparentibus, pro fluuium alui ſuperueniens, interdum prodeſſe pote rit; aliàs uero noxium ſemper erit.

XLIII.

RAPVM urinæ difficultatem inducere uoluit libro ſecundo de Diæta. Atque idem forſitan ſenſit Paulus Aegineta libro 1. capite ſeptuageſimo ſexto, dum ipſa craſſum ſuccum generare ſcriptum reliquit. Quod etiam aſſeruit Galenus libro ſecũdo de Alimentorum facultatibus, cap. proprio, rapa ſuccum in corpore diſtribuere, mediocri craſsiorem inquiẽs. proinde ſi quis liberalius ipſis ueſcatur, ſuccũ crudum aceruabit. Atque in conſilio pro puero epileptico, idemmet teſtatus eſt. Cuius oppoſitum profectò credendum à nobis eſt; rapa quippè ipſa aquoſa cùm ſint; humiditatẽq; plurimam habeant, fit, ut humiditas illa ad uias urinæ facile deducatur, urinæq; copia magis moueri debeat, quàm ipſius difficultas.

AQVOSA *profectò ſint oportet, quæ vrinas mo uere debent, quorum ſubſtantia celeriter in aquam tranſmutari valeat, quemadmodum Galenus ſcri pſit ſecunda Aphoriſmorum ſectione com. 18. de*

uino

vino aquoſo, dicens, ipſum, ſicuti aquæ ſimilem formam habet, ita & vim, & propterea urinam mouere. Quod etiam innuit libro primo de Facultatibus naturalibus ad calcem, de quibuſdam ocioſis loquutus, tenui potu vtentibus, qui celeriter mingunt; & tantum ferè, quantum in potu hauſerunt. Atque idem approbauit Ariſtoteles 1. Problematum ſectione, problemate quadrageſimo primo. Ea, quæ humida ſunt, atque aqua referta ueſicam reſoluere ſcribens. Quocirca, & rapa ipſa, aquoſa cùm ſint, plurimoq; exuberent humore, urinam potius ciere, quàm ſupprimere deberent. Verum, quò Hippocratem à crimine tueamur, qui rapam urinæ difficultatem parere aſſeruit; ita dicere opus eſt; rapum, non alia fortaſſe ratione, niſi quia plurima humiditate exuberat, urinæ difficultatem inducere poſſe, ueſicam nimio replens humore, atque expultricem uim, ea copia, ita grauans, vt commode officio ſuo fungi nequeat. Animaduertendum inſuper eſt, aquoſum admodum, licet ſit rapum, plurimamq; humiditatem generet, craſſum tamen in corpore ſuccum parere, quemadmodum ex Ægineta, & Galeno oſtenſum eſt; ex ipſaq; ſuccorum craſſitie, urinæ difficultas, facile induci poteſt. Qua re & Dioſcorides, non rapum ipſum, ſed eius, in prima germinatione aſparagum, urinæ ciendæ accommodatum eſſe ſcripſit, quoniam is, tenuiori, neque adeo craſſo, vt rapa, exuberat humore. Quod Galenus quoque ſentire uidetur libro 2. de Alimentorum facultatibus capi

te

te de Aſparagis, ſcriptum relinquens, rapi, ſinapis, cardami, piretri, & omnium propemodum acrium, & calidorum, humidiorem eſſe aſparagum, quàm ſua planta; contra quàm lactuca, attriplici, beta, maluaq́;, quorum caulis, temperatura eſt, vt plurimum, quàm folia, ſicciore, potiſſimum cùm iam propè eſt; vt ſemen profundant. Aquoſa itaque licet ſint rapa, plurimoq́; exuberent humore; propter tamen ſuccorum, quos pariunt, craſſitiem, urinæ difficultatem inducere poterunt.

XLIIII.

SANGVINEM non eſſe natura calidum, licet multis uideatur calidus, aſſeruit in libello de Corde ad calcem, neque enim (inquit) alia aqua calida eſt, ſed caleſcit. Atque hoc nihil ab eo differre uidetur, quod ſcripſit libro 1. de Morbis, bilim natura frigidiſsimam eſſe, inquiens, ac ſanguine ipſo frigidiorem. Paradoxon profectò iſtud eſt, atque his refragari uidetur, quæ ſcripſit Galenus libro 1. de Tēperamentis in calce, uenas, atque arterias, non modo exangues eſſe, uerum etiam & natura frigidas; cōtactu tamen ſanguinis calefieri; atque ad medium temperamenti ſtatum uenire affirmans. Quod ſi uenæ, & arteriæ à ſanguine incaleſcunt, magis itaque calidus ſanguis habendus eſt; nam propter quod unumquodque tale; & illud magis tale eſt. Amplius quoque

paulo ſuperius, eodem libro, humidiſsimum, frigidiſsimumq́; in corpore, pituitam eſſe ſcripſit, calidiſsimum ſanguinem, non tamen perinde humidum, ac pituita; ſicciſsimum, ac frigidiſsimum pilum. Adhuc & libro eodem ad calcem, membra ſingula tanto frigidiora eſſe aſſeruit, quanto minus habent ſanguinis. Habet præterea & lib. 2. de Temperamentis. exangue omne, ſanguine prædito frigidus eſſe. Quod etiam libro 3. de uſu partium non lõge à principio expreſsit, exanguia animalia, temperamento frigidiora eſſe, atque imbecilliora affirmans. Aphoriſmorumque ſectione quinta, aphoriſmo 18. ubi Hippocrates habet. Frigidum inimicum oſsibus, dentibus, &c. in cõmento Galenus ſic inquit, Quæcunque partes ſunt natura frigidiores, ſunt autem in animalibus tales quæcunque penitus ſunt exangues. Atque eadẽ ſectione com. 40. de adenibus loquutus, exangue omne, frigidum eſſe protulit. Quocirca, ſanguinem, natura calidum prorſus affirmare debemus.

CELSVS *libro 4. capite 3. Aſclepiadis ſententiam recenſens, qui in tetano, opiſthotono, atque emproſthotono, ſanguinem mittendum eſſe credidit; atque aliorum quorundam, qui è contrariò hoc ipſum auxilij genus, affectibus in hiſce, uitandum eſſe dixerunt, eo quod maxime tum corpus calore egeret; isq́; eſſet in ſanguine; falſum illud eſſe aſſeuerauit, dixitq́;*

dixitq́, naturam ſanguinis non eſſe, vt vtique caleat; ſed ex his, quæ in homine ſunt (inquit) hic celerrime vel caleſcit, vel refrigeſcit. Quare & hoc pacto Hippocratem intellexiſſe, fortaſſe aſſerere poſſemus, ſanguinem calidum per ſe natura non eſſe, ſed facile caleſcere poſſe. Vel dicamus ſanguinem non eſſe natura calidum; ſi flauæ bili æquiparetur, quæ licet non naturali, acri tamen calore, calidiſſima eſt. Amplius quoque dicere quis poſſet, ſanguinem, ſi pro quatuor ſuccis ſimul mixtis, & pro vniuerſa ſuccorum congerie capiatur, cùm ſibi & pituitam, & melancholicum ſuccum admixta habeat, quæ ambo frigida ſunt, calidum appellari nequaquam poſſe. Poſſumus etiam dicere, ſanguinem à ſpiritibus, atque à corde, calorem ſuum mutuari, atque idcirco non per ſe, & natura ſua calidum eſſe, ſed aliunde talem. Vide pro hac, plura ſuperius in Contradictione ſexta, quæ habet, Bilem ſanguine ipſo aliquanto frigidiorem eſſe.

XLV.

SANGVINEM calidiorem uiro, mulierem habere ſcribit. &c.

SANGVINEM *calidiorem viro, mulierem habere fortaſſe dicendum eſt, quoniam cutim cùm habeant mulieres adſtrictam, pituitoſiorem, molliorémq́, quàm viris adſit, cuius poroſitates adſtrictæ, non latæ, apertæq́ ſint, vt ſuus facile difflari calor valeat; idcirco earum ſanguis, virorum ſanguine, calidior dici poteſt. Reliqua, quæ ad hanc contradi-*

ctionem faciunt. requiras ſuperius, ubi declaratū eſt, mulierem, viro calidiorem eſſe.

XLVI.

SANGVINEM frigeſieri ſcripſit, quùm ſomnus inuadit, in libro de Flatibus, his uerbis. Opinor autem inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm ſanguinem; hic ergo cùm in cōſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & prudentia. Quod autem hæc ita habeant, multa ſunt teſtimonia, ac primum quidem, qui omnibus animantibus cómunis eſt, hæc confirmat, ſomnus, quùm enim corpus, ſomnus inuaſerit, ſanguis frigeſit, à natura enim, ſomno, frigefaciendi uis eſt. Cuius contrarium tenēdum prorſus eſt; cùm etenim in ſomno naturalis calor introcedat, ad alimentumq; ſeſe conuertat, ſanguinē incaleſcere potius, quàm frigeſieri par eſt; ipſemet nanque libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 4. textu 14. ſcripſit. Euidenter, uigilans, calidior exterius, interius autē frigidior; dormiens è contrario. Quibus uerbis liquido tenet dormientem externis partibus frigidiorē eſſe, internis uero calidiorem. Quam ſententiam ex Hippocrate quoque retulit Galenus 2. Aphoriſmorum ſectione com. 2. inquiens; ipſe etenim Hippocrates uult, hominem uigilātem, extrinſecus eſſe calidiorem, dormientem uero, contrario modo ſe habere; id nos docens,

docens, quod etiam quibuſdam alijs rerum naturalium ſtudioſis, uiſum eſt; ſomnum, atque uigilias fieri ſecundum innati caloris motionem. Eandem comprobat Galenus ſententiam in libro de Diſſolutione continua, ubi habet, cœnam prandio maiorem eſſe debere, & inquit. Caliditas in ſomno reuocatur, & calefit interius corpus, & infrigidatur exterius. Nec non & libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 5. com. 32. ſuper uerbis Hippocratis, quibus habet. Attractio, pulmo, aridum, incendium euacuatum ſiccat, ſomnus multus, quo in loco rationem reddens, cur ſomnus, euacuatum ſiccet, ait, Porrò ſi in ſomnis, ſanguis, & cum eo naturale calidum interiùs abditur, in uigilia uerò ad extima effunditur; quæ in uentriculo, & iecore ſunt, per quietem concoquentur, in uigilijs uerò, totum corpus aletur. itaque ſi inexhauſtis, calor interius uergat, nihil habens quod conficiat, langueſcit, ac interit. Ariſtoteles quoque libro 3. de Natura animaliũ capite 19. Dormientibus, ſanguinis copiã, partes exteriores deſerere, ſubire internas, ſcripſit, ita ut adacto cultello, non æque effluere poſsit.

SOMNVM *concentrationem quandam eſſe, caloris ad intima refugientis, naturalemq́; quandam antiperiſtaſim ob cerebri refrigerationem rectiſſime ab Ariſtotele dictum eſt. Unde ob id maxime a cibo*

ſomnum fieri idem auctor prodidit in libro de Somno, & vigilia capite 3. quod tum copioſius humor, & corpulentius ſurſum ab ingenito calore feratur; qui dum conſiſtit, caput aggrauat, quum vero iam deſcendit, & reciprocando calorem repellit, tum dormit animal, ſubtracto calore; quum autem reciprocatione in ea, interna omnia calidiora fieri conſtet; pariter & ſanguinem calefieri potius, quàm frigefieri conſonum eſt. Aliquando tamen accidit, vt in ſomno etiam frigeſcat; dum videlicet naturalis calor, in ſanguine ſedem obtinens, quod conficiat, vel concoquat, non amplius habet, quemadmodum teſtatur Galenus libro 6. de Morbis vulgaribus Com. 5. com. 32. vbi in textu habet Hippocrates. Euacuatum ſomnus exſiccat; in quo commento, ita ſcriptum reliquit Galenus. Si in exhauſtis, calor interius uergat, quod in ſomnis fit, nihil habens quod conficiat, langueſcit, ac interit; cuius interitu, ſanguinem, in quo calor ille exiſtit, frigefieri par eſt. Eo itaque ſomni tempore, etiam ſanguis frigeſcere poteſt, vti dictum eſt, aliàs ſemper caleſcit. Vel etiam dicere poſſumus, ſanguinem illum in ſomnis frigeſcere, qui externas corporis partes ambit, propter nocturnam frigiditatem. Si plura adhuc pro huiuſce paradoxi declaratione deſideras, in Contradictionibus Auicennæ requiras, vbi habet, Somno indulgendum non eſſe ſuper nimia vacuitate.

San-

XLVII.

SANGVINEM capitis in uulneribus, pueris etiam mittendum eſſe ſuaſit in libro de Capitis uulneribus. Cuius oppoſitum tenendum uidetur; uires nanque cùm habeāt pueri copioſa ex difflatione admodum reſolubiles, atque euaneſcentes, non ita facile ſanguinis detractionem ſuſtinent, ipſamq; hac ratione Galenus ante decimumquartum ætatis annum eis prohibuit in libello de curandi ratione per ſanguinis miſsionem, inquiens, Nec pueris uenam ſecabis, uſque ad decimumquartum ætatis annum, poſt quem, ſi multus congeſtus ſanguis appareat, tempusq; anni uernum fuerit, regioque natura temperata, & puer natura bene ſanguinea, ſanguinem minues, id quæ multo magis, ſi aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti, grauisque morbi periculum incumbat. Quod etiam 11. libro Therapeutices methodi confirmauit, in hunc modum ſcribens. Saluberrimum eſt in febribus uenam incidere, non continuis modo, uerum etiam omnibus, quas putreſcens humor concitat, ubi præſertim nec ætas, nec uires prohibent. Pariter & libro nono eiuſdem methodi, dum mittendi ſanguinis ſcopos pertractat ad ætatem, atque naturam in primis attendendum eſſe, iure optimo conſuluit; atque ab ea euacuatione, quæ per ſanguinis ſit

 miſsionem,

miſsionem, puerorum ætatem, ac ſenum ſummouit. traditionem hanc ab Hippocrate edoctus, qui libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis textu 16. in acutis morbis ſanguinem detrahendum, ſi æger ætate floreat, & uiribus abundet, optima ratione conſuluiſſe uiſus eſt.

LICET *doctores quidam ſint, qui pleureticos pueros, ætatis annorum trium per ſanguinis miſsionem ſe euacuaſſe, abſque ulla noxa fateantur; atque Hippocrates cum doctoribus illis, hoc loco, quoque pacto ſentire uideatur, Capitis in uulneribus, etiam pueris, ſanguinem mittendum eſſe ſcribens. Ne mente concipiamus tantum uirum, inania dixiſſe, ac tenellos pueros infra decimum quartum ætatis annum, diſſolubile corpus habentes, abſque graui eorum noxa, ſanguinis detractionem perferre poſſe, crediſſe; dicamus oportet; ualidioribus utique pueris, & qui decimum quartum iam ætatis annum, uel ei proximum attingunt, dum capitis uulnera infliguntur inſignia, uenam commode ſecari poſſe; atque de his quidem, qui in hac conſtituti ſunt ætate, non de iunioribus admodum, Hippocratem uerba feciſſe, credere æquum eſt; quoniam ab hoc annorum termino remoti, eam non ita facile admittunt, atque coporſam præcipue, quæ antiquioribus medicis uſui eſſe ſolebat; neque eruditiores chirurgos, ipſam adminiſtraſſe, hucuſque obſeruauimus; ſuadente Galeno in libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem, pueros,*

ros, ante decimumquartum ætatis annum nullo pacto, ſanguinis miſſione, curandos eſſe, quoniam eorum uires reſoluantur facile, atque euaneſcant. Quo modo autem, & qualem eam admittant quandoque pueri, copioſiſſime inferius oſtendemus, dum Celſi contradictio examinabitur, qua habet, Sanguinis miſſione tutò curari firmum puerum, robuſtum ſenem, & grauidam mulierem ualentem.

XLVIII.

Vere in ipſo, humiditatis exceſſum eſſe ſcribit libro 1. de Diæta, his uerbis. Laborant quidem ex morbis huiuſmodi, maxime in uere, minime in autumno; quia in uere, exceſſus eſt humiditatis, in autumno uero ſimmetria, & moderatio ſiccitatis. Quod etiam ſenſiſſe uiſus eſt 3. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 6. ſcribens. Quando æſtas fit ueri ſimilis, ſudores multos in febribus exſpectare oportet; in quo commento Galenus dixit, in æſtate caliditatem eſſe, humiditatem in hyeme, in autumno neutrum; in uere (inquit) utrunque caliditas nempe, atque humiditas. Amplius libro 1. de Natura humana com. 38. ubi Hippocrates anni tempora humoribus comparat, uer calidum dicit eſſe, & humidum de natura ſanguinis. Eodem modo, & in libro de Diffinitionibus medicis, dum ipſa anni tempora, ætatibus comparat. Ver (inquit) calidus eſt & humidus, ſimilis temperatura iuuenibus.

Quod etiam repetit de mente Hippocratis octauo de placitis Hippocratis & Platonis. Pariter & 2. de Dinamidiis, ubi temporum anni temperiem, ex prædominantibus humoribus elicit, uer calidum ponit, & humidum, quia ſanguis (inquit) eo creſcit tempore. Cuius tamen oppoſitum tenendum eſt; uere nanque in ipſo, ſi humiditatis exceſſus eſt, non itaque temperatum, neque ſaluberrimum uer erit, quemadmodum tenet ipſe 2. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 10. Ver ſaluberrimum (inquiens) & minime mortale; ipſa quippe anni tempora, quo humidiora ſunt, eò ad procreandos morbos magis prona; temperatum autem ipſum eſſe, conſtantiſsimis uerbis probat Galenus & 3. Aphoriſmo. ſectione, com. 6. & libro 1. de Temperamentis, ubi Hippocratis uerba perpendet libri tertii de Morbis uulgaribus textu 1. Erant in Cranone carbunculi æſtiui &c. inquitq; Galenus, calidam & humidã temperiem, à qua affectus illi in Cranone ſuborti erant; ueri (quod temperata res eſt) ualde diſsimilem fuiſſe. Et Com. 1. in librum de Natura humana com. 38. ubi ſanguinem non calidum & humidum, ſed temperatum dici debere aſſeruit, quemadmodum & uer. Idem quoque ſenſit libro 1. de Morbis uulgaribus, ſtatim in initio, alibiq; frequentiſsime.

D V M *uer in humiditate excedere aſſeruit Hippocrates,*

pocrates, id ea de cauſa ab ipſo dictum putato, quoniam nullo anni tempore, humiditas maior, quàm uere ipſo exiſtit; æſtas nāque calida eſt, frigida hyems, autumnus ſiccus,upereſt itaque vt humidum ſit uer. Comparatis itaque inuicem temporibus, conſtitutiones ſuas ſeruantibus, qui in humiditate poteſt exceſſus fieri, is utique uere ipſo contingit. Amplius quoque humidum uer ab Hippocrate dici poteſt, ſi æſtati, atque hyemi comparetur; tempora illud præcedentia, atque ſequentia, quæ ambo ſicca ſunt; æſtas nanque calida & ſicca, hyems frigida & ſicca. Verum licet humiditatis exceſſus in ipſo ſit, atque humidum ipſum appellet Hippocrates, non proprie tamen humidum, ſed temperatum magis dici debet; eius nempe humiditas, cum caliditate coniuncta eſt, quæ humiditatem moderatur. Vel temperatum quoque uer erit, tum propter temperatum effectum, quem corporibus inducit noſtris, atque ita proprie à medicis conſideratur; tum etiam quia, magis quàm alia tempora, natura dilectum eſt, idcirco temperati nomen meretur. Animaduertendum præterea eſt, illud, calidum humidumq́; Galeno appellari, quandoque, quod temperatum eſt, quemadmodum ex libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus capite quinto apertum ſit, vbi ipſam temperiem noſtram, calidam & humidam eſſe iuxta ueterem ſermonem oſtendit. Quod etiam ex his liquidò conſtat, quæ libro I. de Temperamentis, ex Athenæi, Ariſtotelis, Theophraſti, & Stoicorum ſententia ſcripſiſſe uidetur,

tur, εὔκρατον ſtatum, ſiue temperatum, nil aliud eſſe tenentes, quam caliditatem, & humiditatem præpollentes. Præterea & libro ſexto de Tuenda ualetudine, adoleſcentiam temperatam ponit, quam in aphoriſmis calidam poſuerat & humidam. Calidum itaque humidumq́; temperamentum iuxta Galeni ſententiam cum temperato quandoque recidit; atque idcirco licet ver calidum, & humidum ab ipſo uocetur quandoque; temperatum tamen ea ratione dici debere palam eſt.

XLIX.

VESICA ſi diſciſſa ſit, lætale eſſe abſolute aſſeruit ſexta Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 18. dum ſic ſcribit. Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore, lætale eſt. Quod etiam libro 1. de Morbis affirmauit ita inquiens. Moritur autem quis cùm cerebro ſauciatus fuerit, aut ſpinali medulla, aut hepate, aut præcordiis, ſiue ſepto tranſuerſo, aut ueſica, aut uena ſanguiflua, aut corde. Atque inferius quoque præciſum, ac diſſectum neruum non coaleſcere ſcripſit, neque ueſicam, neque aliquod ex tenuibus inteſtinis, neque ſanguifluam uenam, neque tenuem genæ partem, neque pudendi pelliculam. Quod etiam Ariſtoteles ſenſit libro 3. de Natura animalium capite 15. ueſicam præciſam coire non poſſe ſcribens, niſi

ad

ad ipſum ſuæ ceruicis exordium. Oppoſitũ tamen affirmauit Hippocrates libro 2. Prædictionum, ita ſcribens, Veſicæ, & cerebri, & iecoris, & inteſtinorum uulnera, ualde pernitioſa ſunt, non tamen ita ut nemo ex his euadat, uelut putatur. Quod etiam Auicenna uoluit 4.1. tract. 1. capite 2. ueſicæ uulnus, inquiens, ſanatur, cùm eſt leue.

VESICA *diſciſſa ſi ſit, letale eſſe omnino dicamus, ſi diſciſſa admodum fuerit, atque ſi ad cauitatem ipſius penetrauerit uulnus; quod alioqui ſanatur, dum leue eſt, quemadmodum innuere uidetur libro 2. Prædictionum; atque idipſum palàm affirmauit Auicenna 4.4. tract. 1. capite 2. Vel etiam ſi ueſicæ collum uulneratum ſit, quod carnoſum exiſtit. Et licet mortalem eſſe dicat ueſicæ inciſionem, 6. Aphoriſmorum ſectione, animaduertendum eſt, Hippocratis conſuetudinem fuiſſe, pariter & Galeni, mortale aliquid dicere, uel quod ſemper tale, uel quod ut plurimum tale. Poterit itaque, licet ut plurimum, non ſemper tamen, mortem inferre, atque mortalis eſſe, ipſius ueſicæ inciſio. Ariſtoteles nanque libro 3. de Natura animalium capite 15. contigiſſe aliquando fatetur, ut uulnerata ueſica ſolidata ſit, quod raro admodum contingit, & quod tale eſt, parum obſeruandum cenſuit Hippocrates, atque idcirco abſolute in aphoriſmis ueſicam inciſam, necem inferre protulit.*

L.

VICTV pleniori, potiusquam parciori, ac tenuiori alendos eſſe ægros, palàm tenet 1. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo quinto inquiens. In tenui uictu, ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur, quicunque enim error fit, maior in hoc committitur, quàm in paulo pleniori uictu; deterius eſſe docens, ubi quis, ſe, à tenuiori uictu, ad pleniorem intempeſtiue transferat; quàm ſi è pleniore in tenuiorem commutatio fiat. Quod etiam aſſeruit libro 2. de uictu acutorum tex. 40. ubi ſic ſcriptũ reliquit. Quidam per morbi acuti initia, eodem, quo laborare cœperunt, die, comederunt, alii poſtero die; alii quiduis, alii ciceonem ſorpſerunt; ſane hæc omnia deteriora ſunt, quàm ſi altero modo quis uictum inſtitueret; ſed quæ tum temporis peccata fiunt, ea multo minus lædunt, quàm ſi primis duobus, aut tribus diebus uaſa integre inaniuerit; mox quarto, uel quinto, uictum eiuſmodi inſtituat. Cuius oppoſitum ſcripſit libro de Victus ratione in morbis acutis, arguens eos, qui, magna corporum mutatione contingente, etiam magnũ quid contra obiiciebant. Recte quidem (inquit) mutatio transferenda eſt, & ex mutatione adhuc magis, exhibitio eorum, quæ per os ſumuntur; maxime igitur lædi poterunt (ait) ſi non recte mutationem fecerint, hi, qui tota

p tiſana

ptiſana utuntur; poterunt etiam lædi, qui, ſolo ſucco utuntur; lædi quoque poſſunt, qui, ſolo potu utuntur; minime uero hi. Quod etiã libro 2. textu 37. his uerbis comprobauit. Ciborum adiectioni (inquit) intendendum multo minus, ſubtrahere uero omnino, ſæpenumero expedit, cùm æger ſufficere poſsit, donec morbus matureſcat. Quinetiam Galenus in explicatione eius ſententiæ, inter cætera ſcribit; quod plus eſt, exuperatq; noxas non nunquam inemendabiles facit; contra, quod minus eſt, facile emendatur; nam cùm primum dilabi uires ſenſeris, cibi exiguum, offerens, ægrum reſtitues. Quod etiam lib. 10. Therapeutices methodi, illius declarauit exemplo, qui Theſſaliorum inſcitia, eò deductus erat, ut uix oculos attollere poſſet; quem tamen non eſt ueritus Galenus, detractione cibi, eò imbecillitatis deducere, ut uelut lignum iaceret, ac uix impellentem ſentiret; quod ſcilicet certus foret, poſſe ſe, cùm libuiſſet, paruo negocio noxam omnem tollere.

VICTV *dum pleniori, non tenuiori, alendos ægrotantes eſſe in Aphoriſmis ſcribit; de longioribus ægritudinibus ſermo ab ipſo habetur; hæ ſiquidem propter earum diuturnitatem, quò vires ad ſtatum vſque ſufficere ualeant, uberiori indigent uictu: in acutis vero cibum ſubtrahere omnino expedit, quemadmodum in libris de Ratione victus in morbis acu-*

tis docuit, quia ſtatus earum, breuis temporis eſt; cuius rei Galenus teſtis eſt, qui libro 1. ad Glauconem ita ſcriptum reliquit. In acutis morbis, & qui ad vigorem celeriter perueniunt, ſi tenuiter omnino cibare velis, haud magnopere lædes; in longioribus vero, niſi per initia liberalius cibaueris, aut unà cum morbo, hominem necabis, aut intempeſtiue uictus ratio mutanda erit: neque enim accedente uigore, vberior victus quàm prius, ſed contra, omnium qui per morbum exhiberi debent, tenuiſſimus in id tempus, reſeruandus eſt; atque prorſus ipſius uictus ratio, pro diuerſitate ſtatus morbi inſtitui debet, quemadmodum ex Galeno conſtat lib. 1. de Diebus iudicatorijs, circa calcem, ſcribente ſic. Victus proba ratio, ſine ſtatus morbi, & criſis præſagio inſtitui minime poteſt. Dicere quoque poſſumus Hippocratem non ſuadere medicos, quouis tempore in pleniorem, potiuſquam in tenuiorem uictum, proniores eſſe debere; ſed eos commonefacere, vt diligenter conſiderent, quibus, & quo morbi tempore tenuis victus conueniat, quandoquidem intempeſtiue adhibitus cibus, maximos errores pariat; auctor nanque Galenus eſt libro 2. de Ratione victus in morbis acutis com. 49. eos, qui ob dolorem, vel morbi acumen parum valentem obtinent facultatem, vacuatione interdum magis, quàm repletione indigere; imo, qui cibum his exhibent, maximum adferre detrimentum teſtatus eſt, atque ſic Philonis filiam, cui ex naribus ſanguis copioſe erupit, quod intem-

intempeſtiue cœnaſſet, defunctam eſſe ſcribit Hippocrates libro 1. *de Morbis vulgaribus Com.* 2.*textu* 20. *Hippocrates itaque hoc loco vult, errores, qui in tenuiori uictu cõmittuntur, grauius lædere, quàm ſi in pleniori fiant, ſiue ægrotantes, ſiue ſane, hoc uictus genere deliquerint; periculoſumq́; magna ex parte eſſe victum tenuem, non quidem per ſe, ſed propter illos, qui eo vtuntur, quos conſtat in hoc, vt plurimum grauiori diſcrimine delinquere, ac ſubinde errata grauius ferre. Atque hanc eſſe veram Hippocratis ſententiam, Galenus aperte demonſtrat in commento ita ſcribens. Victum tenuem Hippocrates ait periculoſum eſſe, quoniam errores grauius ferunt, non quia propter victus tenuitatem delinquant; ſed quoniam, ſi contingat ægros delinquere, maior error fit in tenuiori, quàm in paulo pleniori victu.*

LI.

VTERI in hydrope, piſces potius concedere uidetur, quàm carnes, lib. 1. de Morbis muliebribus, dum inquit, & mercurialem quàm plurimam edat, & allium crudum, ac coctum, & mollibus ad ſomnum utatur, & multa potione, & alijs mollibus, & obſonijs marinis, potius quàm carnibus; & ſi pepererit ſana euadet. Huic aduerſa eſt cõmunis medendi hydropis intẽtio, cùm etenim uteri hydrops haud ſecus ac reliqui abdominis hydropes, uel ex flatu, uel ex ſuperexcedenti humiditate procreetur;

creetur; quando piſces humidiores, magisq́; excrementitij, ac flatuoſiores carne ipſa ſint; rationi non uidetur conſonum, piſces, marina'ue obſonia in hydrope potius exhibenda, quàm carnes; contraria nempè contrariis curantur; ſicciores propterea cibi, humidiori exiſtente morbo, magis congrui eſſe debent.

NISI *ſalitos concedat in uteri hydrope piſces, quo pacto veritatem habere poſſint Hippocratis dicta cognoſcere nequeo; quare de his ipſis omnino intelligendum duco, qui & ſiccandi, & ſuccos attenuandi uim ſortiti ſunt. Vel etiam dicendum eſt, quod cùm marinorum obſoniorum mentionem fecerit, marinos etiam piſces, carnibus commodiores eſſe voluit, propter eorum ſalſedinem. Vel etiam per marina obſonia, non piſces fortaſſe intellexit, ſed marina quædam olera, quæ huic morbo profligando maxime commoda ſunt, atque magis quàm carnes proficua, veluti braſſica marina, crithmon, cæteraq́; id genus plurima, quæ copioſam humiditatem per vias vrinæ educunt; ſuperius nanque de oleribus meminit, de mercuriali nempe, & allio. Quod etiam ex his facile confirmari poteſt, quæ ſcripſit libro de Natura muliebri, docens quo pacto curanda mulier ſit, quæ ex partu purgata non fuerit, atque, inquit, bibat autem medicamentum cum teda, præparatum, donec fluxus fuerit commotus; ad os vero uterorum, adipem anſerinum oblinito, & myrrham, & reſinam tepidam, & quàm maxime deambulet,*

ambulet, & ante cibum, mercurialem coctam edat, & allium, ac porrum, & braſſicæ ſuccum ſorbeat-& cibis mollibus utatur, & magis marinis; & calida lauetur. Quo in loco ſatis aperte conſtat, in utero, plurimo exuberante humore, marina cibaria conſuluiſſe.

LII.

VTERVM ad præcordia aſcendere ſcripſit ut humectetur, libro 1. de Morbis mulie-bribus non longe à principio, ita inquiens. Si ſuffocatio derepente acceſſerit, fit autem maxime his, quæ, cum uiris non coeunt, & ſenioribus, magis quàm iunioribus, leuiores etenim ipſarum uteri ſunt. fit autem potiſsimum tunc, ubi mulieri uaſa euacuata fuerint, aut plus ſolito laborarit, reſiccati à labore uteri, conuertuntur, ut qui uacui ſint, ac leues; eſt autem ipſis locus ſpacioſus, ut conuertantur, ut pote uentre uacuo exiſtente; dum autem conuertuntur impetunt hepar, & iuxta conſiſtunt, & ad præcordia irruunt. Ad uiſcera quoque uerti teſtatur libro de ſuperfœtatione in calce docens, quæ uirginibus eueniant, ſi menſes maturi non prodeant. Progredi quoque ad cor uteros contendit in libro de Natura muliebri, ubi inquit, Si ſuffocent, & non decedant, porri ſemen tritum, & pulegium in aquæ cyathis tribus &c. Auxiliumq; aliud ad idem poſuit eodem libro. Indicia pariter ad cor collapſi ute-

ri, nec non ad pedes, & crura, atque remedia, appoſuit libro 2. de Morbis muliebribus. Ad hepar quoque accedere uoluit pluribus in locis, ac præcipue libro de Natura muliebri. Atque non uterum modo, uerum etiam fœtum ipſum in utero exiſtentem, ad hepar, & præcordia procedere, ut humectetur, & ſuffocationem derepente accidere teſtatur libro de Morbis muliebribus. Muliebris ita ſimpliciter accepta uidetur eſſe opinio hæc, quæ modo ad caput, modo ad cor, interdum & ad diuerſa membra uterum percurrere credunt. Quapropter & Galenus libro 6. de Locis affectis, capite 5. Hippocratem in hoc carpit, inquiens. Id autem, quod dicunt exſiccatos uteros, humoris deſiderio ad uiſcera aſcendere, nemini non abſurdum uideri poteſt. Si enim abſolute uterus humorem requirit, ueſicam, atque craſsi inteſtini partem inferiorem totam ſibi proximam habet; ſi uero non ſimpliciter humorem, ſed ſanguineum humorem deſiderat, ad hepar, potius quàm ad ſeptum tranſuerſum, ipſum moueri oportebat. Hæc Galenus, qui non Hippocrati modo, uerum etiam Platoni aduerſatur, dum uterum nihil, aut certe perexiguũ moueri aſſerit, idque non per ſe, ſed à uinculis duntaxat, & appendicibus, quibus annectitur, dum plenitudine diſtenta contrahuntur, breuioraque fiunt. cùm Plato ipſum & ſponte

moueri,

moueri, errareq; uoluerit, atque idcirco tanquam animal haberi.

Mevm *eſſet profectò, vel Hippocratis locum hunc, ſilentio pertranſire; vel (ſi fieri poſſet) Galenum, redarguentem Hippocratem falſi fortaſſe criminis non accuſare. Cùm autem iſtud fieri minime queat, ſi Hippocratis verba, explicare voluero, maiori quàm potero in eum reuerentia, ita rem auſpicabor. Non poſſum non immodice quidem admirari Galenum libro ſexto de Locis affectis; haud ſecus à calumnia Hippocratem non vendicaſſe, quemadmodum & quædam non minus obſcura eius verba enarrans libro 6. de Morbis vulgaribus Com.5. com.9. totis viribus defendit. Verba autem eius ſunt hæc. Excandeſcentia inquit Hippocrates, attrahit & pulmonem, & cor in ſe ipſa, & in caput calidum, & humidum; gaudium vero relaxat cor. In eo commento Galenus, ambiguitatem verborum Hippocratis contemplatus, inquit, verbum illud, attrahere, duorum alterum nobis indicare, aut pulmonem, & cor ad caput attrahi; aut cor, & pulmonem ex inferioribus locis, calorem, humoremq́, ad ſeipſos attrahere; atque veriſimile eſt (inquit) ex iecoris regionibus, vnde ſanguinis diſtributio fit, & caliditatem, & humorem hauriri. Quo autem pacto illud fiat, ita aperuit. Porrò in excandeſcentia, cor, atque per totum corpus diſcurrentes arteriæ, maiorem, vehementioremq́, pulſatum efficere cernuntur. æquum eſt autem & cordis dilatationem,*

implentia tunc plura adduci, in caput vero plus caloris, humoriſq; efferri, oculos, totamq; faciem, occupans rubor oſtendit, atque ſignificat; quin etiã ſi tetigeris, calidiores euaſiſſe tibi ha partes apparebunt; euidenter quoque & oculi emicantes unaq; prominentiores euaſiſſe videntur. Quemadmodum itaque neque cor, neque pulmonem in excandeſcentijs attrahi poſſe ad caput aſſeruit, vti videntur Hippocratis verba ſonare; ſed ipſa, ad ſeipſa calorem, humoremq; ex inferioribus locis attrahere, atque per arterias demum, capiti impartiri; ita dicere potuiſſet, vterum (non vtique quemadmodum littera dictat) ad præcordia aſcendere, vt humectetur; ſed à præcordijs ipſis propter maximam eorum cognationem, inflammatus ſi ſit, humorem attrahere, minime abſurdum eſſe. Affinitas autem hæc clariſſime patet, tum ex lactis generatione à ſanguine, ab vtero ad mammas aſcendente, tum ex cardiaca ſyncopi, quæ vteri vitio fit; tum ex his, quæ Hippocrates, atque Galenus ſcripſere libro 1. de Morbis vulgaribus Com. 1. textu, & com. 13. quo in loco ita habet Hippocrates. Multi præterea infeſtabantur arida tuſſi, nihilq; excernebant, nec multo poſt rauceſcebant, nonnulli multo poſt; quibuſdam teſticulus alter, alijs vterque cum dolore inflammabatur. In quo commento Galenus quoque ea verba explicans, ait, illius pars, qui in pulmonem decidit ex capite, pro eo, quod inter ſe conſentiunt inſtrumenta ad teſticulos peruenit; quatenus autem cum

genita-

genitalibus conueniat thoraci, in aliꝭs libris tractauit. Quod etiam libro 3. Com. 3. textu 73. ex iiſdem apertiſſime innoteſcit. Mulierem nanque deſcribit Hippocrates apud frigidam aquam in Thaſo ægrotantem, quæ poſteaquam filiam peperiſſet tertio à partu die, febre correpta eſt; huic (inquit) quadrageſimo tandem die, coxendicum dolor remiſſus fuit; tuſſes uero aſſiduæ, humidæ, multæ; quæ verba in commento enarrans Galenus, atque oſtendens, quo pacto ex male affecto vtero, tuſſes illi contingebant. Enimuero (inquit) ſæpius audiuimus, quod thoraci conſortium cum genitalibus eſt. Amplius & lib. 5. Com. 3. textu 4. de Ageſii filia ſermonem habens, hoc idem ab eodem euidentiſſime declaratum eſt. Huic (inquit Hippocrates) præter cætera enarrata ſymptomata, & dextra coxendix indoluit &c. In quo commēto hæc verba habet Galenus. Cæterùm propter quid affectus pectoris, & coxendicis vnà exacerbabantur, & miteſcebant, haud iniuria quiſpiam quæſierit, quùm nulla pectori cum coxendice, ſed cum genitalibus membris affinitas intercedat. Incongruum itaque non eſt, vterum, humore aliquo indigentem non ab inteſtinis ipſis, neque veſica, quēadmodū Galenus Hippocratē redarguēs, inquit, ſed à ſibi familiaribus, & affinibus membris expoſcere; nō à iocinore quoque, quia non plurimo ſanguineo humore indigeat. Vterus itaque propria non motus ſede, præcordiorū, humore frui peroptās ad ſeſe illū allicit; atque ab ipſis, quod ſibi opus eſt exhaurit.

LIII.

VVAS immaturas aluum magis deijcere ſcripſit quàm dulces libro 2. de Diæta, ubi habet hæc uerba. Vuarum βότρυι calidi ſunt & humidi, ac aluum mouent, maxime albi; dulces quidem igitur calefaciunt fortiter; propterea quod multum iam caliditatis habent, immaturæ uero minus calefaciunt, magis autem purgant potati. Cuius contrarium tenendum uidetur; quandoquidem immaturæ ipſæ uuæ, quùm acerbæ auſteræ'ue ſint; ſaporesq; huiuſcemodi adſtringentes à doctoribus conſtituantur, qui non modo aluum non mouere, quin potius ſiſtere ualeant, quemadmodum à Galeno innumeris in locis ſcriptum habemus, nullo pacto immaturæ uuæ aluum purgare, uel deiicere poterunt.

VVAS *immaturas, minus quidem calefacere, ſed aluum magis deijcere ſcribens Hippocrates, intelligantur aluum deijcere, uel quia uentriculum quandoque imbecilliorem roborent; uel quia ſua acerbitate ſtercora comprimant, quemadmodum acerba plurima facere conſueuerunt, ueluti ſunt tamarindi, innumeraq; alia huiuſmodi. Vel dicendum eſt, quod non comparat hoc loco immaturas uuas cum maturioribus; ſed ipſarum immaturarum purgãtem uim cum calefaciente comparat; atque immaturas magis aluum deijcere, quàm calefacere aſſerit, è contrario uero, maturas magis calefacere quàm deijcere.*

FINIS.

CONCILIATIONES CONTRADICTIONVM, DVBIORVM, ET PARADOXORVM CORNELII CELSI.

Nicolao Rorario auctore.

I.

AQVAM in diæta bibendam non eſſe præcipit libro ſexto, capite ſexto, De oculorum morbis, curationibusq; eorum agens; atqne primo de hiſce morbis loquutus, qui lenibus medicamẽtis curantur; de oculis uerba faciens, quos inflammatio occupat, inquit. Ergo primo die, loco obſcuro cubare debet, ſic ut à ſermone abſtineat, nullum cibum aſſumere, ſi fieri poteſt, ne aquam quidem, ſin minus, certe quàm minimum eius. Quibus uerbis aperte elicitur, aquam, iuxta ipſius ſententiam nobis alimento eſſe. Quod etiam libro 4. capite 2. de uehementi capitis dolore agens, idem his uerbis ſenſiſſe uidetur, ſatiusq; eſt abſtinere (inquit) à cibo, ſi fieri poteſt, etiam à potione, ſi non po-

teſt, aquam bibere; ſi poſtero die dolor remanet, aluum ducere; ſternutamenta euocare, nihil aſſumere, niſi aquam. Cuius ſententiæ uidetur etiam Ariſtoteles, qui libro 4. de Generatione animalium capite 2. in calce, probâs & alimentum, & corporis diſpoſitionem, ex temperamento aëris continentis, ac cibi ingredientis, qualitatem quandam recipere, ſed præcipue ex alimonia aquæ, huius enim uſus (inquit) plurimus eſt, atque in omnibus, aqua, alimento eſt, etiam ſiccis. Quòd etiam 1. Problematum ſectione, problemate 13. confirmauit, dum quærit cur mutatio aquarum, grauis; aëris uero non grauis ſit; atque reſpondet, quia aqua corporibus alimento eſt; quo iam habito, complexoq; peregrinemur; aër autem nullo ſe exhibet alimento. Eodem modo & problemate 15. eiuſdem ſectionis, quærens, cur cibi, & aquæ mutatio grauis ſit, atque reſpondet, quia uariæ potionis utuntur alimento; eſtque id alimenti genus, quàm ſiccum ualentius, quoniam plurimum eſt, exque cibis ipſis, non niſi quantum dilutum eſt, uim habet enutriendi. Contraria tamen his eſt, omnium doctorum ſententia, aquam nullo pacto nutrire aſſerentium. Galenus quippe libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis com. 17. ita ſcriptum reliquit. Aliqua ſunt, quæ uires euertunt, ut ſanguinis, eruptio, deiectio ſuperflua, ſudor im

modi-

modicus, & per accidens cibi abſtinentia ſumme imbecillitare dicuntur; at quæ nullo pacto nutriunt, ut aqua, ea neque uirtutem ſumme imbecillitate, neque roborare quiſpiam uere dixerit, niſi id per accidens aliquando contingat. Idem quoque inferius affirmauit com. 40. de puriſsima aqua agens, ipſam nec ſitim ſedare, neque humectare, neque alere poſſe ſcribens. Quod etiam libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 15. oſtendit, dum ſola dulcia nutrire probat, atque idcirco (inquit) elementa nutrire non ualent, quùm nullam qualitatem guſtui offerant, proinde & terra, & aqua (ſunt enim ambo guſtu inſipida) minime nutrire idonea ſunt, ſicut nec aer, nec ignis.

LICET *aqua, quæ pura, impermixta, uel qualitatis omnis expers ſit, nequaquam nos alere ualeat. Ariſtotelis teſtimonio in libro de ſenſu, & ſenſilibus; cui ſententiæ etiam Galenus ſubſcribit lib. 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus; non ibit tamen inficias Celſus permixtam aquam, quæ in noſtro eſt uſu, & per ſe, & per accidens quoque nos corroborare quoquo pacto poſſe; per accidẽs dixi; quoniam Galeno auctore eodem commento decimoſeptimo libri tertij de Ratione uictus in morbis acutis, haud ſecus ac medicamentum, membrorum temperamentum ad ſimmetriam deducit. Quod etiam uoluit Hippocrates in libello de Corde, dum ſcripſit, quomo*

do

do alimentum hominis ſunt aqua, & uentus; ſed ſunt inquit, magis, cognatæ affectionis caſtigatio, & medela. Verum, dum Celſus hoc loco, aquam in diæta, quæ inflammatis competit oculis, bibendam nõ eſſe præcipit, ipſam profectò non conſiderat prout vere, & per ſe, nos alere valeat, neque prout intemperies vlla ab ipſa remoueri poſſit, eaq; ratione, membra foueat, atque corroboret; ſed duabus potiſſimum de cauſis, in oculorum inflammatione, ipſam potandam dehortatur, tum ſcilicet, ne bilioſo in uentriculo, corporeq; ob oculorum inflammationem febre uexato, in bilim uertatur; quemadmodum facile uerti poſſe teſtatur Galenus libro 3. de Ratione uictus in Morbis acutis com. 40. acresq; dehinc ipſius uapores caput petant; oculisq;, (de quorum inflammatione ibi agit) moleſti ſint; tum etiam ne ab inflammationis coctione, cui, tota ſe dedit natura, nullis medijs, nullaq; ratione diſtrahatur; atque idcirco illos hortatur, vt nullum prorſus cibum aſſumant, perinde ac ſi dixiſſet, extreme tenuiſſimo vtantur uictu; atque ne aquam quidem deguſtent, ſi fieri poteſt, quæ præter id quod alit, naturam, oculorum inflammationem concoquentem, ab opere reuocat, & in bilim non magno negocio uerti poteſt. Nutrit itaque aqua; ſed in diæta, quæ inflammatis competit oculis, non quia nutriat, ſed dictis de cauſis, nequaquam bibendam eſſe uoluit.

II.

Cicvtae ſemen inter rodentia poſuit libro quinto capite ſexto, de his agens, quæ rodunt. Hoc nequaquam ueritati uidetur conſonum; frigidiſsima nanque cùm ſit cicuta; ſemen ipſius inter rodentia, nulla ratione recenſeri poſſe uidetur. frigidiſsimam autem, omniumq; refrigerantium ualentiſsimam eſſe teſtatur Galenus libro primo de Simpliciũ medicamentorum facultatibus capite decimotertio, in hunc modum ſcribens. Nam ſi quis radicis mandragoræ corticem, in magnas partes confractam cuti imponat, aut illinat, aut deglutiat, planè nihil efficiet; at ſi admodum ſit comminuta, refrigerare poteſt. Sic etiam papaueris ſemen, & cicutæ (tametſi hoc ſit omniũ refrigerantium ualentiſsimum) tamen antequàm exacte comminuatur, cuti noſtræ impoſitum, planè eſt imbecillum.

Cicvtam *frigidam adeo ex Dioſcoride, Galeno, alijsq; doctoribus eſſe conſtat, vt nimia eius frigiditate, necem inferre valeat, facultatemq; huiuſcemodi ſortitam eſſe, ex eiuſdem effectibus facile nobis innoteſcit; ſanguinis quippè, ſeminisq; fluxum compeſcit; pilorum ortum prohibet, teſticulorum, ac mammarum uetat augmentum, aliaq; huiuſcemodi plura operatur, quæ à frigiditate non exigua fieri euidentiſſime conſtat. Cur autem frigidiſſima cùm ſit cicuta; ſemen ipſius, inter ea, quæ rodunt,*

dunt, connumeratum ab ipſo fuerit, paradoxon pro fectò eſt, atque contra communem omnium ſententiam. Et niſi prouinciam ſuſcepiſſem, ambigua tantorum uirorum dicta, ſiue contradictionem ſapiant, ſiue paradoxa ſint, pro uiribus diſſoluere hæc utique uerba, ſicco pertranſiiſſem pede; quoniam fortaſſe dicere opus eſſet, parum auctoritati Celſi hac in re tribuendum eſſe; neque mirum ſi de cicuta hoc aſſerat, quando & alia quoque complura, quæ roſionis prorſus expertia ſunt inter ea quæ rodunt, connumerauerit, ueluti gallam (niſi exuſtam intelligat) lentiſcum, myrrham, & omphacium. Verum vt incœpti officij munus abſoluam, atque paradoxa, quæ in eorum lectione a me uiſa ſunt, diluam; quò Celſum inania, falſa'ue ſcriptis non mandaſſe tuear, hoc pacto dicendum eſſe arbitror, geminas eſſe cicutæ ſpecies; quarum altera aquatica eſt, quam frigidiſſimã, ac uenenoſam eſſe certò ſcimus; terreſtris altera, quæ calida ſiccaq́ exiſtit; atque hæc, licet inter cicutæ ſpecies adnumeretur, non proprie tamen cicuta appellatur; uerum ſub myrrhidis nomine à Dioſcoride pingitur. Dum itaque Celſus, cicutæ ſemen, in eorum numero quæ rodunt, recenſuit, non de uera cicutæ ſemine, & de prima eius ſpecie, quæ frigidiſſima eſt, ſed de hac ſecunda intellexiſſe dicamus, quæ myrrhis appellatur, & uulgo cicutaria, calidaq́ ac ſicca eſt: cuius ſemen, non abſque ratione, inter rodentia recenſeri debuit, quando quidem, ſemina cuncta facultate ſuæ plantæ, non modo ſimilia ſunt, uerum

etiam illis prorſus ſicciora, eoq́; magis attenuantia auctore Galeno in libello de Attenuanti uictus ratione circa initia. cùm autem in ſecundo ordine excalfacientium ſit myrrhis, adiuncta quadam partium tenuitate ex Galeno, libro ſeptimo de Simplicium medicamentorum facultatibus; longe calidius quoque ac rodens ſemen ipſius, conſtituatur oportet.

III.

CRANEI ſuturæ, quo pauciores ſunt, cò capitis ualetudinem commodiorem eſſe aſſeruit libro octauo, capite 1. his uerbis. Raro autem caluaria ſolida, ſine ſuturis eſt, locis tamen æſtuoſis facilius inuenitur, & id caput firmiſsimum, atque à dolore tutiſsimum eſt ex cæteris, quo ſuturæ pauciores ſunt, cò capitis ualetudo commodior eſt. Abſurdum profectò eſt iſtud, atque à ueritate prorſus alienum uidetur; quandoquidem ad expurgandos cerebrum lædentes uapores, ſuturas fabricata eſt natura; atque quo plures, uaporibus hiſce expurgandis, uiæ, aditusq́; patent, cò ualetudo melior, atque tutior eſſe debet; cuius rei Galenus teſtis eſt, qui libro 1. de Tuēda ualetudine ad calcem ita ſcriptum reliquit. Eſt nanque cerebrum, rationalis animæ ceu domicilium, quod cùm oſſe ſolido ſit ſeptum; plurimis, maximisq́; canalibus expurgatur, primo per nares, & palatum; ſecundo per utranque aurem, tertio per caluæ commiſſuras.

Ipſe

ſiſſe uidetur Galenus libro ſexto de Morbis uulgarib. Com. 3. com. 2. qui, exercitationes ipſas, & carnium, & adipis, ac ſuccorum etiam abundantiam minuere teſtis eſt. Cuius contrarium ſentiendum uidetur, cum nanque ex ſanguinis defectu, atque ex nutrimento ad membra non attracto, uel etiam eodem immodice conſumpto, corpus exſiccetur, atque tabeſcat; è contrario, carnoſum eo attracto, ſibiq; applicito, atque aſsimilato reddatur; cùm modica exercitatio, nutrimentum ac ſanguinem ad membra potius attrahat, deducatque, quàm diſcutiat, immodica quùm non ſit, neceſſariò dicendum uidetur, modicam exercitationem, corpus nequaquam exſiccare poſſe, quin magis reficere, atque humectare. Galeni teſtimonio, qui libro de Tuenda ualetudine ſexto, docens quo pacto bilioſæ naturæ ſanæ plurimum conſeruentur, acutas exercitationes, gymnaſtarum omnium conſenſu extenuare; lentas è contrario corpus implere affirmauit.

Exercitationem *modicam, corpus ſiccare dum aſſerit Celſus, non carnem uniuerſam, exercitium ſiccare credidit, ſed uentrem tantum, ac pingue illud, quod in uentre reperitur, quoniam opima quæque concaleſacta, liqueſcunt, cætera autem membra, exercitatione, pleniora euadunt, quemadmodum apertiſſime tradidit Ariſtoteles quinta Problema-*

menſibus, non inguinibus ipſis, cucurbitulæ applicari debent, quin magis ſupernis partibus Hippocratis auctoritate quinta Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo quinquageſimo, ſcribentis. Mulieri, ſi uelis menſtrua cohibere, cucurbitulas quàm maximas ad mammas appone. Quod autem ex cucurbitulis inguinibus admotis, menſtruæ cieantur, potius quàm ſupprimantur, apertiſsime probat Galenus libro 1. ad Glauconem, capite de curatione febrium cum accidentibus, ubi animi defectus ex accidentibus curat, hæc uerba ſcribens. Menſes cùm exeunt, ſi tunc crura fortius ligentur, ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur. Atque magis adhuc aperte idem aſſeruit in libello de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem, ubi ex profeſſo de ſanguine in uteri inflammatione mittendo uerba facit, ita ſcribens. Porrò uteri inflammationes, magis etiam quàm renum, à uenis in crure ſectis iuuantur; nam, quæ ex cubito fiunt uacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum, nempe, quod purgationes comprimant, ſanguinemq; ad ſuperiores corporis partes retrahant; quæ uero fiunt ex cruribus, tantum abeſt, ut retrahant, ut etiam menſes promoueant.

MENSIRVA *ſi ſuperflue purgentur, remedio ſunt cucurbitulæ, cute inciſa, inguinibus admotæ. Quoniam de hac copioſiſſime pertractatum eſt in*

Hippocraticis Contradictionibus; vbi ita Hippocrates habebat. Menſes ſi ſuperflue purgentur, cucurbitulæ inguinibus admotæ, remedio ſunt; idcirco ibi requiras, quæ hoc loco deſiderari poſſent; Id nunc tantum dicendum ſupereſt. Celſum hac ſanguinis detractione, quæ in menſium fluxu, ab inguinibus fit, licet ab ipſo ferè affecto mēbro ſit, reuulſionem exequutum eſſe; pluribus quippe argumentis, rationibusq; probat libro 2. capite 9. reuulſionem ipſam, neque à loco maxime diſtanti, neque etiam ab oppoſito, vllo modo, faciendam eſſe; ſed ab ipſomet affecto membro, ſi fieri queat, ubi ſic inquit. Si ſanguis mitti debet; ſi totius corporis cauſa ſit, ex brachio; ſi partis alicuius, ex ea ipſa parte aut certe quàm proxima; quia non vbique mitti poteſt, cùm uaſa ipſa lateant, ſed in temporibus, in brachijs, iuxta talos; eæ carnes enim partes illæ, venas nobis conſpicuas reddunt. Amp lius quoque nullam rationem, ſed uſum tantum, nos docuiſſe, ait, à loco oppoſito, & diſtanti reuulſiuam euacuationem faciendam eſſe, quoniam (inquit) partes hæ, quæ iam male habent, opportuniores ad iniuriam ſunt, ſi quid male ceſſerit, quoniam materiæ eò traducuntur. Atque hanc eandem de reuulſione ſententiam ſequēti capite, cucurbitulæ applicandæ exemplo corroborat, quæ ad extrahendum ab aliqua læſa parte ſanguinem, non ad contraria, neque alijs admouentur particulis, ſed in ipſamet, cui uitium ineſt; Quæ quidem opinio, licet Galeni ſentētiæ maxime aduerſa

ſa ſit, qui & libro 4. Therapeu. Methodi, capite 6. & libro 13. capite 3. & libro 14. capite octauo, nec non & lib. ſexto de Morbis vulgaribus ſect. 6. com. 16. atque alibi frequentiſſime, reuulſionem ad partem maxime oppoſitam faciendam eſſe docuit; quo autem pacto ſecta poplitis vena, licet ad maxime oppoſitam partem non ſit, menſtruorum ſuperfluam purgationem quandoque reuellere queat, dictum copioſiſſime eſt, dum examinata eſt Hippocratis contradictio, quæ habebat. Menſes ſi ſuperflue purgentur, cucurbitulas inguinibus admotas remedio eſſe. quod etiam hoc loco fortaſſe Celſus voluit, à cæteris omnibus in hoc diſſidens, quod, hic, reuulſionem ſemper per propinqua membra, faciendam eſſe voluit; cæteri vero græci omnes ad maxime oppoſitam partem fieri debere ſuadent. Hoc tamen pacto (quemadmodum dictum eſt) diſſoluendum eſt paradoxon hoc; vt, quoniam reuulſionem, per propinqua, faciendam eſſe, opinatur Celſus, idcirco in ſuperfluo menſium fluxu, inguinibus admouendas eſſe cucurbitulas hortatur. Quo pacto autem intelligi debeat Celſus, & vtra harum opinionum, de reuulſione facienda, potior ſit; aliàs fauente Deo, antitheſeis auctorum, ſeu Contradictiones, quibus inuicem diſſident, pertractantes, examinabimus, atque perpendemus.

VI.

NVCEM amaram, frigidam eſſe arbitratus eſt libro 3. capite 10. ubi remedia in fe-

bribus poſuit ad capitis dolorem, præcordiorumq; inflammationem, atque ariditatem, ſcabritiemq; linguæ, & inquit. Si capitis dolores ſunt, roſam cum aceto miſcere oportet, & in id ingerere; deinde habere duo piracia, quæ latitudinem frontis longitudinemq; æquent; ex his inuicem alterum in aceto, & roſa habere, alterum in fronte; aut intinctam ijſdem lanam ſuccidam imponere. Si roſa ipſa lædit, oleo acerbo; ſi iſta parum iuuant, teri poteſt, uel iris arida, uel nuces amaræ, uel quælibet herba ex refrigerantibus. Cuius oppoſitum credendum eſt; amaror nanque, cum omnium doctorum conſenſu (uno fortaſſe Auerrhoe excepto) caliditatem indicet, amaraq; ferè ſingula, ab immodico naſci calore, atque immodice calida eſſe teſtatus fuerit Galenus lib. 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 9. 15. & 19. atque alibi frequentiſsime nux ipſa amara, non frigida, ſed calida potius habenda erit.

PARADOXON *hoc, facile ſatis diſſolui poſſet, ſi genuinam, atque germanam hanc eſſe Celſi ſententiam, conſtanter teneremus, amaras nuces frigidas eſſe. Verum quia nullibi ab ipſo, neque à Galeno, alijs'ue fortaſſe ſcriptum eſt, amaram qualitatem, uel frigidam eſſe, uel frigiditatē nobis indicare poſſe. Auerrhoe excepto, qui libro quinto Collectorum ſuorum capite 27. amarum omne, non caloris abundan*

tia

tia, ſed interdum frigore nimio, fieri oſtendit, opij, atque cicutæ exemplo, quæ eximie amara eſſe aperte guſtus docet; frigdiſſima tamen eſſe, tū experimento, tum auctorum teſtimonio comprobantur. Quam controuerſiam in meis auctorum antitheſibus fuſius pertractabo. Quando itaque eadem uerborum ſerie, atque non diſſimili pollentem ui, aridam iridem, capiti à calida cauſa dolenti, admouendam eſſe ſuadet Celſus; cui facultatem ineſſe calefacientem, atque attenuantem aſſeruit Dioſcorides libro 1. capite 1. atque eiuſdem (uti dictum eſt) cum iride facultatis, amaram nucem eſſe affirmauerit, nullo pacto refrigerantem; amaram nucem, conſtituere uidetur, quemadmodum, neque iridem ipſam, potiſſimumq́; dum ſicca eſt, qualem ipſe ſcribit; ſiccum etenim omne, quod etiam calidum eſt, uiridi eſt ualentius Galeni teſtimonio libro 4. de Tuenda ualetudine in compoſitione Dioſpolitici; & libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi de his agit, qui ex ſtomacho caput dolent, rutæ exemplo, quibus locis ſiccam rutam, uirenti, longe calidiorem eſſe ſtatuit. Quapropter ſi Celſi dogmatibus inniti uoluerimus, amaramq́; nucem, calidam eſſe ſtatuamus, prout ſingula amara ab ipſo creduntur; correctoris potius, quàm conciliatoris officio fungi; impreſſorumq́; mendum fateri, hoc loco, neceſſe nobis erit. Facilis itaque impreſſorum lapſus eſſe potuit, qui, uice dictionis, cum, repoſuerint, ex, aut loco dictionis, uel, dictionem, cum, ſcripſerint. Qua-

re uerba hac, qua ſic habent. Si roſa ipſa lædit, oleo acerbo, ſi iſta parum iuuant, teri poteſt, uel iris arida, uel nuces amaræ, uel qualibet herba ex refrigerantibus; iudicio meo hoc pacto, ſcribenda eſſent. Si roſa ipſa lædit, oleo acerbo; ſi iſta parum iuuant, teri poteſt uel iris arida, uel nuces amaræ, uel quali bet herba cum refrigerantibus. Vel ſic. Si roſa ipſa lædit, oleo acerbo; ſi iſta parum iuuant, teri poteſt, uel iris arida, uel nuces amaræ, cum qualibet herba ex refrigerantibus, quæ lectio eadem, cum ſuperiori eſt. Veritas autem huius rei, ex hiſce, quæ inferius ſcripſit, facile colligi poteſt; ſubdidit quippe; quorum quidlibet ex aceto impoſitum, dolorem minuit; ſed magis aliud in alio, quaſi his uerbis innuere uoluerit; ſi frigida non conferunt, roſa ſcilicet, oleum'ue acerbum, calefacientia quædam ipſis immiſceas, quo faciliorem aditum illis præbeant, penetrationemq́; præſtent. Cuius rei, & tale exemplum poſuit; iuuat enim (inquit) panis cum papauere iniectus; panis autem Galeni teſtimonio in libello de Salubri Diæta com. 2. calefacit & exſiccat; papauer uero, frigidum omnium conſenſu conſtituitur; quare, calidorum cum frigidioribus miſcella, apertiſſime conſtat. Atque idcirco Galenus quoque libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite 1. vbi ex Archigene, de curatione doloris capitis vitio ſtomachi egit, idem medicamentum nobis deſcribens, amaris utitur amigdalis delibratis, frigidioribus alijs admiſcens. Amplius animaduer

tendum eſt, ſolutionem paradoxi iſtius, ex ipſomet Celſo, facilemq́; ſatis elici poſſe. Vltimo nanque capite ſecundi libri, ea enumerans, quæ ſine frigore reprimunt, amaras etiam nuces recenſuit, his uerbis. Sine frigore autem reprimunt, cocta mala cydonia, malicorium, aqua calida, in qua uerbenæ coctæ ſint, quas ſupra propoſui; puluis uel ex fece uini, uel ex mirti folijs, amaræ nuces &c. Quare licet, & calidæ, & amaræ ab ipſo conſtituantur nuces amaræ, uim tamen, doloris capitis reprimere, ſortitas eſſe inquit. Quo autem pacto, amarum quæ calida facultate ſunt, efficere illud queant, dicamus, amarum ſaporem, terrenæ eſſe eſſentiæ, à largo calore extenuatæ Galeni teſtimonio libro 5. de Simplicium medicamentornm facultatibus, capite de Abrotono; atque idcirco non calidam modo uim ſortita ſunt amara ipſa, uerum etiam terreſtrem, ſiccamq́;. Licet itaque non ob calidas partes, terreſtris tamen ſubſtantiæ, ſiccæq́; partis ratione, adſtringere atque reprimere amara poterunt; quare & amaræ nuces, abſque frigore reprimentes cùm ſint, propter ſiccas, terreſtresq́; earum partes, non immeritò capitis dolori prodeſſe poterunt.

VII.

OCVLIS lippientibus, panem ex lacte exhibuit libro 6. capite 6. in hæc uerba ſcribens. Neque tamen in lippientibus longum ieiunium neceſſarium eſt, ne pituita tenuior, atque acrior fiat; ſed ſecundo die, dari debet id,

quod leuiſsimum uideri poteſt ex his, quæ pituitam faciunt craſsiorem, qualia ſunt oua ſorbilia; ſi minor uis urget, pulticula quoque, aut panis ex lacte. Quod aduerſari uidetur communi omnium ſententiæ; ſi nanque lippitudo, ex malo capitis affectu ortum trahat, atque lac ſuis uaporibus caput facillime petat, maleq́; afficiat; lippientibus ipſis oculis, non admodum commodum eſſe lac, conſtituendum eſt.

LIPPITVDINI, *non cuicunque; ſed ſiccatã tum, ab acribus procreatæ ſuccis, panis lacti infuſus, remedio eſſe poterit, quia ſuccorum obtundit acredinem lac, hebetatq́;. Celſusq́; id remedij genus proponens, lippitudinis, & inflammationis, ab acri pituita ortæ curationem edocuit; lippientibusq́; longum ieiunium neceſſarium non eſt (inquit) ne pituita tenuior, atque acrior fiat. ſed ſecundo die dari debet, quod leuiſſimum videri poteſt ex his, quæ pituitam faciunt craſſiorem, qualia ſunt oua ſorbilia; ſi minor uis urget, pulticula quoque, aut panis ex lacte. Lac quoque potui dãdum eſſe præcepit, quò acria, quæ læſerunt, leniantur; eodem libro & cap. de carbunculis oculorum agens, nec non & in φθιρίασι, hoc eſt pediculis palpebrarum, eadem ratione, lacte uſus eſt.*

VIII.

PINEOS nucleos ſtomacho idoneos eſſe ſcripſit libro 2. capite 23. ubi de rebus egit ſtomacho idoneis. Cuius oppoſitũ prorſus ſentien-

ſentiendũ uidetur; oleoſa quippè unctuoſaq́; ſingula, ſtomacho nequaquam commoda eſſe, ſcriptum ab omnibus doctoribus eſt, atque præcipue ab Auicenna 13.3. capite de iuuantibus, & nocentibus ſtomacho; nuclei autem pinei, huiuſcemodi cùm ſint, ſtomacho nullo pacto commodi eſſe poterunt; quos fortaſſe, & ea ratione Galenus libro 2. de Alimentorum facultatibus, non facile concoqui poſſe teſtatus eſt.

Pinei *nuclei, pro nutriente nos cibo quandoque; quandoque vero, & pro medicinali aſſumi poſſunt; dum itaque ipſos, nutrimento magis idoneos exoptamus, lotos, Galeni præcepto, comedere debemus, quo, acris, medicata, oleoſaq́; ipſorum pars, lotione abſumatur, quemadmodum docuit libro 7. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite de Cono, hoc eſt nucleo pineo; atque hoc pacto fortaſſe & Celſus; ſtomacho idoneos ipſos fatetur, dum acres ſcilicet, oleoſasq́; ex ablutione depoſuerint partes; quæ uentriculo noxiæ, ipſum labefactare, atque relaxare ualent, haud ſecus ac mora, quæ & ipſa ſtomacho noxia ſunt, capitisq́; dolorem faciunt; ſi tamen lotà ſint, quemadmodum teſtatur Galenus libro 2. de Alimentorum facultatibus capite de rubi fructibus, inculpata redduntur; quod etiam in cæteris pariter faciundum eſſe docuit.*

PLEVRE-

IX.

Plevresim in qua ſanguis expuitur, grauiorem eſſe uoluit, in qua pituita expurgatur libro 4. capite ſexto. Contrarium cuius prorſus tenendum eſt; quùm etenim ſuccorum omnium mitiſsimus, atque benigniſsimus, ſit ſanguis, mitior quoque atque benignior pleureſis ipſa ex ſanguine, quàm ex pituita eſſe debet. Quod etiam Galenum affirmaſſe conſtat libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 3. cõmento ultimo, pleureſim illam, mitem eſſe ſcribentem, in qua cruenta eijciuntur ſputa. Quod libro quoque 2. Prognoſticorum com. 46. his uerbis aſſeruit. Sæpe enim demonſtratum iam eſt, & decumbentes membris quibuſdam fluxiones, inflammationes, ſacrum ignem, oedemata, ſcyrrhos, cancrum committentes, pro diſcrimine exuperantium humorum, indulgentiores, ac maleficentiores euadere. Hippocrates præterea apertiſsime libro 2. de Morbis, ſanguineam pleureſim, in qua cruenta reiiciuntur, biliosa mitiorem eſſe ſcripſit, niſi ruptiones æger habeat; ſin minus, doloroſior quidem eſt, ſed non lætalior. Quod ſi biliosa mitior eſt, ab acriori ſucco, quàm pituita genita, multo itaque magis, pituitoſa erit mitior, cùm nec mordax adeo, ueluti bilis, mobilis'ue ſuccus pituita ſit.

Non *quicunque lateralis morbus, in quo ſanguis*

guis expuitur, eo grauior eſt, in quo pituita; ſed is tantum, qui validus, ac doloroſus exiſtit, quem etiam letalem eſſe ſcripſit Galenus, quoniam ſi quæ, minori debent eſſe nobis nocumento, magis lædant; non abſque ratione, graue quid, ea, nobis oſtentant, atque prænuntiant auctore Galeno 2. Aphoriſmorum ſectione com. 1. & libro 1. de Morbis vulgaribus Com. 3. Poteſt etiam & alia ratione, pleureſis, in qua ſanguis, ea, in qua pituita expuitur, grauior eſſe, quoniam Hippocrates in libro de Locis in homine, ſanguinem, cùm morbum facit, dolorem exhibere ſcripſit, pituitam autem, grauitatem vt plurimum; quanto itaque dolor, grauitate ipſa grauior, eſt, atque moleſtior eò ſanguinea pleureſis, pituitoſa erit acerbior.

X.

POMIS ab ipſis, minimam inflammationem fieri ſcripſit libro 2. capite 25. ubi de his egit quæ inflationem læuant, in hæc uerba ſcribens. Minima inflatio fit ex uenatione, aucupio, piſcibus, pomis, oleis, conchiliis, ouis uel mollibus, uel ſorbilibus, uino uetere. Cuius oppoſitum manifeſtum nobis eſt; flatuoſiſsima nanque ſunt poma; atque huiuſcemodi, omnium conſenſu creduntur; experientia etiam id comprobante; nam ſi in ignem decoquenda immiſeris poma, ipſorum flatus copioſus eſt adeo, ut ignem quandoque etiam extinguant.

POMIS *ab ipſis, minimam in nobis inflationem fieri, à veritate prorſus alienum non eſt; ſi ipſa prius igni incocta mandamus; in quo omnem ſuum depoſuerint, atque conſumpſerint flatum. Minimum itaque habebunt flatum, ſi decocta fuerint, quæ alioqui ſumme flatuoſa exiſtunt.*

XI.

SANGVINIS miſsione, tutò curari tenet, firmum puerum, robuſtum ſenem, atque grauidam mulierem ualentem lib. 2. capite 9. ubi de ſanguinis detractione per uenas egit, his uerbis. Antiqui primam, ultimamque ætatem, ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerantq; ſibi, mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet abortum eſſe facturam; poſtea uero uſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliasq; potiores obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat; intereſt enim, non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur; ſed quæ uires ſint; firmus puer &, robuſtus ſenex, & grauida mulier ualens, tutò curantur. Durum id ſatis uidetur, neque à medicis ullo pacto obſeruandum, quandoquidem ut ab ipſis incipiã pueris. Galenus in libello de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem; ipſos, ante decimumquartum ætatis annum, nequaquam flobotomandos præcipit, ob ſubſtantiæ eorum molliciem, eius ipſius diſsipationem, atque

exinde

exinde uiriũ diſſolutionem metuens. De ſeni bus uero, pariter dicẽdum eſt; quùm etenim in ſanguinis miſsione, non modo præſentes ægro tantium uires, uerum etiam quales poſt miſſum ſanguinem futuræ ſint, proſpicere debea mus; apud omnes apertiſsimum eſt, quantumcunque uirium robur in ſene reperiatur, illud facile dilabi poſſe; ſcriptum nanque à Galeno eſt in libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem, dum duos mittendi ſanguinis ſco pos, ſatis eſſe, probare nititur; morbi ſcilicet magnitudinem, & uirium robur, ætatem ſeni lem, ſub uirium uerbo comprehendi ubi ſic inquit. Verum ſenum ætas, in uirium uerbo comprehendi poteſt; nulli enim, qui ea ætate eſt, robur ineſt. Quod etiam confirmaſſe uiſus eſt 2. Aphoriſmorum ſectione com. 34. ſenibus omne accidens, periculoſum eſſe ſcribens, propter uirtutis imbecillitatem. Quod repetitum quoque ab ipſo eſt ſect. 7. aphoriſ. 41. Quare ſenes ipſos, tum propter eorum imbecillitatem, tum propter natiui caloris extinctionem, flobotomare ueretur. Moribundum enim ſenem, præcipitat, quiſquis reliquum ui tæ calorem cum ſanguine profundit. Quod etiam apertiſsime adhuc libro 4. de Ratione ui ctus in morbis acutis com. 19. aſſeruit, inquiens, nec puerum, nec ſenem, ſanguinis detractionem ſuſtinere, etiam ſi graui laborent morbo.

hac conſtituti ſunt ætate, pueris; atque infantibus ipſis, ſanguinis miſſionem imperaret Celſus, non de pleniore illa, veteribusq́; conſueta; ſed de diminuta, quàm tenella illa ætas admittere ualeat, audiendum eſt; nam moderatam quidem, quæ tum uiribus, tum plenitudini aut par, aut inferior etiam ſit; pro eo ipſo quantulocunque ſunt præditi modo, facile utique ferrent. quemadmodum ipſemet Galenus libro de ſanguinis miſſione, pueris parce, & moderate detrahendum eſſe ſuaſit; minus (inquiens) detrahimus, quàm plenitudo commonet, quod ad ætates attinet, in pueris; quod ad corporis habitus, in candidis; & quibus mollis teneraq́; caro eſt. Sic AuenZoar filio ſuo trimo, utiliter uenam ſecuiſſe refert (ſi tamen credere dignum eſt) Quod tamen experimur quandoque, cùm uideamus ſponte naturæ, pueris, atque infantibus lactentibus, ſanguinem abunde prodire è naribus nulla corporis, aut uirium iactura. Viribus itaque ſi prædita ſit puerorum ætas, cur ad illarum proportionem, uacuare etiam non poſſumus? cùm præſertim εὔσαρκος, ſeu quadratus puer ſit; liberalius ac plene educatus, cui amplæ uenæ, bene cocto, puroq́; ſanguine tumeant. Et licet digeratur facile puerorum ſubſtantia; quæ tamen digerendo, inſenſibiliter euacuant, paulatim id faciunt, nec celeritate cum cauſis morbi quandoque contendere poſſunt; ſæpeq́; fit, vt interim, dum exſpectamus, ut per cutim expiret corporis moles, fluxionis, dolorisq́; impetu, puer perimatur. Requi-

incommodo uſu uenire poteſt. quando, adeo parcæ atque exiguæ ſemper, ac in quauis ætate, ſanguinis miſſiones conſuetæ ſint, vt eas, antiqui, nec ſcarificationis nomine dignati fuiſſent, quemadmodum ex plurimis Galeni locis, vbi de menſura extrahendi ſanguinem egit, euidenter conſtat. In libro nanque de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, capite 14. ad ſex uſque libras, ſanguinem quibuſdam, detractum fuiſſe ſcribit. & libro 9. Therapeutices methodi capite 4. in acutis, & continentibus febribus, uſque ad animi defectionem, mittendum eſſe tradidit. Præterea, & in libro de ſectione uenæ aduerſus Eraſiſtratheos, quoſdam fuiſſe ſcribit, qui miſſionis ſanguinis conſtitutam quandam menſuram tradiderint, eamq́; moderatam, duabus cotylis Atticis circumſcripſerint; quæ ſunt unciæ ponderales quindecim. Attica nanque cotyla, pendet uncias ponderales ſeptem cum dimidia. Parcas itaque, atque illiberales ſanguinis detractiones; quibus noſtris vtimur temporibus, & firmus puer, & robuſtus ſenex, & grauida mulier ualens, abſque aliquo incommodo ſuſtinere poterunt, cùm apud antiquos medicos, non has ipſas modo, verum etiam copioſiſſimas ſuſtinuiſſe conſtat. Parcius ergo pueris, grauidisq́; mulieribus, & ſenibus (ſi modo uires diſſolutæ non ſunt) ſanguinem demas; atque ubi caſus urget, neminem ex illis excipias, cui uena inueniri poſſit; alioqui ſcarificatis partibus carnoſis, aut admotione hirudinum, uacuationem moliaris; quoniam nulla eſt ætas,

L *uel*

uel corporis habitus, aut cruditas, uel aëris ambientis conſtitutio, quæ vbi aliqua eſt ſpes de ſalute, ſanguinis detractionem impedire poſſint; nam hæc moderari quidem poſſunt detractionis copiam; at omnino prohibere, ne aliquid detrahatur, nequaquam: ſiquidem plus poteſt uehementiſſimus affectus indicando perſuadere, quàm illa contra indicando remedium arcere.

FINIS.

CONTRADICTIONES

DVBIA, ET PARADOXA GALENI

CVM CONCILIATIONIBVS.

Nicolao Rorario auctore.

I.

ABDOMINIS muſculos, primos eſſe rectos ſcripſit libro 5. de Vſu partium, his uerbis. Cæterum octo muſculorum epigaſtrii; recti quidem duo ſecundum animalis longitudinem extant, per medium omnem uentriculum ab oſsibus pector: ad pubis oſſa portenduntur. alii uero duo tranſuerſi, uniuerſum peritoneum circumtegentes rectum cum ante dictis efficiunt angulum; reliqui quatuor, ſunt, obliqui. Euidentiſsime quoque, rectos primos poſuit, libro 6. Therapeu. methodi, capite 4. dum de ſuendo abdomine uerba fecit, ſic inquiens. Cutis extrinſecus omnibus anteſtat; hæc uero, in membranam finitur; à cute, medio circiter loco, neruea tenuitas muſculorum, quàm græci ἀπονεύρωσιν uocant, gemina tenditur, mem-

 brana-

branarum ritu, eas plerique anatomicorum, duas eſſe minime norunt, cùm & unà cohæreāt, coaleſcantq; ita, ut labor ſit, eas ſeparaſſe; & ſumma præterea ſint tenuitate; poſt has deinceps habētur duo muſculi recti, & carnoſi, qui à pectore ad ipſa pubis oſſa perueniunt. Diuerſo tamen modo, eos ſcripſit libro 5. de Locis affectis, capite ſexto, ubi de iocinoris affectibus uerba fecit, quo in loco, licet, rectos priores pinxiſſe uideatur, rectorum muſculorum tumores præter naturam, oblōgos eſſe ſcribens, atque per totum uentrem extenſos, neque obſcuram eſſe eorum dignotionem, ut pote quos, & poſitus, & figura declaret, accedente ad hæc, quod ipſi, à nullo exteriore muſculo contegantur. obliquos tamen primos eſſe declarauit, ita ſubſcribens. Sunt uero & numero quatuor, quatuor cōtēti coniugationibus; quarum prima ex muſculis conſtat rectis, per totum carneis, à pectore ad pubis oſſa aſcendentibus; reliquarum trium coniugationum muſculi, uſque ad rectorum contactum, carnea quidem parte conſtant, ubi uero illos primum attigerunt, in neruoſas membranas degenerare uidentur; quorum muſculorum prima coniugatio, à thorace, obliqua deducitur, in anteriores partes deſcendens; altera, huic contraria, ab infernis exorta partibus, obliqua ad anteriores aſcendit. huic tertia muſculorum

rum

rum coniugatio ſubiicitur, qui tranſuerſum habent poſitum, atque peritoneo, hoc eſt membranæ, quæ inteſtina continet, innittuntur. Libro quoque quinto de Adminiſtrationibus anathomicis de muſculis epigraſtrij uerba faciens, idem ſenſit; ubi, poſteaquam de his, qui à coſtis oriundi ſunt, ſermonem habuit, ſubdidit, attamen ex his quoque omnibus, prima muſculorum abdominis cõiugatio enaſcitur, obliquis fibris ad uentris anteriora porrectis. cæterum toti abdominis regioni, per inania, (græci uocant κενεῶνας καὶ λαγόνας) expanditur, tum ad ilium oſſa, tum ad inguina uterque procedit, ac pubis oſsi per membraneum, ſed ualidum tendinem, ante inguina ortum, inſeritur. (inanes uero uocantur partes quæcunque inter extremam thoracis coſtam, fæmoris oſſa habentur) quo in loco, obliquos, primos eſſe conſtatiſsime uoluit, cùm ſuperioribus locis rectos collocaſſet.

EXPERIENTIAE, *& ſenſuum fide, demonſtrationis omnis firmitas petenda eſt, inquit Galenus libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 35. & ultimo: & quæ ſenſui ſubiecta ſunt, omni alia ratione remota, ſenſu ipſo diiudicari debent. Quocirca abdominis muſculi, quo pacto ſeſe habeant, ſenſus, oculiq́; noſtri, certos nos faciunt, atque ipſa anatome iudex eſt; hæc autem (cui acquieſcere omnino debemus) primos ſingulis animalibus,*

non rectos, ſed obliquos fabricatos offert. Sunt autem hoc ordine contexti, vt à cute, & adipe, proxime duo ſequantur ex obliquis, qui utrinque à quarta, & quinta coſta nati, per uentrem oblique feruntur membranoſa tenuitate, ac denique arctiori extremo, oſſi pectinis applicantur. His proxime ſubſunt reliqui duo obliqui, ex coxarum oſſibus in aduerſi lateris coſtas adulterinas, ſeu nothas euecti. Recti hos ſequuntur, à quinta, aut ſexta coſta ſupra malum punicum, directo tractu permeantes in pubem. Omnium infimi tranſuerſi utrinque ab ilibus, iuxta lumborum muſculos externos orti, atque peritoneo ita connati, vt membranæ ſpecie, ita uentrem integant, dum in oppoſitam regionem deſinant, vt corpus, quod ex his, & peritoneo conflatum eſt, multos medicos latuerit, peritoneum eſſe exiſtimantes. Verum, quò Galeni concilientur dicta, quem, diuerſo modo, eos, pinxiſſe conſtat, dicamus, ipſum libro quinto de Vſu partium, non muſculorum abdominis ſitum, ſed numerum tantum deſignaſſe, dum inquit, binos eſſe rectos, tranſuerſos totidem, quatuor uero obliquos. Libro uero Methodi medendi ſexto, rectorum priori loco mentionem fecit; quoniam cùm ſuendi abdominis rationem (quam græci γαςρογραφίαν dicunt) edocturus eſſet, atque uulnus in abdomine medio ſupponat, rectiq; muſculi ſint, qui locum eum, ac ſitum occupent; idcirco priores eos poſuiſſe uiſus eſt, tum quoniam per illos chirurgicam operationem perficere neceſſe ſit, tum etiam, quia ab alijs non circumte-

cumtegantur, & ſint nobis admodum conſpicui, quemadmodum ex libro 5. de Locis aff ctis capite ſexto facile nobis innoteſcit, dum rectorum muſculorum tumores præter naturam, nobis facile conſpicuos eſſe oſtendit, quia à nullo alio contegantur.

II.

ABSINTHII ſuccum exhibendum eſſe ſuadet, quò edulceſcat, contemperet urq; bilis, in libro de Theriaca ad Piſonem, docens, quo pacto ipſe, theriaca, in quartana utebatur. Cuius contrarium potius credendum eſt, ex immodico nanque calore, bilis ipſa accenditur, efferueſcitque, atque quo magis feruida, eo & acrior credenda eſt; abſinthium autem calidum cùm ſit; efferueſcere magis bilem faciet; qua re, & acriorem ipſam reddet, potius quàm dulcem.

ARISTOTELES 2. *Problematum ſectione, problemate octauo, quærens, cur poſt fructuum eſitationem, vt ficuum, cæterorumq; generis eiuſdem, vel vinum merum, vel aquam ſuperbibere debeamus, quæ quidem aduerſa inter ſe ſunt; reſpondet, quia genus pomorum, calidum, & humidum, causã ſuæ generationis habet; habet enim tum ignis copiã tum humoris. Succus itaque pomi, ueluti feruorem intus per igneam partem recipiens, eo modo, quo muſtum foris, efferuet; ui tamen hebetiore; aqua uero ſuo frigore, feruorem illum frangit, atque extinguit. Hoc autem non aqua modo ſuo frigore, uerum etiam*

uinum ſuo calore, plerunque efficere poteſt; quippe quod perinde atque ignis, igni; multus, pauco, uires ſubtrahat; quibus uerbis innuit, maiorem caloris qualitatem, minoris caloris uires hebetare; quam plurimi caloris ad eundem modicum, uictoriam, & 24. Problematum ſectione, problemate 13. comprobauit, quærens, cur amplius in ſole res calidæ, quàm in umbra refrigerentur; ac præter reliquas reſponſiones, hanc attulit; quia uidelicet minor calor, à maiori abſumitur. Quibus fit, vt etiam de abſinthij ſucco, atque bile, utriſque amaris; ſi tamē hic maiori, illa uero minori quantitate extiterit, dicere ex Ariſtotele poſſimus, plurimam ſucci abſinthij quantitatem, exiguæ portionis bilis amarorem, obtundere, ac remouere poſſe. Quod ſi reſponſio hæc omnibus forſitan accepta non ſit, quæ Ariſtotelem philoſophum, non medicum auctorem habeat; idcirco, quò paradoxo huic totis uiribus ſatisfacere nitamur; aliam ex Galeno loci ſolutionem, Ariſtotelicæ etiam quoquo pacto aduerſam in medium adferamus oportet. Dicimus itaque abſinthij ſuccum, non alia ratione, bilem dulciorem reddere, atque contemperare poſſe, niſi quatenus intenſum à minus intenſo remittitur, quemadmodum Galenus docuit libro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite ſeptimo, ijs uerbis. Quippe datis duabus aquis calidis, quarum altera plus, altera minus caleat, ſi minus calentem, magis calenti miſceas, huius certe feruorem extinxeris; ſic, ſi in caliditatem roſacei,

quæ tepida eſt, ut ad temperiem humanam, caliditatem indideris humanam, prorſum ab hac, quid detrahes, & refrigerabis. Capite vero ſequenti, ita ſubinfert. *Non ergo ſtupenda magnopere res eſt, ſi quidquam eorum, quæ proprie, & per ſe ſunt calida, cum calidiore commixtum, frigidius efficere ipſum queat. Ea eſt enim communis alterabilium corporum omnium natura, ut in ſe & agant, & patiantur admota; quodq́; minus eſt calidum, à magis calido, calidius euadat; quod uero magis calidum, à minus, contra afficiatur; atque hoc pacto, cùm bilis ipſa, abſinthio longe acrior, atque amarior ſit; ab abſinthij amaritudine, amaror ipſius dulcorari, contemperari, atque remitti poterit.* Sic itaque intelligere debemus, abſinthij ſuccum, dulciorem reddere, atque contemperare bilem, (bilem autem, in hac tota uerborum ſerie, flauam ſemper intelligentes) Verum, quò, propriam uerborum Galeni ſententiã, germanamq́; mentem adhuc magis explicemus, animaduertendum eſt, ipſum, libro de Theriaca ad Piſonem, licet bilim Simpliciter ſcripſerit, non flauam intellexiſſe, quemadmodum intelligi debere, ipſe nos frequentiſſime edocuit & libro 3. de Alimentorum facultatibus, ubi de melle egit, atque alibi; ſed atram, quæ quartanam febrem conſtituit. Dum itaque bilem hanc, à ſucco abſinthij edulcorari, atque contemperari aſſeruit; accipere debemus, ipſam contemperari, uel quia ab abſinthio educatur, uel etiã quia frigiditas eius confringatur, ac temperetur; fri-

gida nanque ipſa eſt, abſinthium uero calidum conſtituitur; & quemadmodum febris ipſa quartana, à ſucco frigidiori genita, in ſui ſaltē declinatoine, ab exhibitis calidioribus, ueluti ſunt uel potentia uina, uel Zinziber, uel theriaca, uel huiuſcemodi, euaneſcit, atque finitur, propter contrariorum exhibitionem; haud ſecus & ab abſinthÿ ſucco calidiori, illius ſucci frigiditas euinci, atque contemperari poteſt; dulcorari autem bilem dixit, quaſi benigniorem, mitioremq́; ita reddi, vt ad quartanam procreandam minime apta ſit amplius.

III.

ACETVM acerrimum, caliditatem quandam in ſe habere aſſeruit libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi de his agit, quæ Apollonius ad capitis dolorem ex ebrietate, & meri potu, ſcripſit, atque eius ſic ſe habent uerba. Balneum apparandum eſt, acceptis ab eo, lactucis ex aceto; exiguo, aut omnino nullo, addito garro, uerum aqua affuſa multa, ut acetum planè exæquet, niſi omnino aquoſum ſit acetum; nam & huiuſmodi, magis quàm acerrimo, opus habent caliditatem enim in ſe, tale acetum complectitur. Oppoſitũ tamen huius ſentire uidetur libro 1. de Simplicium medicamentorũ facultatibus, vbi oſtendit; quod non omne, quod mordax eſt, tenue ſit, aut calidum, inquiens. Quocirca haud concedendum arbitror

ſtror quibuſdam, qui acetum ex tenuitate ſua, mordacitateq́;, calidum eſſe colligunt. Ex quibus inferre licet, acetum ex acredine ſua, calidum minime dicendum eſſe.

NON *leuis profectò eſt, in ſcriptis grauiſſimorum auctorum, atque præcipue ipſius Galeni, controuerſia; an calidum acetum ſit, vel frigidum; nam calidum aliquando, aliquando frigidum, quandoque etiam ex calido, & frigido commixtum ipſum eſſe pronuntiant; quam ambiguitatem, modo diſcutere non eſt propoſitum; ſed illud tantum perpendendum, atque enucleandum eſt, quo pacto veritatem ſortiri poſſint Galeni verba, quæ aliquando, acerrimum acetum, caliditatem in ſe habere innuunt; quandoque vero, caliditatem, ipſi, ex acredine, nequaquam ineſſe probant; quare controuerſiam hanc pro viribus tollentes, ne Galeni uerba inania, ſibiq́; pugnantia eſſe, quis arbitretur, dicamus oportet acetum acerrimum, caliditatem omnino in ſe habere, quemadmodum libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, aſſeruit ipſe. neque libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus (vbi probat, quod non omne, quod mordax eſt, tenue exiſtat, vel calidum) ſuum ab acri aceto calorem remouet, quinimo calidum profectò ipſum ſtatuit; diuerſa tamen (inquit ipſe) quàm quidam arbitrati ſunt ratione; non enim ex tenuitate, mordacitateq́; ſua (ſicuti dixere quidam) ſed ex putredine magis, calidum cenſeri debet, plurima nem-*

po

pe tenuia, mordaciáq́; ſunt, quæ frigida eſſe certò ſcimus, quemadmodum libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 23. in calce ab eo ſcriptum eſt. Non itaque ex partium tenuitate, neque etiam ex mordacitate, caliditatem in aceto ex Galeno inferre licet, ſed ex putredine magis; mordicationem quippè dupliciter fieri ſcripſit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 2. vel enim à frigido, vel à calido, inter vtraſque vero hoc diſcrimen poſuit, quod in illa protinus & contractionis, & condenſationis ſenſus percipitur, in hac diſſolutionis, & fuſionis. Acetum itaque acerrimum, caliditatem omnino obtinet, non ex tenuitate tamen, acredine'ue ſua, quemadmodum arbitrati ſunt plurimi, ſed quam ex putredine ſibi adſciuit.

IIII.

ACETVM nullo pacto adſtringere opinatus eſt in libro aduerſus Lycum, circa libri medium hæc uerba proferens. Verum ſanè admiratione dignum ſit; Lycum euſque rerum ignarum eſſe, ut putet, in aceto, adſtringentem ineſſe qualitatem. Cuius tamen oppoſitum habet lib. 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 20. ubi agit, quod perperam multi, cauterij inſtar, acetum pronuntiarunt calidum; quo in loco, ipſum prorſus adſtringere fatetur, dum inquit. Nec ſanè ignis ex ſua ratione, aut quod calefaciat, ipſum

ipſum ſiſtere poteſt (ſanguinem ſcilicet, ibi nanque de ſanguinis ſputo uerba facit) uerum idcirco, quia cùm urit, quæ contigerit, quod ex uſtione reliquum eſt, operculum ſubiectis partibus relinquat id, quod à græcis appellari conſueuit ἐσχάρα, latini autem cruſtam uocant. at acetum, haud perinde ut cruſtam facientia medicamenta, ſed potius, ut adſtringentia citra cruſtam, ſanguinis fluores cohibet. Ecce quo pacto, adeo ualidam in eo adſtringendi uim, hoc loco poſuit, ut ſanguinis fluxum erupto uaſe compeſcat; quam adſtringendi facultatem, ipſi quoque adſcripſiſſe uiſus eſt libro 6. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi de ſtomaticis pharmacis citra ſuccos compoſitis egit, ſic inquiens. Verum, de aceti uiribus, iam ſæpe mentionem fecimus, quod & ſiccat, & diſcutit, & repellit; ſi autem repellit, adſtringit itaque; quoniam repercuſsio ab adſtringentibus fit, uel ab his, quæ abſque adſtrictione etiam refrigerant, quemadmodum apud omnes pro confeſſo habetur; atque Galenus libro 14. Therapeutices methodi in calce, teſtatus eſt.

Acetvm, *dum libro aduerſus Lycum, nullo pacto adſtringere opinatur, dicamus, ipſum, non prorſus ab aceto adſtrictionem tollere, ſed aſſerere, tantam ei non ineſſe adſtrictionem, quantam, reliqua adſtringentia medicamenta frigidiora ſortita ſunt;*

ſunt; atque ſic acetum ipſum, inter ea medicamenta, quæ inſigni adſtrictione pollent, minime recenſendum eſſe. Amplius animaduertit nos Galenus libro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus; aliud eſſe, adſtringens quidpiam dicere, atque aliud adſtringere, vel adſtrictionem habere; quandoquidem adſtringens id dicitur, quod ſimplex eſt, & quod in ſummo tale exiſtit, veluti alumen, melantheria, ſiue atramentum ſutorium; galla, & rhus. Illud vero, quod adſtrictionis cuiuſdam eſt particeps, & adſtringere, vel adſtrictionem habere dicitur, erit, veluti pirum, malum, vinum, roſa, haud ſecus profectò ac calefaciens, quod uel ſimplex eſt, & ſummum, vt ignis, vel per exuperantiam caloris, vt ſanguis. Cum itaque adſtringens dupliciter capiatur, vel tanquam ſummum; vel tanquam illius tantum qualitatis particeps; reliquum eſt, vt acetum ipſum, nullo pacto adſtringens in ſummo eſſe, ſed adſtrictionem tantum habere fateamur, minimum nanque in aceto eſt, quod adſtringit; multis numeris, eo, quod eiuſmodi non eſt, ſuperante. Dum vero, non perinde ac cruſtam facientia medicamenta, ſed veluti adſtringentia citra cruſtam, ſanguinem fluentem compeſcere ſcribit, id, ea ratione dictum putato, non quia adſtringentiam adeo validam, aceto ineſſe affirmet, ſed vt interea diſcrimen ponat, quæ exſiccando fluentem compeſcunt ſanguinem (quemadmodum acetum eſt) & illa, quæ vrendo, idem operantur (veluti metallica ipſa).

Acetum

Acetum itaque ait, non ueluti cruſtam facientia medicamenta; ſed exſiccatione ſui ualida, uenas adſtringens, ſanguinis fluores cohibet.

V.

ACIDVM ſaporem, acrem eſſe contendit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus. Vbi agit, quod ſapores acres, omnium ſunt calidiſsimi, ita inquiens. Itaque ſi uel ex plebe quempiam roges, quod uocet edulium acre; dixerit ſanè (puto) quod fortiter, dum guſtatur, excalfacit, ueluti piper, pirethrum, naſturtium, allium, cæpe, & id genus omnia; uideturq; id ſaporum genus quùm appellatione careat propria, communi per excellentiam uſum; cum nanque & ſapor amarus, & ſapor acidus, ambo etiam acres ſint, in quocunque tamen corpore, uehementem comperimus acrimoniam, tametſi neque amarum ſit, neque acidum, acre appellare conſueuimus. Hoc refragari uidetur his, quæ de utriſque ſuccis ſeorſum ſcripſit; acida nempe paſſim Galenus frigida, atque tenuia eſſe aſſeruit; acria uero, calida, quemadmodum lib. primo de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 39. ubi ſic ſcripſit. Porrò, quæ mordicant, roduntq;, idque cum ualida quadam caliditate, acria uocantur; ſin hæc abſit, acida. Frigida quoque eſſe acida affirmat, ubi habet, quod adſtringẽtia medicamẽta, acidaq;,

licet

licet utraque qualitate ſint frigida; inde tamē diuerſa eſſe, quod adſtringentia, terreſtria, craſſæq; eſſentiæ ſint; acida uero, tenuis. Libro præterea quinto capite 26. acidum ab acri in hoc quoque differre ſcripſit, quod acidum refrigeret, acre uero excalfaciat; ad hæc, quod illud repercutiat, hoc attrahat, atque digerat. Quod etiam alibi frequentiſsime faſſus eſt, acriaq; ipſa, non calida modo, uerum etiam ignea eſſe conſtituit, quemadmodum lib. quar to de Simplicium medicamentorum facultatibus, dum ſapores acres, omnium calidiſsimos eſſe ſcripſit. Qua re cùm acria, acidaq; inter ſe uiribus ualde diſsideant, idcirco, acidus ſapor, nullo pacto acer eſſe poterit.

ACER *ſapor, dupliciter ſumi poteſt, quandoque etenim pro mordaci, igneoq́; quandoque uero pro tenui tantum, atque facile penetrabili. Non inconuenit itaque, acrem illum ſaporem, hoc eſt, illam acris ſaporis qualitatem, quæ tenuitas eſt, in acido quandoque ſucco, qui frigidus exiſtit, reperiri poſſe; atque hoc pacto acidus ſapor, acer appellari poterit, hoc eſt tenuis, atque penetrabilis qualitatis particeps, quemadmodum aſſerere uidetur, libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus. Quod autem acris hæc facultas in acido reperiatur quandoque, ex his liquidò conſtat, quæ ſcribit eodem libro 4. de Simplicium medicamentorum faculta tibus capite 7. ubi habet, acida quæcunque,*

frigida

frigida eſſe, quæ nullam aliam admixtam qualitatem, neque dulcem, neque acrem, neque etiam amaram ſortita ſint. Quibus uerbis apertum ſit, aciditate in ipſa, acredinem quandoque reperiri poſſe, quæ tamen non igneam illam, mordacem, atque ferè urentem præſeferrat qualitatem, quæ in eo, quod uere acre eſt, reperitur, quemadmodum in pipere, ac ſimilibus; ſed tenuitatem indicet, quæ facillime à guſtu percipiatur, facileq́; permeet; quemadmodum acrem dicimus eſſe limonis ſuccum; qui tamen frigidus, non calidus, urensq́; exiſtit.

VI.

ADOLESCENTIAM, omnium ætatum optimam, ac temperatam magis eſſe ſtatuit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 18. Quin, inquit, adoleſcentes, uere, quod temperatum tempus eſt, optime degunt; omne enim quod eſt, à ſimilibus quidem conſeruatur, à contrarijs uero tranſmutatur. Quod etiam libro ſexto de Tuenda ualetudine ferè in principio crediſſe uiſus èſt, ita inquiens; Optimam nanque temperiem in adoleſcentia corpus obtinet, reliquæ omnes ætates, deteriores hac ſunt. Cuius oppoſitum ſenſiſſe ipſum conſtat libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 11. dum adoleſcentulos dixit, ob ætatem; non ob uitæ ſortem, calidos eſſe, ut etiam adulti. Quam ſententiam, eodem libro corroborauit Com. 2. com. 19. ubi ait Hippocratem in textu æta-

tum calidiſsimarum meminiſſe, ſi quidem adoleſcentes (inquit) iuuenes, & adulti. Quibus locis, non temperatos, ſed calidos prorſus, atque calidiſsimos adoleſcentes ſtatuit: Deſumpſit autem ſententiam hanc ab Hippocrate, qui in libello de Diæta, calidum & ſiccum adoleſcentem fecit, cuius rei rationem reddens dixit, calidus eſt, quia ignis impetus, aquæ dominatur; ſiccus autem, quia humidum ex puero conſumptum eſt partim in augmentum corporis, partim in motum ignis, partim præ laboribus, ac exercitijs. Quas ob res, ſi calida & ſicca hæc ætas eſt ex Hippocrate in libro de Diæta; uel calidiſsima auctore Galeno lib. 1. de Morbis uulgaribus Com. 2. textu 19. optima, & temperata minime dici poterit.

ADOLESCENTIA, *quæ incipit anno decimo octauo, teſtimonio ipſius, quinta Aphoriſmorum ſectione com. 9. duratq; ad uigeſimumquintum; omnium ætatum, temperata magis dicēda eſt; quia, quæ hanc anteit, ætas, infantium ſcilicet (quæ & pueritia, & pubertate conſtituta eſt) calida, humidaq; exiſtit. Atque pueritia, ab eo, quo infans, maternum egreditur uterum, tempore incipit, & durat ad decimumquartum uſque annum; cuius prima pars; qua, neque fari, neque ingredi puer poteſt, recte infantia nominatur. Pubertas uero ex 3. Aphoriſmorum ſectione com. 27. & ex ſectione quinta com. 7. initium capit anno* XV. *& ad uigeſimum*

quintum

quintum extenditur. Hæ itaque adoleſcentiam præcedentes ætates, calido, humidoq́ uincunt, atque excellunt; principia etenim originis noſtræ, calida ſunt, & humida; ætasq́ illa, quæ origini maxime eſt propinqua, per calidum excedere, ac humidum neceſſariò dicenda eſt; quæ uerò hanc ſubſequitur ætas, quæ iuuentus eſt, atque uigor, florens, ſeu uigens ætas, & conſiſtendi tempus appellatur, & à uigeſimo quinto, ad trigeſimum quintum annum excurrit, ſimili quidem calore uiget; humiditate autem, longe eſt prædicta inferior; & licet prorſus ſicca non ſit, à mediocritate tamen ſatis abeſt; & ſi primæ conferatur ætati, ſicca iudicari poteſt; eſt tamen calida ſatis, parceq́ humida; quam etiam Galenus biliosiſſimam omnium credidit, libro 2. de differ. febrium capite 1. Quare, & tertianas febres in hac maxime ætate fieri ſcripſit. Quæ huic ſuccedit, conſtans, & media à Cicerone in libro de Senectute appellatur, quia inter iuuentutem, & ſenectutem ſit media, græcis καθεστηκύα dicta, & παρακμεὶ, καὶ παρακμαστικεὶ; hoc eſt declinans, ſeu decreſcens, quemadmodum 3. Aphoriſmorũ ſectione com. 30. & lib. quinto de Tuẽdâ ualetudine, capite ultimo teſtatur Galenus: ſic autem nominata, quod in ea uires decreſcere incipiant; uocatur quoque iiſdem ἀνδρία. hoc eſt uirilis ætas, incipitq́ anno trigeſimo quinto, & finitur quadrageſimo nono; vt uix annum attingat quinquageſimum. Inde ſenectus incipit, cuius tres ſunt partes auctore Galeno libro quinto de Tuen

da ualetudine; cuius prima pars incipit anno quin- quageſimo, & ad ſexageſimum durat; eorumq́; eſt, qui ὠμογέροντες, hoc eſt, uiridi ſenectæ præditi, di- cuntur; quod ciuilia adhuc obire negocia queant. Secunda eſt, eorum qui ciuilia munia, propter ui- rium imbecillitatem obire haud ualent; & incipit anno ſexageſimo, & in ſeptuageſimum portenditur, quæ frigidum corpus modice, ſiccumq́; efficit. Om- nium poſtrema, & uitam claudens, eſt ætas decre- pita, vel vltimum ſenium, quæ frigidiſſima, atque ſicciſſima eſt, quam Galenus, in calce libri quinti de Tuenda valetudine πέμπελον uocat ἀπὸ τῦ πέμπε- σθαι τὴν εἰς ἅδου, hoc eſt à mittendo in pompam, quæ ducit ad manes. Quibus conſtat, adoleſcentiam ipſam, quæ à decimo octauo, ad uigeſimum quintum comprehenditur, alijs comparatam ætatibus, tem- peratam eſſe, quia ab extremis, cæterarum om- nium, qualitatibus diſtat. Quod ſi calida, & ſic- ca quandoque adoleſcentia dicatur, veluti libro 1. Epidemiarum Hippocratem ipſam appellaſſe con- ſtat, atque in aphoriſmis Galenum; ea ratione ſic dictam ab ipſis putato, quia neque frigida ſit, quem- admodum eam ſequentes ætates, frigidæ ſunt, pri- ma videlicet ſenectus, vltimumq́; ſenium; neque humida, veluti pueritia; atque idcirco ipſam, magis quàm pueritiã, comitiali morbo, auxilio eſſe fatetur. Animaduertendum præterea eſt, quandoque calidũ id dici, auctore Galeno libro 3. de Simplicium medi- camentorum facultatibus, quod temperatum eſt.

Adſtringentia

VII.

ADSTRINGENTIA omnia, frigidæ facultatis eſſe aſſeruit libro ſexto de Simpliciũ medicamentorum facultatibus, de balauſtio uerba faciens, atque in hunc modum ſcribens. Si quidem memores ſumus, eorum, quæ in quarto horum commẽtariorum ſunt prodita, ubi oſtendimus, omne adſtringens terreſtre, eſſe frigidum. Contrariam cuius ſententiam alibi protulit, adſtringentia non omnia refrigerare inquiens; ueluti libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de chalcitide exemplum præbuit, calcantho, & myſi; quæ ualenter (inquit) adſtringunt; tantam tamen aſſequuta ſunt caliditatem, ut nos etiam exurant.

ADSTRINGENTIA *omnia, frigidæ facultatis eſſe, quemadmodum ſcripſit libro ſexto de Simplicium medicamentorum facultatibus, à veritate alienum non eſt; ſi tamen adſtringens illud, terreſtre tantum ſit, neque aliam in ſe comprehendat qualitatem, frigidæ nanque prorſus facultatis eſſe, adſtringentia illa nequeunt, quæ non adſtringenti modo vi pollent, verum & aliam ſecum admixtam facultatem obtinent, veluti eſt calchantum, chalcitis, & myſi; quæ, præter adſtringentes terreſtres partes, habent & igneas quaſdam non mediocres, ſibi adiunctas; quæ idcirco non prorſus refrigerare dicenda ſunt. Solutio autem hæc à Galeno accepta*

eſt libro tertio de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 15. quo in loco in uno, eodemq́; medicamento, plures, easq́; contrarias facultates reperiri poſſe aſſeruit. braſſicæ exemplo, quæ duas, easq́; ſibi aduerſas facultates obtinet; probauitq́; adſtringentia quædam, alias quoque qualitates, ſecum habere adiunctas; atque in capitis calce, de Roſa verba faciens, ſic inquit. Cæterum, quod & in his quoque probabile ſit, quatuor illa ineſſe genera, proprium ipſius ſucci videlicet, & tria excrementa, intellectu clarum eſt, ac potiſſimum, quia qualitas earum ſimplex non eſt, imo adſtrictionem quoque quandam obtinere videtur, ſi roſam dentibus mandere voles; habet autem & dulcedinem, & amaritudinem, quaſiq́; mordicationem quandam leuem; uerum ſatis erat, etiam ſi nihil horum guſtantibus deprehendi poſſet, ex eo tamen, quod non extreme adſtringat, aliorum quoque ſaporum mixturam intelligere; etenim ſi ſolus ſit auſterus, ſummus itidem fuerit; at ſi non ſummus, ſequitur, quod neque etiam ſolus. Pari itaque modo de adſtringenti dicendum; quando non ſola adeſt adſtrictio, ergo neque ſumma eſt; ſi non ſumma, alijs itaque qualitatibus etiam admixta, quarum qualitatum omniū, uim exprimere eſt neceſſe. Hoc itaque pacto verum erit, adſtringentia non omnia refrigerare, quæ ſcilicet in ſummo non adſtringunt, & quæ non ſolum adſtringentem qualitatem ſecum habent, veluti ſunt chalcitis, calchanthum, & myſi, quæ etiam

non

non proprie adſtringentia, (quum alias quoque qualitates ſecum admixtas habeant) quin magis, adſtrictionem habere dicenda ſunt. Non diſſimilem quoque huius rei declarationem ab ipſomet habemus eodem libro tertio de Simplicium medicamentorum facultatibus; ubi agit, quum ob rem, lingua, tangentibus ipſam diſſimilaribus corporibus, ac per diuerſas eius partes ſimul agentibus; illa tamen, nō, quam, in omnes partes inferunt, percipit affectionem, ſed ea, ex parte primo affecta, in totam ipſius diffunditur ſubſtantiam; in calce capitis, hæc verba profert. Ne quis ergo putet, nihil referre, adſtringentem ſuccum dicas, an adſtrictionem habere; nam adſtrictio, vna res, intelligitur; adſtringens vero duplex; ſicuti nanque calefaciens, partim ſimplex, & ſummum, vt ignis; partim per exuperantiam caloris, vt ſanguis, ſic adſtringens quoque, aliud ſummum eſt, veluti exempli gratia alumen, & melantheria, ſiue atramentum ſutorium, & galla, & rhus. aliud, quia adſtrictionis cuiuſdam eſt particeps, ueluti pirum, malum, uinum, roſa. Qua re adſtringentia ea, quæ uere adſtringentia ſunt, frigida prorſus exiſtunt, quippè quæ, non alias, ſed ſolas terreſtres partes habent. quæ uero, alias quoque ſecum admixtas obtinent facultates, non frigida modo, quin etiam calida, ſimul atque urentia eſſe poterunt.

VIII.

ADSTRINGENTEM qualitatem, non modo nihil ad alui ſubductionem conferre, uerum etiam ſuapte natura, uentrem conſtipare affirmat libro ſecundo de Alimentis, capite de Sycaminis, quæ & mora appellantur. Quod etiam repetitum ab eo eſt capite de malis. Amplius & libro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus, ubi agit, quod & braſsica, duas, easque contrarias, in ſeſe facultates obtinet, inquiens. Ergo citra controuerſiam, omnes propemodum, adſtringẽs, contrarium ei, quod purgat, eſſe ſtatuunt. Sic etiam uoluit libro octauo Therapeutices methodi capite 2. ubi de ptiſanæ facultatibus uerba fecit, ſcribens. Quæ enim per aluũ, excrementorum deiectiones ſunt, eas, adſtringentia retinere ſolent. Idem & de uino adſtringenti ſermonem habens 2. Aphoriſmorum ſect. com. 20. opinatus eſt. Contrarium cuius alibi ſenſit; libro nanque ſexto de Tuenda ualetudine, ubi de frigidis naturis loquutus eſt, adſtringentia, euacuare manifeſtiſsime prodidit, his uerbis. Adſtringentium uſus, quibus os uentriculi imbecillum eſt, adeo aluum non comprimit, ut etiam ad deijciẽdum conducat, illud enim roborat. Quod etiam confirmauit libro 2. de Alimentorum facultatibus, ubi egit, quo modo fiat, ut eſus pomorum, aut pi-

rorum

rorum adſtringentium, uentrem quibuſdam deijciat, inquiens. Adſtringentia poſtremo loco ſumpta, ijs potiſsimum, qui ſtomachum habent imbecillum, deiectionis ſunt cauſa, uentriculum roborantia.

ADSTRINGENS *qualitas, uentrem quandoque conſtipare, quandoque etiam deijcere poterit, ſi diuerſis temporibus, in corpus ingeſta fuerint adſtringentia; atque ſic utrobique, & ſecundo libro de Alimentorum facultatibus, atque libro ſexto de Tuenda ualetudine; uera dixiſſe Galenum, fateamur oportet. Hoc autem pacto ſe res habet, Ventrem compeſcere adſtringentia dicuntur, dum præ alijs cibis manduntur, infernum quippè uentriculi os claudunt, coarctant, atque adſtringunt, ingeſtorumq́ue uelocem impediunt exitum. Subducunt autem, ac uentrem ſoluere poſſunt, ſi poſtremo edantur, cibos uidelicet comprimendo, atque ea ratione deijciendo. Vel etiã aluum deijcere poterunt, dum uẽtriculum ipſum (quibus imbecillis eſt) roborãt, quemadmodum à Galeno libro 2. de Alimẽtorum facultatibus capite 22. in calce, apertiſſime ſcriptum eſt, ubi agit, quo modo fiat, ut eſus pomorum, aut pirorum adſtringentium, uentrem quibuſdam deijciat. Aëtius quoque rem hanc, pulcherrime enodauit, atque quando adſtringentia ſupprimant, & quando uentrem ſubducant, edocuit ſerm. 1. ubi de malis egit, in hæc uerba ſcribens. Nam adſtringentia, quantum in ipſis eſt, ſupprimunt infernas excretiones, acida*

autem

autem cient. cùm igitur ſuſpicio fuerit craſſum inuẽtre humorem collectum eſſe, non ualde frigidum, hæc exhibebis, nam & hunc diſſecant, & inferne ſubducunt, & propterea excrementa humectant. Vbi uero purum repererint uentriculum, ipſum amplius ſupprimunt.

IX.

AEGRITVDINIBVS in longis, per ſuperiora, purgationem moliendam eſſe ſuaſit, inferiori parte, adhibita, acutis, in Introductorio, capite de curationis per medicamenta diuiſione. Quod uidetur etiam tenere Hippocrates in libello de Salubri diæta, textu 15. ſex menſes hybernos, uomendum eſſe præcipiens; hoc enim tempus (inquit) pituitoſius eſt æſtiuo. ex quibus inferre licet, hyberno tempore, in quo longiores ægritudines uigent (pituitoſiori nempe in tempore genitæ) uomendum eſſe. Quam ſententiam Cornelius Celſus quoque libro 1. capite 3. his uerbis expreſsit, Vomitus utilior eſt hyeme, quàm æſtate; nam tum, & pituitæ plus, & capitis grauitas maior ſubeſt. Contrarium cuius tenendum eſſe uidetur, diuturnæ nanque ægritudines cùm ab humoribus potiſsimum oriantur frigidis, ac craſsis; pituitoſioribus; quorum peculiare, præcipuumque eſt, magis deorſum niti, & ad imum confluere, quàm ad ſuperna moueri, ueluti bilioſi faciunt ſucci, calidi, tenuesque

nueſque cùm ſint. Idcirco, quando pronoxiorum humorum motum, eorundem quoque euacuationes facere opus ſit, ex Hippocratis ſententia ſcribentis 1. Aphoriſmorum ſect. aphoriſmo 21. Quæ ducenda ſunt, per conuenientes regiones ducere oportet; uideretur profectò, diuturnis in ægritudinibus, per inferna potius tentãdam purgationem eſſe, cùm grauiores dominentur ſucci; in acutis uero, breuioribusq;, per ſuperna, ſcribente etiam eodem Hippocrate 4. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 4. Medicari æſtate, ſuperiores magis, hyeme uero inferiores. Quod etiam ipſum aſſeruiſſe liquidò conſtat, eadem met ſectione, aphoriſmo ſexto, dum ſcripſit, Graciles, & facile uomentes, purgandos per ſuperiora, cauentes hyemem; è contrario autem per inferiora, horum contrarij, à quibus ægritudines diuturnæ fiunt, educendi erunt. Atque magis adhuc aperte, illud nobis patefecit Galenus, dum eodem commento quarto, ſectionis quartæ, ita ſcriptum reliquit. Recte æſtate purgat ſuperius, quoniam, & qui tunc humor exuberat, flaua bilis eſt. Eodem modo & commento ſexto, ubi in textu habet Hippocrates. Melancholicos autẽ plenius, per inferiora, eadem ratione contraria apponentes, ita in cõmento habet Galenus. Quia uero ad inferiora declinat hic humor, non ſine ratione, ipſum iubet,

iubet, per uentrem inferiorem euácuari, ſicu ti flauam bilem per ſuperiorem, cùm leuis ſit humor, ac ſponte continuò fluitet. Quod etiam commento 17. affirmauit. Fauet autem huic opinioni, & Aëtius ſermone 12. cap. 32. Vbi de curatione eorũ agit, qui ob pituitæ influxum ægrotant; pituitæ familiariorem uiam, minusq; periculoſam eſſe, per inteſtina, euacuationem, apertiſsime ſcribens.

DVM *ægritudinibus in diuturnis, purgationem per ſuperiora moliendam eſſe docet; id non ad propulſandos, curandos'ue longiores morbos factum dicamus; quia potius ad eos præcauendos, cauſam ipſorum reſpiciens, pituitam uidelicet, quæ diuturnorum morborum occaſio eſt, quam (dum in uentriculo congeritur, priusquam ad uenas pertranſeat) uomitu purgandam præcipit. Atque hac de cauſa fortaſſe Hippocrates in libello de Salubri diæta (licet ibi de ſanis præcipue uerba faciat) ſex menſes hybernos uomendum eſſe hortatur; eo quippe anni tempore, pituita exuberat, quæ dum in uentriculo coaceruatur, periculum adfert, ne ea oppletæ uenæ, diuturnos morbos pariant. Chronicarum præterea, ſeu diuturnarum ægritudinum materia, cùm non niſi ſatis ualido atque uiolento pharmaco educi ualeat, (quo non continuò uti fas eſt) neceſſitate ſæpenumero cogimur; expetit natura, & ægritudines conſentiunt, quo talis materia educatur, fortes ciendos eſſe uomitus. Quo autem pacto ueritatem habere poſſit, quod*

ſecundo

ſecundo dixit loco, inferiorem ſcilicet purgationem, acutis adhibendam eſſe, hoc opus hic labor eſt; tenues quippe ſucci, per ſuperiora facilius, quàm per inferiora moueri conſtat; atque undecunque natura repit, per conuenientes regiones, eò ducere opus eſt. Cui dubio hoc pacto reſponderi poteſt; purgationem in acutis per inferiora moliendam eſſe, quoniam acutis in ægritudinibus inflammatum corpus eſt, & per ualidiores motus lædi paratum. Quo fit, vt vomitus, qui ualidus motus eſt, in inflammatis propter acutas febres corporibus, abſque inſigni læſione adminiſtrari minime queat. Acutis itaque in morbis, qui à tenuiore materia ortum trahunt, quæ & facile educitur, neque pharmaco rebellis admodum eſt, ne ualidiori motu, quemadmodum uomitus eſt, inflammentur corpora, idcirco eductio per inferna, commodius quàm per ſuperna fieri poteſt. Dicere quoque poſſumus, geminas haſce ſententias, ſuum ſortiri effectum, non dum corpus uniuerſum, ſed dum particulare tantum aliquod membrum purgare neceſſe eſt; quemadmodum ubi uentriculus pituita leuandus eſt, quoniam, niſi aliud obſtiterit, eam, hyberno etiam tempore, per uomitum educere licebit; pari ratione ſi flaua bilis, in inteſtinis tantum hæſerit, per inferiora, æſtate etiam ipſa, purgare abſurdum non erit. Poſſumus quoque & ita loca Hippocratis intelligere, dicentes ipſum quarta Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo quarto, de ijs medicamentis diſſerere, quæ purgant; quibus medicari

æſtate

æſtate ſuperiores magis, hyeme uero inferiores liceat: libro uero de Diæta ſalubri, de iis euacuationibus lo qui, quæ citra purgantia medicamenta fiunt, atque de iis, quæ (uti dictum eſt) uniuerſum non euacu- ant corpus, qualia ſunt cataclyſmata, hoc eſt ablu tiones; quoniam hæc, uentriculum tantum, atque inteſtina abluunt, bilemq́ ipſorum detergunt, quem- admodum & Galenus ſcripſit eodem libello, textum Hippocratis explicans, atque ſic inquiens. Quæ ca taclyſmata, hoc eſt, ablutiones uocet, in iis quæ ſe- quuntur, indicauit ipſe, nempe quæ ex lacte confi- ciuntur; & cicerum decoctorum aquam, muriam, & aquam marinam; diuerſa enim ab iis ſunt purgan- tia medicamenta, quæ uniuerſum euacuant corpus; quemadmodum igitur balneatores, purgare ſe bal- nea dicunt, cùm ab illorum lapidibus, lutum, ac ſordes abſtergunt; ita uentriculi, & inteſtinorum ca taclyſmata, pituitam, & bilem ipſorum abluentia, euacuare dicuntur. Quando itaque hyberno tempo re generatur in uentre pituita, ipſam uomitu uacua ri conſuluit; æſtiuo autem, bilem ſurſum conſcenden tem, deorſum reuellere. Veruntamen, ubi uniuer- ſum corpus purgare uolueris, æſtate per ſuperiorem, hyeme uero per inferiorem uentrẽ medicandum erit, quemadmodum eſt in aphoriſmis relatum. Quod e- tiam apertiſſimis uerbis confirmauit, atque docuit Galenus in libello Quos, quibus, & quando purga- re oporteat, capite 4. ubi in hunc modum ſcriptum reliquit. Decet bilioſum humorem partibus uacua

re ſupernis, ſicuti pituitoſum infernis, quanquam uice uerſa, nonnunquam ſaciendum ſit, ubi ſcilicet in uentriculo pitutoſus humor, in inteſtinis uero, bilioſus, coaceruatur.

X.

AEGRITVDINEM aliquam acutam eſſe, abſque febre, aſſeruit 1. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo, & com. 19. his uerbis. Vel enim humoribus calidis ſolis, qui nullum obſedere locum, ſed æqualiter in omnibus animalis partibus ſunt; uel loco aliquo patiente fiunt, ut in morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina; febresq; ut plurimum, morbis acutis adiunguntur, rari enim ex ipſis ſunt, quibus febres non adſint, ut morbus attonitus, quem græci ἀποπληξίαν uocant. Idem ſenſiſſe uiſus eſt, & quinta Aphoriſmorum ſectione com. 30. ubi ſcriptum reliquit Hippocrates. Mulierem utero gerentem, corripi ab aliquo morbo acuto, malum; & letale: in quo commento ait Galenus. Sic, & ſi quis alius, abſque febre morbus acutus fiat, ueluti morbus comitialis, morbus attonitus, quem græci ἀποπληξίαν uocant, conuulſio, diſtẽtio; propter acutiẽ morbi, magnitudinẽq;, impoſsibile eſt laborantem euadere. Primo quoque libro Prognoſticorom com. 25. quoſdam acutos enumerat abſque febre, ita inquiens. At uero, cùm duplex genus horum habeatur, ſi quidem nonnul-

nonnulli ſimpliciter, ac primum uocatur acuti, quidam ex conuerſione; de utriſque docuit, dicens, qui cum febre infeſtet, & quadrageſimo die iudicetur; adiecit enim, qui cum febre infeſtet, ut eum à conuulſione, & diſtentione neruorum, & cholirica paſsione diſiungeret; & quicunque alij morbi ſine febre acuti ſunt. Cuius tamen oppoſitum tenere uidetur 1. Aphoriſmorum ſectione com. ſeptimo; ab omnibus acutis morbis, febres inſeparabiles ponens, his uerbis. Nunc id tantum dixiſſe ſat erit, quod ſi quis propter inflammationes, uel febres, quæ à morbis acutis ſunt inſeparabiles, quiſpiam ueretur effatu dignum adferre alimentum &c. Idem pariter aſſeruit in calce libri tertij de diebus decretorijs ex Archigene, & Hippocrate, referens, qui nam dicantur eſſe morbi acuti. Hippocrates quoque lib. 1. de ratione uictus in morbis acutis tex. 8. in calce; idem ſenſit, in hæc uerba ſcribens. Sunt igitur hi acuti morbi, quos priſci nominatim perſtrinxerunt, læthargus, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, cauſus, & quicunque alii hos conſequuntur morbos, quorum febres prorſus continuæ interficiunt.

QVONIAM *acutarum ægritudinum, aliquæ quidem cum febre ſunt, aliquæ vero & abſque febre reperiri poſſunt, veluti morbus attonitus, comitialis, conuulſio, diſtentio, cholirica paſſio, atque huiuſcemodi*

ſcemodi. Ubicunque Galenus, acutas ægritudines, abſque febre eſſe aſſeruit; de hiſce, quæ enumeratæ iam ſunt, vel de huiuſcemodi, dictum ab eo ſit oportet; alia uero ſingula, cum febribus omnino coniuncta erunt. Licet itaque Galenus 2. Aphoriſmorum ſectione com. 19. ægritudinem aliquam acutam, abſque febre eſſe dixerit, non propterea tamen ab omnibus acutis morbis, febres ſeiunctas eſſe aſſeruit; aliquæ nempe ſunt, quæ febre prorſus uacant; uerum innuere uoluit, febres quæ acutos ſequuntur morbos, continuas eſſe omnes; ita vt nulla, in acutis morbis, intermittens febris eſſe queat. Atque 1. Aphoriſmorum ſectione com. 7. ubi ſic habet. Si quis propter inflammationes, uel febres, quæ à morbis acutis ſunt, inſeparabiles quiſpiam ueretur, effata dignum afferre alimentum, hoc ipſum &c. nil aliud profectò hiſce uerbis innuere nobis uoluit, quàm acutorum morborum febres omnino eſſe continuas, græcum enim exemplar ita habet οἱ πυρετοὶ οἱ ἀκάριστοι τῶν ὀξέων νοσημάτων. Quod etiam repetitum eſt libro ſecundo, commento 19. his uerbis οἵ γε πυρετοὶ τοῦ πάμπαν συνεχεῖς εἰσὶν ἐν τοῖς ὀξέσι νοσήμασι. ac libro 7. capite 1. dũ ait ὀξέων νοσημάτων οἱ πυρετοὶ τοῦ πάμπαν εἰσὶ συνεχεῖς. hoc eſt, Acutorum morborum febres omnino ſunt continuæ, ita vt dicendi talis ſit modus. Non omnes acuti morbi febres habent; ſed quibus acutis febres adſunt; hæ prorſus continuæ exiſtunt, atque his uereri quis poteſt, effatu dignum adferre alimentum, inſeparabiles autem ſunt ueluti à pleuritide, à peripneumonia,

ripneumonia, à lathargo, à cauſonide, aut quibuſcunque alijs huiuſcemodi; de quibus & libro 1. de Ratione uictus in morbis acutis, textu octauo, in hac verba ſcripſit. Quorum febres prorſus continuæ interficiunt. Non omnes itaque acuti morbi, febres habent; ſed quibus acutis, febres adſunt, has ipſas continuas, ab ipſisq́ inſeparabiles omnino eſſe conſtat.

XI.

AEGRITVDINEM, ob ſæua accidentia, morbiq́; magnitudinem, acutam eſſe uoluit 1. Aphoriſmorum ſectione com. 7. & ſectione 2. com. 23. Secus tamen ſenſit libro 2. de Diebus creticis capite 11. non propter accidentia, morbi'ue magnitudinem, ægritudinem acutam dici aſſerens, ſed quia celeriter eat ad ſtatum, cuius uerba ſic ſe habent. Vides igitur nos, cùm ſolutio interdum eandem temporis præfinitionem habet, uel acutum morbum, uel non acutum nominare; eodem modo, quandoque alium acutum, diuturnũ alium ipſo motu ſolo, diſtinguentes. Quod etiam lib. ſexto de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 28. his uerbis expreſsit. Acutos enim morbos dicimus, quicunque propria tempora, uſque in finem uelociter pertranſeunt.

AEGRITVDINEM, *accidentia propter ipſa, morbiq́ magnitudinem acutam eſſe, uerum eſt; ueritatem quoque & illud habet, acutam dici, quia uelociter moueatur, atque ad ſtatum eat. Geminas*

autem

autem has conditiones, acutam ægritudinem requirere, teſtatur ipſe 2. Aphoriſmorum ſectione, com. 19. dum inquit. Acuti morbi, præter id, quod celeriter iudicantur, ſtatim etiam magnitudinem habent. priorem tamen conditionem, atque ipſam vnicam ab altera ſeiunctam 1. Aphoriſmorum ſect. com. 7. tetigit; dum ægritudinem, propter magnitudinem, ipſiusq́; accidentia, acutam eſſe, faſſus eſt; quandoquidem hoc loco, de peracuto morbo, qui extremos ſtatim habet labores, uerba fecit Hippocrates, dum inquit. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores; poſteriorem uero conditionem, quod ſcilicet celeriter moueatur, atque ad ſtatum eat, eodem modo ſeiunctim ab altera libro 2. de Diebus creticis propoſuit. Et licet Galenus optima fortaſſe ratione illud fecerit; ſatius tamen foret, ſi dum habetur de acutis ſermo, vtraſque has conditiones unà coniungeremus, vt ea dicatur acuta ægritudo, quæ & magnitudinem habeat, & celeriter ad ſtatum eat, idque propter diarias ipſas febres, quæ licet celeriter ad ſtatum properent, non propterea tamen acutæ dicendæ ſunt; quoniam magnitudine, accidentiumq́; prauitate careant.

XII.

AERVGINEM immodice ſiccare aſſeruit libro 3. Methodi medendi capite 2. Vbi ſarcoticum componit ex oleo, cera, & ærugine, tribus per ſe lædentibus ulcera inquiens. Si enim noris eiuſmodi ulcus mediocriter ſiccandum

eſſe, non ſiccare autem nec ceram, nec oleum, intelliges utique nec alterum ſeorſum, nec ambo ſimul, cauum ulcus implere poſſe; imo uero, nec æruginem ſolam, ut quæ immodice ſiccet. Idem etiam libro 6. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos in calce libri aſſeruit; ubi de Aphthis ex Archigene agens, de ipſa in hunc modum ſcripſit. Acre enim, & erodens, fortiterq; reſiccans pharmacum eſt, ærugo. Oppoſitum cuius tenuiſſe conſtat libro 4. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, in libri initio, ubi de ulceribus loquitur, ægre, humiditatis uitio, ad cicatricem uenientibus, in hæc uerba ſcribens, Perſimile medicamentum, eſt etiam ærugo cõbuſta, quæ uero ignem non eſt experta, fortiſſimum medicamen eſt, ſicuti etiam chalcitis, uerum, hæc, nonnihil etiam adſtringit; & ea, multo magis calchanthum, quod inter metallica maxime ſiccat; at ærugo huius potentiæ particeps non eſt. Quibus uerbis æruginem immodice non ſiccare, apertiſsimis uerbis tenere uidetur.

AERVGINEM *immodice ſiccare omnino fatendum eſt, quemadmodum in libris Methodi, atque libro ſexto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ſcriptum ab eo eſt. At quando, libro de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, dum de vlceribus, ægre, humiditatis vitio,* ad

ad cicatricem venientibus, verba facit, æruginem ipſam, exſiccantis facultatis participem non eſſe aſſeruit, his verbis, Perſimile medicamentum eſt etiam ærugo, combuſta, quæ vero ignem experta non eſt, fortiſſimum medicamen eſt, ſicut etiam chalcitis; verum, hæc, non nihil etiam adſtringit, &, ea, multo magis calchanthum, quod inter metallica maxime ſiccat; at ærugo, huius potentiæ particeps omnino non eſt. Dicamus Galenum, hoc loco, in ærugine vel aduſta, vel etiam in ea, quæ ignem experta non eſt, exſiccantem non negaſſe uim; ſed, ipſam, tam adſtringenti facultate præditam non eſſe affirmat, quemadmodum chalcitis, ipſum'ue calchanthum; quæ præter id, quod inter metallica maxime ſiccant, ſumma etiam adſtrictione pollent.

XIII.

AESTATIS tempore, interna corporis, robuſtiora eſſe, opinatus eſt libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 2. com. 7. ſcribens. Aeſtate uero, corporum temperamentis calidioribus, & internas partes robuſtiores obtinentibus, ſudores par erat citos eſſe. Cuius oppoſitum magis tenendum eſſe uidetur, quando quidem ſi hyeme, & uere, calido innato, uentres, interioraq; roborantur membra, quemadmodum ſcripſit Hippocrates 1. Aphoriſmorum ſectione, aphor. 15. Ventres, hyeme & uere natura calidiſsimi &c. robuſtiora itaque interna corporis, hybernis temporibus ſunt crede

denda, quàm æſtiuis; experientia quoque nos edocente, ingentem fieri æſtate ſpirituum, caloriſq; naturalis digeſtionem, atque reſolutio nem. Qua re, & corpus uniuerſum, mẽbraq; ſingula facillime defatigantur, atque ad actio nes quaſcunque imbecillia redduntur.

Aestatis *tempore, corporum temperamen a, calidiora quidem dici poſſunt, non propter naturalem tamen, ſed propter aduentitium calorem, biliosiq; ſucci coaceruationem; innato quippe, non extraneo, atque præter naturali calido, ventres hyeme, & vere calidiſſimos natura eſſe, teſtatur Hippocrates 1. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 15. Adhuc, & æſtatis tempore, robuſtiores eſſe internas partes, dicendum eſt, non ſimpliciter quidem, ſed ad ſuperfluitates ipſas, calore attenuatas, expellendas, rarefacto à calore corpore; qua re, & ſudores ipſos, citos eſſe, par eſt, quemadmodum ſcripſit libro 1. de Morbis vulgaribus Com. 2. com. 7. Animaduertendum præterea eſt, quemadmodum ipſe ex Hippocrate teſtatur libro 2. de Pulſibus dignoſcẽdis capite 3. nec naturas, nec ætates, ab iiſdem anni temporibus, perinde omnes affici; quoſdam enim robuſtiores hyems, fortioreſq́, & in omnes partes meliores reddit, aliquos vero æſtas. Quocirca propoſitio hæc, vniuerſaliter, atque abſolute prolata, uſquequaque vera eſſe non poteſt. Verum, ſi quæ à Galeno dicta ſunt, diſtincte magis accipiamus; vt intelligamus temperamenta nonnulla eſſe, quæ æſtatis*

tis tempore validiora reddantur; nonnulla quoque, quæ, eodem pariter tempore non naturali, ſed aduentitio calore calidiora fiant, nulla in eius dictis ſu pererit ambiguitas.

XIIII.

AMYGDALAS dulces, non admodum nu trire, nec uentri ſubducendo conferre ſcripſit libro 2. de Alimentorum facultatibus, capite de amygdalis. Quod etiam ſcripſiſſe ui ſus eſt in libro de Diſſolutione continua, ubi de cibis pauci nutrimenti loquutus; ipſas, pro pter ſiccitatem ſuam, parum nutrire aſſeruit, haud ſecus inquit, ac milium, panicum, oliuæ, & alia quædam. Siccas autem eſſe teſtatus eſt libro quinto de Tuenda ualetudine, quoſdam arguens, qui ſenum corpora humida eſſe autumant, ac inquiens, eos, protinus in primo ipſo agendorum conſilio falli, dum ſenum corpora ſiccanda putant; Itaque (inquit) ex cibis, eos potius qui ſiccant, exhibent, ueluti ex oleribus, braſsicam potiusquam maluam, & blitum, & lapathum, aut attriplicem, aut lactucam; ex leguminibus, lentem præ ptiſana; & præ faba, milium, & præ zæa, panicum; ex fructibus amygdalas, & terebinthi ſemen, potiusquam cucurbitas, aut cucumeres matu ros, & pruna, & mora. iam, ex carnibus, eas, quæ ferarum ſunt, potiuſquam cicurum, & ſalitas potiuſquam recentes. In tota denique

uictus ratione, quorum uis humida eſt, hæc fugiunt; quorum ſicca eſt, hæc amplectuntur; quo in loco, amygdalas, apertiſsimis uerbis ſiccare oſtendit; quod ſi ſiccæ ſunt, neque admodum nutriunt, neque uentri ſubducendo auxilio eſſe poſſunt. Modicum quoque ipſas nutrire teſtatur Aëtius Serm.2. capite 251. De his, quæ parum nutriunt. Hoc eſt profectò contra communem de ipſis opinionem, illas nanque plurimum nutrire, atque non ſiccas modo, quin potius humidas eſſe, paſsim creditur. Hippocrates quippe auctor eſt libro 2. de Diæta amygdalas æſtuoſas eſſe, nutrire tamen probè; æſtuoſas quidem, propter pinguitudinem; nutrire autem, propter carnoſitatem earum. Oleoſas uero, humidasq́; eſſe, ſatis unicuique perſpicuum eſſe poteſt, ex Galeno, eodem libro 2. de Alimentorum facultatibus, ita de ipſis ſcribente. Oleoſæ tamen, ac pinguis facultatis, ut nuces, ſunt participes; cuius cauſa, & ipſæ procedente tempore, fiunt, ut illæ, oleoſæ; minor tamen ineſt eis hæc qualitas, quàm in nucibus; quò fit, ut tardius quàm illæ, oleoſæ fieri cernantur. Oleoſas quoque, ac pingues, uetuſtate ſaltem fieri ex his etiam apertum fit, quæ libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite octauo in calce, ſcriptis tradidit; quippè quia, aquea, excrementitiaq́; humiditas digeritur; propria

uero

uero à calore natiuo elaboratur, atque exacte concoquitur. Oleoſas autem ipſas dicere, atque ſiccas, diuerſa admodum inter ſe ſunt; quapropter cùm oleoſas eſſe iam ſatis probauerimus, nequaquam autem ſiccas; aluum ipſas deijcere, potiuſquam ſiſtere pro comperto habendum eſt; atque huiuſcemodi cùm ſint, in bilim etiam prompte mutari, aluumq; commode deijcere, neceſſe eſt. Amplius libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, ubi agit, quod poros purgantium medicaminum, unumquodque calidum ſit, & tenuium partium (amara quippe omnia ſunt, atque nitroſa) ubi de erui, ac lupinorum farina uerba fecit, amygdalas detergere ſcripſit, his uerbis, Simile quiddã amygdalis accidit, nam horum ipſorum, ea, quæ amara ſunt, & detergunt, & meatus expurgant; quæ uero edendo ſunt, detergunt quidem, non tamen infarctu liberant. Quod ſi detergunt, uentrem itaque potius mouere, quàm non mouere apta ſunt; detergentia nempe, uentrem quoque ſubducunt, ac mouent.

DVLCES *amygdalas, ea de cauſa profectò, non admodum nutrire aſſeruit, quia licet non quemadmodum illę, quę uere amarę ſunt, leuis tamen cuiuſdam amaritudinis & ipſę, participes ſunt, quemadmodum libro 6. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite proprio, teſtatus eſt, in hac uerba*

ba ſcribens; Quotquot amygdalæ dulces ſunt, leuiculam & ipſæ amaritudinem poſſident, quæ tamen, dulcedine ſuperante, occultatur; cæterum, id, temporis ſpacio, clarum fit. Non tamen propterea inficias it, dulces amygdalas, modicam licet ſortitæ ſint amaritudinem, uel aliarum plurimarum rerum reſpectu, aliquo pacto nutrire poſſe, quod experientia ipſa ſatis apertum eſt. Ventrem pariter, dum ipſas, non ſubducere aſſeruit, propter earum ſiccitatem; id quoque non ita ſimpliciter intelligendum eſt; quandoquidem ſi corticæ ſuo mundatæ fuerint, tales eſſe minime poſſunt; dum uero, externo ſuo cortice ueſtiuntur, qui ſiccus admodum eſt, deiectiones fortaſſe remorari, atque impedire iure optimo poſſunt. ſiccæ etenim ſunt (inquit) ſicuti & milium, & panicum; ipſo autem ablato cortice, uel etiam oleoſæ cùm fiunt, aluum profectò commode deijcere poterunt, quemadmodum ab ipſis extractum oleum effice re, aperte cognoſcimus.

XV.

AMYLVM adſtringere ſcripſit, in libro de Simplicibus medicamentis ad Paternianum, ubi de amylo egit, his uerbis. Poteſt autem leniter adſtringere, propter quod collirijs ad lacrymam faciétibus miſcetur; & ad profluuium uentris prodeſſe comprobatur. Cõtrarium de ipſo aſſeruit lib. 1. de Alimentorũ facultatibus capite proprio, amylum partes exaſperatas leuigandi, uim obtinere ſcribens, quæ

quæ ſubſtantijs omnibus, conſiſtentia ſiccis eſt communis, quæ neque adſtrictionem, neque acrimoniam, neque aliam quamuis facultatem habent inſignem. Eodem modo & libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 34. ubi habet, quod neque adſtringentia omnia, conglutinant, neque conglutinatoria omnia, adſtringunt, aduerſus Herodotum, amylum nullo pacto adſtringere affirmauit. Quod etiam capite 36. eiuſdem libri, his uerbis expreſsit. Nam adeps caprinus, omnibus, quæ aut guſtu, aut facultate, ſunt adſtringentia, aduerſiſsimus eſt, uelut etiam farina triticea, & amylum, & innumera eorum, quæ uim habent tum emplaſticam, hoc eſt illinendi, tum mitigatoriam, ac acrimonias mitigandi.

AMYLVM, *inquit Oribaſius libro 1. ſuorum Collectorum capite ſexto, uim habet exaſperatas partes leuigandi, quoniam neque adſtrictionem ullam, neque acrimoniam inſignem poſſidet; atque non ex Oribaſio modo, uerum etiam ex Galeni ſententia, amylum, nequaquã adſtringere dicendum eſt, quod ſcilicet glutinoſum exiſtat; quemadmodum libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 34. ſcriptum ab ipſo eſt, non enim conglutinatoria omnia, adſtringunt. Adſtringere tamen poterit amylum, quemadmodum in libro de Simplicibus medicamentis ad Paternianum aſſeruit, non*

quia

quia glutinoſum, quemadmodum dictum eſt; ſed quia ſucci leuiter craſſi ſit; huiuſcemodi autem ſucci, amylum eſſe, aperte teſtatus eſt in libro de Cibis boni, & mali ſucci, inquiens. Tuber, leuiter craſſi, non mali ſucci eſt, huius generis amylum habetur, nec mali, ſed ſucci craſſioris eſt. Quod etiam libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 22. teſtatus fuit, in hunc modum ſcribens. In uictus ratione, ſermo declarare uidetur, iubente ipſo, ex craſſum reddentibus ſanguinem, cum ſiccitate boni ſucci, facere, halicam, & amylum, huiuſcemodi eſſe aſſerunt, & ſuillas carnes, & agnorum maxime lactentium, & hædorum. Quibus liquidò conſtat, amylum, craſſum reddere ſanguinem; quæ autem craſſum reddunt ſanguinem, poſſunt quoque meatus obſtruendo, adſtringere. Quapropter, dum in libro de Simplicibus medicamentis ad Paternianum, adſtringere ipſum aſſeruit; dicamus, non quia glutinoſum exiſtat, illud præſtare poſſe; glutinatoria quippè plurima ſunt, quæ non adſtringunt, quemadmodum triticum, Zea, amylum; ſed quia craſſos reddat ſuccos; eorumq; craſſitie meatus obſtruat. Non itaque propriè, & per ſe; ſed per accidens, craſſos generando ſuccos, qui meatus obturent, ac obſtruant, adſtringentem amylo ineſſe uim dicamus.

XVI.

ANIMI in defectu ex multitudine, copiaue, uinum minime exhibendum eſſe ſuadet libro 1. ad Glauconem, ubi animi accidentia

tia curat,eorum, qui ex multitudine laborant, inquiens. His igitur, qui ex euacuationibus diſſoluuntur, ita confeſtim ſuccurrendum eſt; at, qui ex multitudine laborant, non ita; uerũ in illis, artus quamplurimum fricare oportet, calefacere, atque alligare; à uino uero, & cibis abſtinendum, & balneis, etiam, ſi febricitauerint, ſufficit autem, ſi eis dederimus mellicrati potum, in quo ebullierit thymus, uel origanum, uel pulegium, uel hyſopus. Quod etiam ſcripſit Auicenna 11.tertij,tractatu 2.capite octauo. Cuius oppoſitum feciſſe uidetur libro 12. methodi medendi capite 3.ubi de his loquitur, qui ex copia crudorum, cum ſtomachi offenſa febricitant; quibus, dum ſyncope tenentur, panem in uino potenti infuſum exhibendum eſſe docuit, his uerbis. Si autem ad eos, quos ſyncope iam premit, ſis accitus; ſi ea, quæ retuli loca, phlegmone uacent,panem exhibebis non multum, huncque ex uino aliquo, quod celerem in corpus digeſtionem adiuuet; ſtatimq; ad frictiones uenies; cæteraq; dehinc omnia in curatione exequitur, quæcũque & libro ad Glauconem ſcripta ſunt. Quod etiam iis comprobaſſe uidetur, quæ ſcripſit libro 3.de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 20. ubi docuit, quo pacto frigidorum uenenorum nocumenta à calidi uini potu tollantur, atque ita inquit, In ſumma, quod te-

tenui, perlucidaq; ſubſtantia eſt, colore uermiculo, aut flauo, odore gratum; quodque multam aquæ mixturam expoſcit, id tum admodum excalfacere eſt natum, tum facile undique per corpus uniuerſum deferri. Tale ergo natura uinum ætate uetus, meracius mixtum, eos etiam, qui refrigerati iam ſunt, perſanat.

FACILE *contradictio hæc enodabitur, atque diluetur; ſi perſpicuum nobis ſit, ipſum libro 1. ad Glauconem, ordinariam, regulatamq́; ſyncopis ex multitudine orta, curationem enarrare, in qua iure & meritò uinum prohibuit; vt pote quod & corpus repleat, multitudinemq́; augeat, atque exuperantes, copioſosq́; ſuccos dimoueat, ac ſyncopim accerſat. E contrario uero dicamus, ipſum, in libris Methodi, uinum propinare in ſyncopi, non in regulari, ordinataq́; talis affectus ablatione, atque curatione, ſed irregulari, atque vt ita dixerim, coacta, quò, ex ſyncopi iam diſſoluti ſpiritus; reſtituantur, inſtaurenturq́; atque idcirco hæc uerba protulit. Quod ſi ad eos, quos ſyncopè iam premit, ſis acci tus; panis exhibeatur non multus ex uino aliquo, quod celerem in corpus digeſtionem adiuuet. Quibus conſtat, hoc loco, ſyncopim iam corpus occupantem curare; ibi, ne adueniat, proſpicere.*

XVII.

AQVAS ſponte naſcentes calidas, humectare aſſeruit libro 6. de Tuenda ualetudine,

dine, ubi de bilioſis naturis uerba faciens, in hunc modum ſcribit. Itaque & ante cibum, bis, ter'ue, hi ſi lauent, ac calidis ſponte ortis utantur, maxime inde commodum ſentiunt; quippè huc dirigitur in his conſilium, ut ipſas animalis particulas ſeruemus humidas. Idem quoque ſcripſit, & libro 1. ad Glauconem capite de curatione febris tertianæ, his uerbis: Balnea uero calida, ex aqua potabili proſunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam, quia ſua qualitate plurimum, iuuant; nam huiuſcemodi balnea humectant, ac potentia refrigerant. marinæ autem aquæ, & ſalſæ, nitroſæ, atque ſulphureæ, plus quidem bilis educunt, ſed multo minus quàm potabiles proſunt; præſtat uero neque illas utiles dicere, quandoquidem plus qualitate nocent, quàm euacuationibus iuuent. Equidem noui quendam corrupto iudicio, hiſce balneis uti perſuaſum, deinde extenuato corporis habitu, ad tantam ueniſſe perniciem, ut tabe conſumptus interiret. Cuius contrarift ſenſiſſe uiſus eſt libro ſexto de Tuenda ualetudine, de inæquali corporis ſtatu, atque de calida à capite deſtillatione uerba faciens, ſcribensq;, calidas aquas omnes, ſponte naſcentes, medica uir ute præditas eſſe; affirmansq;, calidas fortaſſe ipſas non eſſe, niſi & medicamentoſæ forent. qua preditæ ui, non modo humectandi deſti-

deſtitutæ eſſent facultate, quin potius exſiccantem poſsiderent, quemadmodum pluribus in locis teſtatus eſt, atque præcipuè libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 5. com. penultimo; ſponte naſcentes aquas, & marinas, & ſul phureas, & aluminoſas, corpora exſiccare, ac calefacere inquiens. Libro quoque de Morborum cauſis, de ſignis morborum ſiccorum pertractans, corpus ſiccius reddi aſſeruit, ſi quis in naturalibus aquis natauerit, quæ uidelicet nitri, aut ſulphuris, aut aluminis, aut bituminis, aut alterius huiuſcemodi qualitatis ſunt particeps. Quod etiam innumeris ferè in locis ab ipſo repetitum eſt, quemadmodum libro 1. de Tuenda ualetudine, de puerorum re gimine loquutus apertiſsime docuit.

DIVERSA *licet, de ſponte naſcentibus aquis calidis conſcribere uideatur Galenus, quùm quandoque illas humectare affirmet, quandoque uero, (quo niam medicamentoſa facultate ſingulæ polleant) & exſiccare aſſerat; non ſibimet tamen pugnantia ſcri pſiſſe manifeſtum erit, ſi duplices calidas aquas, ſpon te ortas, reperiri concedamus, earum etenim quædam, medicamentoſæ prorſus ſunt, & nitri, ſulphuris, aut aluminis, bituminisq́, uel alterius huiuſcemodi qualitatis participes exiſtunt; quædam uero, harum qualitatum, uel nullam, uel modicam ſunt ſortitæ; atque hæ, præillis, dulces appellari poſſunt; de quibus non modo allegatis in Contradictione lo-*

tis mentionem feciſſe conſtat, dum humectare eas affirmat; verum etiam apertiſſime libro ſexto de Tuenda valetudine, in regionibus ſuis in Allianis, huiuſcemodi eſſe fatetur. Et quoniam Sponte naſcentes aquæ, nulla alia ratione, calidæ eſſe poſſunt, quàm propter calorificarum, medicamentoſarumq́ quarundam rerum admixtionem, idcirco dicamus oportet, calidas ipſas ſponte naſcentes aquas, medicamentoſas quidem vt plurimum eſſe, quaſdam tamen inter has, reperiri poſſe, quæ dulces quandoque (vti ſuperius dixi) vocari meritò valeant; tum quia modicum quid medicamentoſæ illius qualitatis ſint participes, tum etiam quare plurima aquæ dulcis copia, ipſis admixta ſit, atque eo modo admixta, vt ſalſugo tollatur, calor vero perduret. Quam ſententiam videtur etiam habere Ariſtoteles 24. Problematum ſectione, probl. 16. quærens, cur aquæ Magneſiæ, & Artanæ feruidæ ſatis, potu idoneæ ſint, & ait, an quoniam, aquæ dulcis copia, ad profluentem calidam ſeſe applicat, eo tamen modo, vt ſalſugo tollatur, & calor eduret. Quibus ita habentibus, Contradictio ita tollenda eſt, dicendo, eas ſponte naſcentes aquas calidas, humectare, quæ dulces exiſtunt, nullaq́, aut exigua ſaltem, medicamentoſa facultate præditæ ſunt; quæ uero medicamentoſæ prorſus exiſtunt, & ſulphuris, bituminis'ue, aut huiuſcemodi naturæ plurimum participes, non modo non humectare poſſe, quin potius exſiccare ualide; quemadmodum & lib. 1. de Simplicium medicamentorum

dicamentorum facultatibus capite ſeptimo, innumeriſq́; alijs locis aperte tradidit.

XVIII.

AQVAM omnium humidiſsimam eſſe ſcripſit libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus, de ſitis cauſa agens, in capitis calce, aqua nihil humidius eſſe, aperte aſſerens. Cuius tamen contrariũ habuit libro 1. de Ratione uictus in morbis acutis com. 22. uinum ac mulſam, magis quàm aquam humectare affirmans, his uerbis. Non immeritò igitur Hippocrates humectantium aliquid, ante ptiſanam aſſumi iubet, ut uel aquam mulſam, uel uinum, tanquam hæc, quàm aqua magis humectent.

ANIMADVERTENDVM *nobis eſt, idem non eſſe, humidum quidpiam exiſtere, atque humectare; quemadmodum & ſuperius de adſtringenti, & de eo, quod adſtringentiam habet, atque de calido, & de eo, quod caliditatem ſortitum eſt, copioſe ex ipſo Galeno demonſtrauimus. Quocirca contradictionem hanc tollentes, dicamus, aquam ipſam in ſe conſideratam, humidiſſimam omnium eſſe, quemadmodum ſcripſit libro* 1. *de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite* 30. *non tamen magis quàm plurima alia humectare poſſe, quoniam libro* 1. *de Ratione victus in morbis acutis com.* 22. *& vinum, & mulſam ipſam, magis quàm aquam, humectare aſſeruit; cuius rei ratio hac eſſe poteſt.*

quoniam

 211

quoniam hæc, facilius quàm aqua ad membra deducuntur, quemadmodum ex his conſtat, quæ libro ſexto de Morbis vulgaribus Com. 4. com. 20. ſcriptis tradidit, tum caliditatis ſuæ, tum dulcedinis etiam ratione attracta, atque ideo humectant magis. Vel dicendum forſitan eſt, quod licet aqua, longe præſtantius, quàm alia plurima, ſuperficiales, externasq́; corporis partes humectare valeat, internas tamen, ſolidasq́; ipſas, neque epota, neque exterius occurſans irrigare, humidasq́; reddere poteſt, quemadmodum ab ipſo ſcriptum eſt 4. Aphoriſmorum ſect. com. 13. in calce. Poſſumus rurſus & ita dicere, aquam humidiſſimam eſſe omnium, quæ humectandi vim ſortita ſunt, hoc eſt tenuiſſimam, quemadmodum declarauit Ariſtoteles in libro de ſenſu, & ſenſilibus capite 4. cum Empedocle diſputans, an neceſſe ſit, aquam, in ſeipſa, omnium ſaporum genera permixta habere, quæ propter exiguitatem, aſpectu non percipiantur: vel materiam eiuſmodi, ipſi ineſſe, quæ tanquam ſaporum ſeminarium ſit; atque dum neutrum, verum eſſe oſtendit, ita ſubdit; reliquum eſt, vt mutatio aquæ fiat, quoniam re quapiam afficiatur; ſed certum eſt, hanc ipſam rem, quam ſaporem vocamus, à caloris facultate duntaxat non mutuari; aqua enim tenuiſſima eſt, rerum omnium, quæ madefaciendi uim habent; & vel ipſius olei; ſed tamen oleum, ſuam ob lentitiam, magis quàm aqua diffunditur; aqua ſanè friabilis eſt, eamq́; ob rem, difficilioris eſt operæ, aquam in ma

nu aſſeruare, quàm oleum. Erit itaque aqua humidiſſima, hoc eſt tenuiſſima omnium, quæ madefaciendi, aut humectandi uim ſortita ſunt.

XIX.

AQVAM neque epotam, neque exterius occurſantem, natura aptam eſſe ſcribit, ſolidas animalis particulas humectare 4. Ahporiſmorum ſectione com. 13. Quod etiam à ratione alienum non eſt, nihil nempe nutrit aqua, auctore Galeno libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis com. 17. neque igitur ſolidas corporis partes, quæ nutrimento appoſito humectantur; humectare poterit. Eodem præterea libro com. 40. de puriſsima aqua uerba faciens, ipſam, nec ſitim ſedare, nec humectare, neque alere affirmauit. Cuius tamen oppoſitum paſsim tenet; aquam epotam, exteriusq; admotam, humectare, pluribus exemplis oſtendens, quemadmodum ubi ſiccam intemperiē reſtituendam docet. Quod etiam uoluit libro 12. Therapeutices methodi, ethicam febrem curans, in qua ſolidòrum membrorum humiditas eſt abſumpta, dum balneis eam, reparare ſtudet. Amplius libro 1. de Simpliciū medicamentorum facultatibus, capite octauo, aquam quidem dulcem, ſitienti remedio eſſe uoluit, cæteras uero omnes, acerbiorem ſitim relinquere. Capite quoque 29. eiuſdem libri, ubi de ſiti agit, refrigerationem, ſitisque

tisque extinctionem ab aqua prouenire affirmat, ut quæ frigidam, humidamq́; naturam ſortiatur; nihil eſt enim, inquit, aqua humidius. Atque non modo ebibitam, uerum etiam exterius admotam, humectare, ex his liquidò conſtat, quæ libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus capite quinto ſcripſit his uerbis. Igitur oleum, & aqua calida humectant ſimul, & excalfaciunt; quod ſi ambo in unum miſceãtur, multo magis tum excalfaciet, tum humectabit, quod ex ipſis erit mixtum, ſicut aquæ potabilis balnea, cum oleo copioſa exhibita.

AQVAM *epotam, ſolidas humectare partes nequaquam poſſe, ex ijs, euidentiſſime conſtat, quæ ab ipſo ſcripta ſunt libro 3. de Ratione uictus in morbis acutis com. 17. ubi, ipſam, nullo pacto nutrire affirmauit; ſolidarum autem partium ariditas auctore Galeno capite ultimo libri de Tabe, alimentis reparatur, non extrinſecus occurſantibus. Quod etiam inferius, com. quadrageſimo de aqua puriſſima agens aſſeruit. inquiens, ipſam, nec ſitim ſedare, nec humectare, nec alere. cuius rei ea poteſt eſſe ratio, quia ad membra non ita facile ac uinum, uel mulſa, uel aliud huiuſmodi, deducatur; ſed diu in hypochondrijs permaneat, quemadmodum ex commentatione quarta in librum ſextum Epidemiarum com. 20. liquidò conſtat. Atque non modo per os aſſumpta aqua, humectare non*

poteſt, quin etiam exterius occurſans tali prorſus de ſtituta eſt facultate, quemadmodum ex ijs nobis apertum ſit, quæ decimo libro Methodi medendi capite nono ſcripſit, tepidæ aquæ balnea, ethica labo rantibus febre, nihil proficere, ſed tantum ad frigidæ ſolium præparare aſſeuerans, aperte nobis innuens, ipſam exterius applicitam aquam nequaquam humectare; ſi quod autem in ea iuuamentum eſt, id totum in refrigeratione conſiſtere. Humectare tamen, ipſam, dicere poſſumus, quoniam internos calidos uapores, ſiccitatem inducentes, cutis meatus rarefaciendo, difflare, atque euaneſcere faciat. Sic itaque non per ſe, ſed per accidens, humectare dicenda eſt.

XX.

ARGENTVM uiuum, ſeu ὑδράργυρον, à calore noſtro, calidum actu redditum, per eroſionem interimere cõtendit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 20. ubi agit, qua differunt amarus, acerque ſapor, in hæc uerba ſcribens. Sed ferro, lapidiq; ignito, ea, quæ per eroſionem interimunt, medicamenta, ſimilia ſunt, quæ, à corporis nimirum calore, huc perducuntur, ueluti chalcitis, myſi, ſori, ad hæc arſenicum, ydrargiros, lythargiros, & alia innumera; craſſarum enim ſunt partium id genus omnia, ac poteſtate calida, ac proinde temporis ſpacio, accenſa per eam, quæ eſt in animante, mutationem, nõ aliter

aliter quàm lapis,ferrumq; ignitum, uentrem tum exulcerant, tum exurunt, quùm ſcilicet diſtribui ĩ corpus præ grauitate haud poſsint. Quod etiam ſenſiſſe uiſus eſt libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 19. ita ſcribens. At ſunt, quæ tota eſſentia, nobis contraria ſunt, proinde ſi uel minimum eorum aſſumptum fuerit, omnino lædat neceſſe eſt, ceu dryopteris, & pythiocampe, & thapſia, & ſolanum maniacum, & hydrargiros, & fungorum non nulli, præterea ſaliua, & fel uenenatorum animalium; nam talia omnia, genere ſunt deleteria, non quantitate. His autem longe aduerſari uidentur ea,quæ libro nono de Simplicium medicamentorum facultatibus ſcripſit, ubi ex propoſito de ydrargiro uerba faciens, affirmauit,nullum ſe de hydrargiro periculum feciſſe, quod interimat, ſi intus ſumatur, uel foris admoueatur.

ARGENTVM *uiuum dupliciter conſiderari poteſt, vel vt naturale, perpetua uomica ex montibus ſcaturiens, ſicuti ex fontibus exiliunt aquæ. uel vt artificiale, atque factitium; quod item duûm eſt generum; quorum alterum ex minio fit; quemadmodum & Dioſcorides teſtatur libro quinto, capite proprio, & Plinius libro 23. capite octauo; atque Oribaſius libro 13. ſuorum Collectorum, ubi etiam modum conficiendi edocuit; alterum uero ex marmore, de quo*

Vitruuius libro ſuæ Architecturæ ſeptimo. Dum itaque Galenus libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus hydrargiron per eroſionem nos interimere ſcribit, de factitio ipſum loqui dicamus, & de eo, quod ex minio conflatum ſit; quod calidum, à calore noſtro, actu redditum, haud ſecus ac ſory, atque arſenicum, per eroſionem, nos interimere poſſe aſſeuerat. Libro autem nono, de naturali hydrargiro uerba feciſſe dicendum eſt, cuius, ſe quidem periculum feciſſe teſtatur; neque ex eius aſſumptione incommodi aliquid ſucceſſiſſe. Auicenna quoque 6. 4. tract. 1. ſumma 1. capite 2. de uenenis congelatorum ex mineris, ait, plurimos ex his, qui bibunt ipſum, non lædi, quoniam egreditur cum diſpoſitione ſua per inferiorem regionem. Atque etiam nos ipſi plurimas cognouimus mulieres, quæ ad fœtum, cui difficilis, tardusq́; eſſet exitus; uel etiam ad ſecundam eijciendam, abſque ullo corporis incommodo, ipſo uſæ fuere. Aliqui etiam, ſemi mortuis ui uermium infantibus, hydrargiron ſe exhibuiſſe teſtantur, atque protinus ſanitati reſtitutos eſſe. Licet Galenus Com. 6. in ſextum librum de Morbis vulgaribus com. 5. hydrargiron, nullam præſtare poſſe utilitatem ſi voretur, auctor ſit. Factitium itaque hydrargiron, & maxime quod ex minio conflatum eſt, interimit; naturale uero, minime.

XXI.

AVSTERA, ualide adſtringere, opinatus eſt, libro quinto de Compoſitione medicamen-

camentorum ſecundum genera ferè in principio, his uerbis. Huius igitur gratia, ex ijs, quæ acrimoniam ſortita ſunt, helenion miſcuit; ex ualide etiam adſtringentibus (hæc enim auſtera, & acerba nominamus) alumen, & gallam immaturam, quibus uerbis, auſtera, ualidam adſtringendi uim poſsidere ſenſit. Cótrariam tamen de ipſis ſententiam habuiſſe uiſus eſt, libro 2. de Locis affectis, auſterum aſſerens, mediocriter adſtringens eſſe, his uerbis. Igitur res quædam declaratur, generatim quidem per hoc uocabulum ſtringens, ſed magis particulatim, per auſterum & acerbum; quippè ambo adſtringunt, ſed magis acerbum, qualis eſt omphacia uocata galla. Adhuc, & magis aperte, libro ſexto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de columela agens, ſiue gurgulione, idem uoluit, dum quæ inflammationi ipſius, apta medicamenta ſint, recenſet, ac inquit. Et ſanè in alijs omnibus, in quibus ex humorum influxu contingit morbus, ita etiam hic, prima auxilia, reprimunt fluxum. adſtringentis igitur facultatis hæc eſſe oportet; & ſi quidem moderatus ſit influxus, moderate adſtringentis, quam auſteram priuatim dicunt. ubi uero uehementior fuerit influxus, acerba; ambo enim adſtringunt, ſed debilius auſtera, uehementius autē acerba. Libro quoque 4. de Compoſitione medica-

medicamentorum ſecundum genera, ubi de his emplaſtris agit, quæ ab Andromacho ad ulcera maligna ſcripta ſunt, inquit, auſterum enim græcis idem ſibi uult, quod mediocriter adſtringens; acerbum quod ualide, & uehementer. Quibus apertum fit auſtera ipſa non ualide, ſed mediocri modo adſtringere poſſe.

QVONIAM *auſtera ſi intendantur, acerba redduntur, quēadmodū ab eo ex Platone ſcriptū eſt lib. 1. de Simplicium medicamētorum facultatibus cap. penultimo; & libro 4. Therapeutices methodi, acerbum appellans, quod intenſum auſterum eſt, græce ϛρυφνὸν dictum, idcirco, quæ ualde auſtera ſunt, cùm iam acerborum naturam ſapere uideantur, ualide etiam adſtringere poſſunt; quæ uero ſimpliciter, & non intenſe auſtera exiſtunt, non ualida adſtrictione pollent. Dum itaque in libris de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, atque alibi adſtringere admodum, auſtera ſcripſit, de intenſe, ac ualde auſteris, intelligere debemus, quæ ad acerbitatem iam ferè deueniunt; modicam uero adſtrictionem ſortita eſſe apertum nobis ſit, quæ ſimpliciter auſtera dicuntur. Auſtera itaque acerbis comparata, imbecillius quidem adſtringunt; adſtringunt tamen & ipſa, & ſi non ita uehementer.*

XXII.

AVSTRIS naturam ineſſe calidam, & humidam aſſeruit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 5. Quo in loco rationem reddens, cur auſtri,

auſtri, auditum grauiorem reddant, inquit, quia calidi,& humidi ſunt. Omnia etenim calida,& humida caput replere apta ſunt. Quod etiam inferius ſenſit com. 12. aphoriſmum enarrans, in quo Hippocrates ſic habet. Si hyems auſtralis, & pluuioſa, & ſerena fuerit &c. Vbi auſtrinam hyemem, calidam & humidam eſſe ſtatuit, quaſi dicat, auſtrum, calidam & humidam habere temperaturam. Et licet de qualitate ſua actiua, de caliditate uidelicet, apud omnes ferè conſtantiſsimum, atque firmiſsimum ſit, calidos eſſe auſtros, non ſic tamen in paſsiua eius qualitate, conueniunt prorſus. Galenus quippè & ipſe, diuerſa alibi protulit, his, quæ ſupra citatis locis exprompſit; ac ſiccum quandoque auſtrum eſſe retulit, quem admodũ libro 3. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 3. & maxime quem ἀργέστην graeci dicunt, quod Homeri auctoritate cõfirmat, ſic de eo ſcribentis Iliados φ.

Ἥρη δὲ μέγ' ἄυσε περιδείσασ' Ἀχιλῆι
Μή μιν ἀποέρσειε μέγας ποταμὸς βαθυδίνης
Αὐτίκα δ' Ἥφαιστον προσεφώνεε φίλον υἱόν.
Ὄρσεο κυλλοπόδιον ἐμὸν τέκος, ἄντα σέθεν γὰρ
Ξάνθον δινήεντα μάχῃ ἠΐσκομεν εἶναι.
Ἀλλ' ἐπάμυνε τάχιστα, πιφαύσκεο δὲ φλόγα πολλήν
Αὐτὰρ ἐγὼ ζεφύροιο, καὶ ἀργέσταο νότοιο
Εἴσομαι ἐξ ἁλόθεν χαλεπὴν ὄρσουσα θύελλαν
Ἥ κεν ἀπὸ Τρώων κεφαλὰς, καὶ τεύχεα κήαι

φλέ

φλέγμα κακὸν φορέυσα.
Quod ad uerbum ſic latine ſonat.
Iuno autem ualde clamauit, ualde timens Achilli
Ne ipsũ necaret, magnus fluuius profundi uorticis.
Statim autẽ Vulcanum alloquuta eſt dilectum filiũ.
Mouere claude mi fili, contra te enim
Xanthum uiolentum pugna cogitamus eſſe.
Sed auxiliare citiſſime; accende autem flãma multã,
Sed ego Zephyri, & procelloſi noti
Ibo, è mari immenſam excitatura procellam
Quæ Troianorum capita, & arma comburat
Incendium graue ferens.
His uerbis νότον ἀργέςαν uocans, purum auſtrũ, quem ſiccum, & abſque nubibus fieri ſcimus. Cui opinioni fauet & Horatius Ode ſeptima primi libri, ſic ſcribens.
Albus vt obſcuro detergit nubila cœlo
Sæpe notus, neque parturit imbres
Perpetuos, ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, uitaq; labores
Molli Plance mero.

Quod etiam ex Hippocrate confirmatur, ſcribente in libro de Humoribus, ſiccitates interdum auſtrinas, interdum aquilonias eſſe. Idemque aſſeruit lib. 1. de Morbis uulgaribus Tempeſtate 1. textu octauo, in hæc uerba ſcribens. Cùm eſſet totus annus auſtrinus, & ſqualidus per ſqualidum, ſiccum intelligens. Eodem modo & libro 2, ſect. 3. textu 1. idem uoluit,

luit, dum ita ſcriptum reliquit. Circa ſolſtitium ferè æſtiuum Perinthum uenimus, facta eſt autem hyems ſicca, & auſtrina. Siccum quoque eſſe auſtrum, apud Ariſtotelem etiam manifeſte conſtat, dum 1. Problematum ſectione problemate 23.& ſectione 26.problemate 49. quærit, cur auſtri ſicci febres generent.

QVEM *græci νότον appellāt, ἀπὸ τῆς νοτίδος, hoc eſt ab humiditate; eum latini auſtrum, ab haurien dis aquis, uocant. Quo autem pacto, auſtri quandoque humidi, quandoque ſicci, atque modo calidi, modo vero & frigidi nobis appareant. omittentes ea, quæ de huiuſce diuerſitatis ratione, opinati ſunt ſcriptores, aſſerentes frigidos, & humidos omnes eſſe, quoniam à niue, à glacie, geluq́ uehementi, fluminibus, & ſtagnis, necnon & terra humenti, ac perfrigerata ſpirant; auctorq́ ſit Hippocrates libro 2. de Diæta in initio, diuerſos ipſos, ſeſe nobis oſtentare, pro regionum, per quas ſpirant, temperie. Auſter enim inquit à ſimilibus Aquiloni natura re gionibus ſpirat; ab auſtrali enim polo ſpirans, & à niue multa, glacieq́, ac gelu fortibus procedens, neceſſariò, his, qui propè ipſum illhic habitant, talis ſpirat, qualis nobis eſt Aquilo; verum omnem non ſimilis, accedit regionem; nam cùm per Solis iter, & in meridiem ſpiret, humiditas ipſius à Sole ebibitur, & reſiccatus rareſcit. Quapropter neceſſe eſt, ipſum, calidum, & ſiccum huc accedere. In proximis igitur regionibus, neceſſe eſt, ipſum, talem uim calidam,*

lidam, & ſiccam exercere, & hoc ſanè in Lybia facit; nam & terra innaſcentia exareſcunt, & homines latenter reſiccat; cùm enim non habeat, nec mare, nec fluuium, vnde humiditatem accipiat; ex animantibus, ac plantis humorem exhaurit. vbi uero pelagus tranſit, tanquam calidus, & rarus exiſtens, multa humditate, regionem, in quam illabitur, implet, & neceſſe eſt, ipſum, calidum & humidum eſſe, vbi non regionum ſitus, alterius qualitatis cauſa exiſtat. Ariſtoteles vero, non modo, pro regionum, per quas ſpirant, temperie, ſed etiam pro temporis anni ratione, diuerſos ſeſe nobis oſtentare, manifeſte retulit 26. Problematum ſectione, problemate 17. & quinquageſimo primo, ſcribens, Hyeme, & ineunte vere, atque autumno ceſſante, Aphrica non minus frigidos eſſe auſtros, quàm regioni noſtrati Aquilones. Omittentes pariter oſtendere Ariſtotelem, ſibi ipſi de auſtri ortu non conſentientem, cùm modo à meridie flare affirmet, vti capite 4. & ſexto, ſecundi Meteororum, ventorum poſitionem methodo deſcribens; modo vero, non à meridie, loco vrſæ oppoſito, ſed ab æſtiuo ſolſtitio, vti ſub finem capitis quinti eiuſdem libri, quo in loco etiam ſibimet diſſidet, dum auſtrum neque ab altero polo, neque ab hyberno ſolſtitio, ſed ab exuſta terrarum parte, ſpirare vult. Atque Galenum interpretantes, ipſiusq; diſcrepantia verba conciliantes, pro vt propoſitum nobis eſt, dicamus, ipſum, calidos appellaſſe auſtros, qui remiſſius ſpirant; contra vero, frigi-

frigidos, qui violenter perflant, veluti ex iis conſtat, quæ ipſemet libro 1. de Morbis vulgaribus, Tempeſtate 1. com. 1. ſcripſit his verbis: Nam, in noſtro tractu, Aquilo, frigidus eſt, feruens Auſter, niſi forte (quod rarum eſt) ineunte vere frigidus ſit; aut alio quopiam anni tempore aliquantiſper hic ſpiret; atqui, ne tum quidem, Aquilone eſt frigidior. Quibus verbis, apertum nobis fit, frigidum appellaſſe auſtrum, qui aliquantiſper, & violentius ſpiret. Humidus pariter (inquit) nobis aduenit, quotieſcunque mitis, blandusq; eſt; dum vero procelloſus extiterit, ſiccus interim videtur; quoniam aëris humiditates, atque ipſos etiam imbres diſſipat, ac pellit: quapropter & Homerum videmus, Iunonem deſcribentem, impetuoſos, furentesq; à Vulcano impetraſſe auſtros, qui frigidi, ſicciq; exiſtunt. Quod etiã ex aliis Poetarum monumentis colligere poſſumus.

XXIII.

BALNEA calida, præſertim nitroſa, ſulphurea, atque bituminoſa, uniuerſum corpus euacuare affirmat. 4. Aphoriſmorum ſectione com. 2. inquiens. Ex talibus autem euacuationibus, & quæ per uterum fit, & per ora uenarum ſedis; ſiue per exercitia, & frictiones, & omnem motum, atque calorem, & balneas calidas, præſertim nitroſas, ſulphureas, & bituminoſas, & ex accidenti inedia; hæc ſiquidem omnia, uidentur totum æqualiter corpus euacuare. Idem uidetur tenere, & 13. Methodi meden-

medendi, non longe à principio, his uerbis. Ergo plethora; tum ſanguinis miſsione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione; Quod etiam paulo inferius ſenſit, dum hæc ſubdidit. Quod ſi in corpore multa ſuccorum abundantia ſit, nec exercitatione, nec balneo, ſine periculo utare; ſin exigua ſit, licet, & per hæc uacues. Quibus uerbis balnea, vniuerſum euacuare corpus manifeſte innuit, cùm ipſa prohibeat, dum multa ſuccorum copia eſt, ueritus, ne ſucci in corpore exiſtentes commoueantur, negociumq; aliquod nobis faceſſant. Hoc idem aſſeruit in calce libri de Conſtitutione artis medicæ, his uerbis. Nam ſi omnes perinde aucti humores fuerint, potiſsima, ac maxima, per uenæ ſectionem, uacuatio eſt, dein per frictiones, exercitationes, balneas, atque inediam. Eodem modo & 2. Aphoriſmorum ſectione com. 17. idem comprobauit, inquiens. Euacuatio autem, omnium humorum æqualiter (quæ quidem exquiſitiſsima eſt) fit per uenæ ſectionẽ; proxima autem huic, eſt, quæ per tibiarum ſcarificationem, ut nos facere conſueuimus, & quæ per exercitia, uel frictiones, uel balnea, & præterea ex accidenti per inediam. Libro quoque 14. Methodi medendi, capite 7. euacuantia ſingula enumerans, & balneorum ex digerentibus aquis meminit, his uerbis. Dictũ

uero

uero à nobis ſæpe eſt, de uacuantium auxiliorum facultate, ea ſunt, miſsio ſanguinis, & purgatio, tum per ea medicamenta, quæ ſubter expellunt, tum per ea, quæ ſupra, ſiue ea uomitoria dicere mauis; præterea multa frictio, & omnis dimotio; itemque balneum, potiſsimũ, quod ex aquis ſit digerentibus. Quod etiam libro 4. de Tuenda ualetudine, docens, quo modo tractandus ille ſit, in quo, ſanguis bonus exiguus eſt, crudi uero humores plurimi, aſſeuerauit, inquiens. Sed nec lauare expedit eos, qui in primis uenis crudorum copiam habent. Affirmauitq; hoc idem libro quinto ferè ad calcem, his uerbis, Quæ uero de exercitationum ratione diximus, eadem & de balneo dicta eſſe putandum, quippè quod, ipſum quoque tutum non eſt, niſi prius inanitũ corpus ſit; inanito uero, utilis eſt, potiſsimũ cuius lauacri aqua potabilis non eſt, ſed in qua uis aliqua digerendi. Omnibus hiſce locis, balnea, totum euacuare corpus oſtendit. Cuius tamen oppoſitum ſcripſit 3. Aphoriſmorum ſectione, com. 15. Euacuationem, quæ per balnea fit, paruam eſſe, & ſolam ferè cutim euacuare inquiens; quæ autem ſunt per carnem, & partes ſolidiores, diſperſæ ſuperfluitates, haud ſufficienter balneis euacuari credidit; ſi itaque ſufficienter non euacuant, quæ ſunt per carnem diſperſæ ſuperfluitates, balnea; mul-

to minus, quæ in alto ſunt corporis, euacuare poterunt.

BALNEA, *dum vniuerſum corpus euacuare affirmat Galenus*, 4. *Aphoriſmorum ſectione com.* 2. *atque alibi; non penitiores, atque internas corporis partes, neque à corporis centro; ſed ab ipſius tantum ambitu euacuare, intelligamus oportet; eorum quippè euacuatio exigua eſt adeo, vt ſolam ferè cutim; & quæ per carnes diſperſæ ſunt ſuperfluitates, euacuare apta ſint, quemadmodum ſcripſit* 3. *Aphoriſmorum ſectione, com.* 15. *Qua re, & in libris de Tuenda valetudine, vbi multa crudorum ſuccorum copia ſit, iure, ac meritò ipſa prohibuit; humores quippè fundunt, colliquantq́, & ipſos nequaquam educere valent; easq́, tantum ſubcutaneas ſuperfluitates euacuant, quæ attenuatæ, atque ad euacuationem paratæ ſunt. Vel etiam hoc pacto dicere poſſumus, Galenum* 3. *Aphoriſmorum ſectione, dum euacuationem per balnea, modicam eſſe, atque ſolam euacuare cutim, aſſeuerauit, de dulcium aquarum balneis, intellexiſſe, quæ, ſolam cutim detergunt, atque externas corporis partes euacuant. De his vero, quæ medicamentoſa aliqua qualitate prædita ſunt, & quibus valida ſatis digerendi vis ineſt, ſermo ab ipſo habetur, cùm corpus vniuerſum, balneis euacuari affirmauit.*

XXIIII.

BETAM, ſtomacho noxiam eſſe affirmat libro 2. de Alimentorum facultatibus, capite

te proprio de beta, ita inquiens. Succus autem betarum, tergendi uim habet manifeſtam, adeo ut uentrem ad excernendum excitet, & ſtomachum interdum mordicet, præſertim, quibus, natura, ſenſu exactiori præditus eſt; ob idque edulium id, ſtomacho eſt noxium, ſi largius ſumatur. Quæ uerba ab Aëtio repetita ſunt ſerm. 1. capite proprio, & ſermone 2. capite 157. de his, quæ ſtomacho incommoda ſunt. Libro quoque octauo de Simplicium medicamentorum facultatibus capite proprio, ipſas, nitroſæ facultatis participes eſſe aſſeruit; quod etiam à ſucco, quem generant, facile nobis perſuaderi poteſt; porraceam quippè bilem, ipſas gignere teſtatur libro 2. Prognoſticorum com. 39. Cui opinioni fauent, & ea, quæ de nigra candidaq; beta loquutus eſt Dioſcorides, utraſque, obnitroſam, quàm habent uim, mali eſſe ſucci, ac ſtomacho incongruas ſcribens. Contrariam tamen de illa ſententiam habuiſſe uiſus eſt Galenus, libro octauo de Compoſitione medicàmentorum ſecundum locos, de affectionibus circa ſtomachum, uerba faciens, ſtomacho cõgruam ipſam ponens, atque ſtomaticis conferre ſcribens, his uerbis. In cibo conueniunt ſtomaticis, beta, lens, tragus, oriza, alica, malis cotoneis, aut palmulis, aut meſpilis, aut mali punici nucleo carentis, granis; aut melapijs ſi-

mul incoctis; aut teneris lentiſci, aut mirti, aut rubi ramulis, admixtis.

Galenvs *libro 3. de Alimentorum facultatibus, capite de oxigalacte, admirari opus eſſe inquit, quoſdam medicos, qui de ſingulis edulijs abſolute pronuntiant, hoc quidem nobis eſſe vtile, aliud vero noxium; præterea ad coquendum facile, vel difficile; mali ſucci, aut boni; multi, aut pauci alimenti; ſtomacho conuenire, aut aduerſari; aluum ducere, aut ſiſtere; aut aliam quamuis virtutem, aut uitium obtinere; atque inquit, de quibuſdam certe pronunciare licet, hoc quidem edulium, omnibus hominibus praui eſt ſucci, aut ad coquendum difficile, aut ſtomacho noxium; de plurimis tamen fieri non poteſt, vt vnico edicto, citra vllam diſtinctionem vere aliquid pronunties. Sic itaque & de beta, dicendum nobis eſt, quæ & tanquam cibus, & tanquam medicamentum conſiderari poteſt; ſi tanquam cibus, obſonium'ue conſideretur, aliud in nobis efficere poteſt, quàm ſi pro medicamento aſſumatur. Betam itaque ſtomacho congruam ponens, libro octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & ſtomaticis conferre aſſeuerans; de ipſa, non tanquam de cibo, ſed tanquam de medicamento loquutum eſſe palàm eſt, vomitum etenim compeſcit, quocirca, & eodem quo lens, oriza, & tragus, modo, adſtringentibus quibuſdam, incoctam, exhibet, quæ fortaſſe & biſcocta, dicendum eſt. atque hac etiam de cauſa febrientibus ipſis qui medi-*

camentum

camentum biberunt, poſt purgationem, exhiberi debere, ſuaſit Hippocrates in libro de Affectionibus. Stomacho autem noxiam duxit, dum pro cibo, ac nutrimento, nobis uſui eſt, quemadmodum docuit libro 2. de Alimentorum facultatibus, propter nitroſam eius vim. Cui opinioni & Oribaſius ſubſcripſit libro 3. ſuorum Collectorum medicinalium, capite 20. vbi de his egit, quæ aliena ſtomacho ſunt, atque de ipſa ſic habuit. Beta vera, ita ſtomacho aliena eſt, vt ſi eſtur largius, morſum etiam inducat. Quod etiam Galenus in libro de Alimentis comprobaſſe viſus eſt, edulium id, ſtomacho noxium eſſe ſcribens, ſi largius ſumatur.

XXV.

Bile in ipſa, ſalſa'ue in pituita (quod ſucci tenues ſint) euacuandum eſſe docet, nulla exſpectata, uera, ac perfecta concoctione libro 1. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. primo, de Alopecia agens. Quod etiam feciſſe uiſus eſt eodem libro in manantibus capitis ulceribus; atque libro 2. in capitis dolore, ab iiſdem ſuccis oborto. nec non & in libro Quos, quibus, & quando purgare oporteat, in principio. Seroſos inquiens humores, & tenues euacuabis, concoctionem expectans in craſsis, & tenacibus quales ſunt, bilis atra, & pituita. Quibus aduerſari uidentur ea, quæ in libro de Conſtitutione artis medicæ ad calcem ſcripſit. Craſſum, & tenax

quod eſt, attenuandum eſſe docens, quod tenue, craſsius reddendum, ſi euacuationem rite peragere uoluerimus. Craſsos autem, uiſcidosq;, attenuandos prorſus eſſe apertiſsime ex ipſo conſtat libro ſecundo Prognoſticorum; tenues uero, craſsiores reddendos, non modo ſenſit in libro de Conſtitutione artis medicæ, ſed etiam alibi frequentiſsime; ſucci quippè omnes, qui tenues ſunt, crudi perhibentur, quē admodum ab ipſo ſcriptum habemus libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 24. Concocta autem medicari, non cruda, inquit Hippocrates in Aphoriſmis &c. Quibus liquidò conſtat, non craſſos modo, uiſcidosq; ſuccos, ſed neque tenues quoque, abſque aliqua eorũ præparatione, educendos eſſe.

FVCHSIVS, *iuniores inter ſcriptores celeberrimus, 2. ſuorum Paradoxorum libro, longa ſatis oratione, Arabum ſententiam refellere nititur, qui flauam bilem, haud ſecus craſſiorem reddendam eſſe opinabantur; ac craſſa, tenaxq; pituita, quo facile à pharmaco educatur, tenuis reddi debet. Nos vero in Contradictione hac, minime Arabum placita inueſtigare proponimus; neque an bilis ipſa, tenuesq; ſucci, quo promptius educantur, craſſiores reddi debeant; neque an concoctio humores æquando perficiatur; ſed id tantum diligentiori trutina penſitandum eſt, (quo Galeni tollatur diſſidium) qualem, tenues ſucci præparationem, concoctionemq; exoptent;*

ptent ; & quid ſibi voluerit Galenus, quùm ipſos in libro de Conſtitutione artis medicæ, atque alibi, euacuationi, ſi rite perfici debet, accommodandos hortetur. Dicamus itaque ipſum, bile in euacuanda, nullam craſſitiem exoptare, cùm tenuiora, longe facilius quàm craſſa, educantur; ſed ipſius tantum moderantiam, alterationemq́; quo facilius, à natura euinci, atque à nobis euacuari ualeat; facilius nempe, commodius, atque minori etiam cum noxa bilis educitur, dum euicta eo pacto eſt, atque edomita, mitiorq́; reddita, quàm dum excandeſcit, acriſq́; eſt, ac hominem exurit. Expectanda propterea in euacuationibus eſt, adiuuandaq́; talis eius moderantia, quæ concoctio quædam exiſtit, atque per ἐπίκρασιν *fit, dandaq́; ſerapia, quæ calorem ipſius, atque feruorem reſtinguant, acredinemq́; alterent, hoc eſt (vti dictum fuit), concoquant, obtundant, mitioremq́; reddant; atque hac ratione cocta, ac veluti edomita, naturaq́; obſequens reddita, abſque moleſtia, minoriq́; negocio ad conuenientia euacuationis loca, purgante à medicamento trahitur; non autem concoctionem expoſcit bilis flaua, neque à Galeno præcipitur, vt craſſitiem adipiſcatur: in qua etiam ſignificatione, concoctionis nomine uſum fuiſſe Galenum palàm eſt libro 6. de Morbis vulgaribus Com. 2. com. 9. his verbis. Dicunt igitur, vomitum vomitu, & acri cliſteri, mordaces deiectiones ſæpe curari; eſt vero & in hoc caſu, una ſanè curatio, affectum excindere, ob quem, vel nauſeabundi*

ſunt, vel crebro inteſtinorum morſu moleſtati ad exonerandum ventrem conſurgunt. Id autem, vt didiciſti bifariam fit, vno quidem modo, nobis, eos humores euacuantibus, qui & nauſeam ſtomacho, & inteſtinis morſum inferunt; altero autem, eos concoquentibus, & in optimam qualitatem mutantibus, ac contemperantibus. Salſam pariter pituitam, cùm excremētum inutile ſit, ſtatumq́ue, ſeu habitum ad naturalem, amplius reduci nequeat; nulla in ea, expectata concoctione, euacuandam eſſe præcipit, quoniam ad benignum ſuccum amplius remigrare non valeat. Quando itaque tenues ſuccos abſque alia concoctione educendos eſſe ſuadet; vel de his intellexiſſe dicendum eſt, qui cùm excrementitij prorſus ſint, nullam admittunt alterationem; vel de ijs, qui, licet, alterationem recipere queant, nullam tamen in eorum ſubſtantia, ſed in qualitate tantum requirunt, atque exoptant; atque dum illos ad euacuationem præparandos, craſſioresq́ue reddendos eſſe innuere viſus eſt in libro de Conſtitutione artis medicæ; dicamus præparationem illam, non craſſitiem, propriæq́ue ſubſtantiæ mutationem vere indicare, ſed alterationem tantum, moderationemq́ue, quanam; ne ſui acredine, feruoreq́ue, euacuaturæ obſiſtant naturæ, nocumentumq́ue membris infligant.

XXVI.

BILIM flauam, primis autumni temporibus redundare ſcripſit com. 68. libri quarti de Ratione uictus in morbis acutis, ſuper uerbis Hippo-

Hippocratis, In acutis morbis, quæ æſtate, & autũno fit repentina ſanguinis deſtillatio &c. Vbi Galenus hæc uerba habet. Cùm autem ma lum ſemper hoc ſignum ſit, magisq́;, quod pri mis, tum æſtatis, tum autumni temporibus, uirtutem ipſius intendi contingit; in ijs nempe diebus, flaua redundat bilis, ambiensq́; acer calidus eſt, quo fit, ut ſanguinem, utranque ob cauſam bene fluentem eſſe oporteat. Cu ius tamen contrarium aperte habuit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 8. ſola aëris ſiccitate, bilim generari ſolitam eſſe ſcribens: æſtate ita que, in qua aëris viget ſiccitas, non autem au tumno, exuperans erit flaua bilis. Aphoriſmo præterea trigeſimo; autũno, bilē atrā abundare ſcripſit. Quod etiam repetitum ab ipſo eſt 6. Aphoriſmorum ſectione com. 57. ubi de apoplexin ab atra bile orta uerba facit. nec non & libro 2. de Facultatibus naturalibus ferè in cal ce, bilim atram, autumno potiſsimum dominari ſcribens, & in ætate ea, quæ uigori ſuccedit. Quod ſi hoc tempore bilis atra abundat, nequaquam flaua imperium corporis tenebit.

AVTVMNO *in ipſo, licet non flaua bilis, ſed atra, alijs prædominetur ſuccis, quemadmodum ab ipſo ſcriptum eſt libro* 2. *de Facultatibus naturalibus ad calcem; atque libro* 1. *de Morbis vulgaribus Com.* 1. *com.* 1. *ſic inquiens. At quia, ſingulis an ni temporibus, ſinguli uigent humores (quemadmo dum*

dum ab illo accepimus) id autē ſcriptum ab Hippocrate fuit Com. 1. in lib. de natura humana, textu 38. hyeme pituita, ſanguis uere, æſtate bilis flaua, autumno acida; non inconuenit tamen, & primis autumni temporibus, flauam ipſam redundare bilem; ut quæ æſtiuis feruoribus procreata ſit; atque optime quidem redundare ſcriptum eſt, non autem generari, quippe quod, ipſam iam æſtate genitam, autumnus excipiat. Adhuc, & non autumno ipſo dixit, ſed primis autumni temporibus; quæ illius pars, æſtatis adhuc naturā, temperiemq́; ſapere uidetur.

XXVII.

BILIM pallidam, uitellinamq́; in iocinore, ac uenis fieri, contendit; porraceam, atque æruginoſam in uentriculo magis; in initio libelli de Atra bile, his uerbis. Ipſa ergo bilis, ſeu pallida, ſeu flaua, ſeu uitellina uiſatur, generationem in uaſis obtinet; in uentriculo autem, alia quædam porracea gignitur, à calidis, & mali ſucci cibis, maleq́; à uentriculo concoctis. Sententiam eandem habuit libro 2. de Temperamentis in calce, ubi uentriculi examinantur intemperies, quæ ſcilicet ex proprio temperamento, uel alterius cuiuſpiam gratia ſint, docens, quo pacto ex euacuatis dignoſcere conueniat, quibus in uentriculo bilis, ab alijs membris defluat, & quibus in ipſomet gignatur uentriculo, aitq́ue nam quibus in uentre, bilioſum excrementum gignitur, id porri

ri uirorem refert; quibus uero ex iocinore de ſcendit; ijs, uel planè flauum, uel omnino ſal tem pallidum. Ac paulo inferius, ita ſubdidit; quæ uero bilis porrum refert, ijs ſolis gignitur in uentre, qui male concoxerunt. Huius tamen contrarium ſentire uidetur libro 2. Prognoſticorum com. 39. porraceam bilem in uenis generari ſcribens, licet quandoque propter quorundam eſculentorum cruditatem, aut olerum, qualia ſunt, beta, cepe, braſsica, in uentriculo procreetur, eius autẽ uerba hæc ſunt. At uero gignitur in corpore, quemadmodum crocea bilis, per naturam habentibus, ita porracea altera præter naturam. conſtatq;, ut hæc ſæpenumero in uẽtriculo gignitur, propter quorundam cruditatem eſculentorum, aut olerum, qualia betæ, cepe, braſsica ſunt; atque interdum talibus nequaquam ingeſtis, ratione ægrotationis, in uenis gignitur; ac decumbit, aut in uentrem ſuperiorem, aut inferiorem; calorem in corpore indicans præter naturam, atque excrementi proprietatem, talis temperamento, qualis prædictorum olerum ſuccus eſt.

SCRIPSIT *Galenus libro 2. Prognoſticorum com. 30. porraceos hoſce ſuccos, duplicem habere ſui generationem; alteram in ventriculo, ingeſtis ijs, quæ talem ſuccum gignendi vim habent; vel ob ſimilitudinem ſubſtantiæ, coloris, ac caliditatis intenſæ*

mine, explicare; atque alias omnes, porracea exce pta, cùm corpus grauiter ægrotat, excerni uidemus; flaua uero, & pallida, & porracea, etiam ſine mor bis euomuntur ſæpenumero, ac deijciuntur. Eam ta men interdum, vti dictum eſt, etiam in uenis, ra- tione ægrotationis fieri aſſeruit, ac inde in ſuperiorem, uel inferiorem uentrem decumbere, calorem in corpo re indicans præter naturam, atque excrementi pro- prietatem, talis temperamento, qualis prædictorum olerum ſuccus eſt. Et licet iuxta rectum generatio- nis bilis in corpore ordinem, porracea in uenis ſem- per gigni deberet, ex flaua nempe, quæ in uenis eſt admodum inflammata, uitellina fit, ex hac uero, ma gis adhuc efferueſcenti, ac ferè uſta, porracea emer git; à qua demum æruginoſa, & nigra; in uenis ta- men ægrotantium, porraceam bilem procreari tan tum uoluit Galenus, qui libro 1. de Alimentorum facultatibus capite 1. docens, quo pacto ex ingeſto- rum ciborum ſuccorum'ue in corpore exiſtentium, di uerſitate, uenter magis, minusq́; lubricus ſit, ita ſcri ptum reliquit. Ad hæc humoris biliosi, alius eſt flauus, alius pallidus; in quorum utroque, maximum eſt pro maioris, & minoris ratione, diſcrimen, vt interim alias eius ſpecies prætermittam, quæ in corporibus æ- grotantibus apparent. Quibus uerbis, cùm por- raceam, ab ea, quæ in ſanis gignitur, excipiat, lu- ce clarius conſtat, Galenum aſſeuerare, porraceam bilem, non niſi in ægrotantibus procreari. Dicen- dum itaque eſt, porraceam bilem in uenis naſci æ- grorum,

oppoſitum aſſeruit libro 1. de Tuenda ualedine, in initio; duo eſſe ſcribens, quæ corpus noſtrum lædunt, corrumpuntq; ac tenet naturalem calorem, agendo in nos, deſtruere ſe, atque exſiccare nos, his uerbis. Artus quoque ipſi inualidi, atque ad motus ſuos incerti, inconſtantesq; probantur, affectio autem hæc in animalibus ſenium appellatur, ei quæ in ſtirpi bus ἄυανσις græce dicitur, proportione reſpondens; eſt enim & illa, ſtirpis ſenium, ſiccitatis exceſſu proueniens. Vna igitur hæc eſt omni genito corpori, corruptelæ, interitusq; connata neceſsitas; altera eſt, quæ etiam in animalibus præcipue cernitur, totius ſubſtantiæ fluor, quem inſitus calor excitat. Quod etiam paulò inferius hiſce uerbis confirmauit. Si corpus noſtrum impatibile, omniſq; affectionis expers eſſet, ſicut adamas, aut quiduis id genus, minime artem ullam requireret, quæ ei tuendo præſideret. Sed quoniam duplices corruptionis cauſas, alteras internas, & à ſe; alteras extrinſecus incidentes habet, neceſſe eſt curam, prouidentiamque non paruam deſideret; & ex ſe quidem duplici ratione conſumi corpus indicauimus, una, quod, uel ætatis curſu, uel aſsiduo ſubſtantiæ fluore ad interitum tendat; altera quæ utique eſum, potionemq; conſequitur; ipſo excrementorum prouentu. Atque idem innuere uiſus eſt 7. Aphoriſmorum

rum

cauſis intrinſecis, & extrinſecæ quidem cauſæ ſunt, ſicut aër diſſoluens, & putrefaciens; & intrinſecæ quidem cauſæ ſunt, ſicut calor innatus, qui in nobis exiſtit, noſtras reſoluens humiditates, & calores extranei in nobis à noſtris nutrientibus generati, & reliqua, noſtras putrefacientia humiditates.

CALOR *profectò, à calore ſibi ſimili, excedente tamen, per reſolutionem extingui, diſſoluiq́; poteſt, quemadmodum in accenſa lucerna conſpicuum ſatis eſt, quæ ſi ſub Sole ponatur, extinguitur quodammodo, diſſipaturq́; lumen ipſius; atque idcirco Ariſtoteles 24. Problematum ſectione, problemate 13. quæſiuit, cur eſt, quod caliditas in vmbra non reſoluatur, in Sole vero reſoluatur, dixitq́; non ob aliud eſſe, niſi quia caliditas reſoluit, potiuſquam adaugeat; in Sole nãque, ui nulla arcente, calor effluit, atque ocyus euaneſcit; in vmbra vero, frigus circunfundens calorem inferiorem reprimit. Verum nihil à proprio, natiuoq́; calore corrumpi dicatur, eo modo, quo ab extranea, vel etiam excedenti caliditate corrumpuntur ſingula; excerpta eſt autem ſententia hac ex Galeno in libello de Tabe, ubi, quorundam opinionem refellit, qui naturalem calorem ab extraneo non diſtinguentes, perperam, viuentium calorem, cum flamma ignis compararunt, quos ipſe carpit, ſermonem eorum nequaquã uerum eſſe affirmans. Igneus itaque, & intenſus, atque extraneus, non autem naturalis omnium rerum calor, eas deſtruit, atque*

corrumpit. Quando autem lib. de Tuenda ualetudine 1. naturalem calorem, deſtruere ſe, atque nos exſiccare ſcripſit; dicamus, ipſius quidem naturalis caloris quandoque ſubſtantiam, quandoque qualitatem, ætatum progreſſu ad ruinam defluere, atque in perniciem agi; & ſimul cum eo, & noſtram, quæ ab ipſo regitur, uitamq; recipit, ſubſtantiam, conſumi. Sed quoniam, nihil quod genitum eſt, atque natura conſtat, primum, & per ſe, ſui corruptionem molitur, ſed quàm longiſſime prorogari, atque in rerum natura conſiſtere peroptat, idcirco etiam dicamus, quod, & ipſe quidem innatus calor, non per ſe, & ex inſtituto, interitus ſui cauſa erit; uerum, vt dicere ſolent, ex accidenti, & alterius interiectu. Cùm etenim, is, radicale humidum, omniquaque, continuò, atque æqualiter complectatur, in eo ſe conſeruari cupiens (gaudet enim, & iucunde fruitur, humidi commertio) licet ſui interitum, & conſumptionem minime exoptet, ipſam tamen neceſſariò adfert, humido depaſtio; atque ſic ſeipſum conſumit, quoniam in eo repoſitus eſt. Qua re Ariſtoteles quoque in libello de diuturnitate, & breuitate uitæ, calorem naturalem, materiam, qua continetur, abſumere, & ipſe ſcripſit. Atque Auicenna loco ſuperius allegato, ita quoque de re hac ſermonem habuit. Calor igitur innatus, eſt cauſa extinguendi ſeipſum accidentaliter, propterea quod cauſſa ſui ipſius materiam conſumendi, ſicuti lampadis flamma, quæ extinguitur, propterea quod ſuam conſumit

mit

mit materiam. Quia itaque is ipſe eſt cauſa, quæ pabulum abſumit, idcirco protinus fit idem calor, interitus ſui cauſa; aliud tamen quidpiam agens, humidum quippè conficiens; quin magis dum conſeruari, & perfici naturaliter deſiderat, ſemet ipſum interimit. Nihil itaque à proprio, naturali deſtruitur calore; & licet naturalis calor exhauſto proprio pabulo, is, & unà extinguatur, non per ſe quidem, uti dictum eſt, ſed per accidens illud fieri dicatur.

XXIX.

CANTHARIDAS totas exhibet libro XI. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite proprio, ita inquiens. Porrò præceptorum meorum quidam, earum paulũ quid in medicamenta urinam cientia, ſolent inijcere; at quidam ſolas alas, & pedes iniiciunt, qui aiunt eſſe alexiteria, iis, qui corpora ipſarum bibiſſent, alii contra, at nos, totas indimus. Quod etiam factum ab ipſo eſt com. 114. libri quarti de Ratione uictus in morbis acutis, ubi inſcitiã cuiuſdã medici, Hippocratem nõ recte intelligentis, notat. Cuius ſententiæ eſt etiam Plinius libro 19. capite 4. atque Dioſcorides, qui cantharidibus utuntur integris. Abſciſſis tamen capitibus, & alis, exhiberi debere expreſsit libro quinto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite ſeptimo, dum in medicamentum excoriatorium liche-

num, quo Menecrates utebatur cantharidum tantum uentres impoſuiſſe uiſus eſt, medicamentum autem illud hiſce uerbis conſcribitur; ſquammæ æris ʒ.vj. auripigmenti ʒ.iiij. ſandarachæ ʒ.iiij.æris uſti ſeſquidrachmã,uentrium cantharidarum ſeſquidrachmam, ſingula per ſe terito, deinde ſimul mixta, cedria excipito, & ad ſtrigmenti ſpiſsitudinem redacta, pixide æris cyprii reponito. Quod etiam paulò ſuperius, ex medicamento, quo Pamphilus medicus Romæ uſus eſt,pariter ad lichenas euidentiſſime conſtat, habet autem hoc pacto, attramenti ſutorii ʒ.j. uentrium cantharidarum ʒ.ij. quidam etiam obolos tres inſuper addunt ,tritis utitor cùm oleo, aut cedria, aut roſaceo, præfricto prius loco. Cuius ſententiæ uidetur etiam Hippocrates, qui libro 4. de Ratione uictus acutorum textu 123. poculum hydropi præparans,cãtharidas tres, abiectis ſingularum,tum capite, tum pedibus, tum alis, in cyathis aquæ tribus, tritis accepit. Libro quoque de Natura muliebri, pedibus pariter, alis, ac capite reiectis,eas exhibuit. Et libro de internis affectionibus, in regij morbi curatione, exhibeto (inquit) & cantharidas ſine alis & capite, quatuor, tritas, & in uini albi demina dimidia, dilutas, modico etiam melle affuſo, atque has, bis, aut ter in die bibat. Eodem modo, & libro de Natura muliebri, ubi

ubi uteros ad coxam decumbentes curat, atque frequentiſsime eodem libro, potiones, & ſubdititia medicamenta recenſens, quæ ſecundas educere, & menſes detrahere poſſunt, cantharidas eo pacto exhibuit, nec non & ad fœtũ enectum. Et libro de Morbis muliebribus, ſubdititia acria, ſanguinem ducentia enumerans, cãtharidas quinque, demptis pedibus, ac capitibus, cum myrrha, ac thure commiſcet. Ipſique Arabes fere uniuerſi, in ipſarum uſu, caput atque alas, proiiciendas eſſe docent. Auicenna excepto, qui 14. 3. tract. 4. capite 13. de curatione aſclitis, Hippocratem notare uidetur, ipſumq; carpit, in hæc uerba ſcribens. Et dixerunt quidam, quod oportet ut ſumantur cantharides, & auferantur capita, & alæ earum, deinde reſoluantur corpora in aqua mellis, & ingrediatur æger balneum, & ſumat illud in potu, aut comedat cum eo panem; & hoc apud me eſt error maximus.

FVCHSIVS *doctiſſimus in arte vir, primo ſuorum Paradoxorum libro, cantharidibus in exhibendis, non diuerſas Galeni, atque aliorum auctorum ſententias nobis obiecit, neque earum reſolutionem explicauit. Sed tantum, Arabes, diuerſa planè quàm græcos, atque inter latinos Plinium, in hac re ſentire oſtendit. Qua re incœptum vt perficiã opus, quia diuerſa in re hac Galenum, in ſuis ſcriptis, nobis tradidiſſe comperimus; atque nos, diſcre-*

pantia ipſius verba concilianda ſuſcepimus, ita dicamus; Diuerſa licet de cantharidibus aſſeruiſſe ipſum videamus, ſi diuerſus earum vſus nobis ſpectetur; nullo pacto, quæ de ipſis ſcripta ſunt, inuicem aduerſa erunt. Animaduertendum itaque eſt libro XI. *de Simplicium medicamentorum facultatibus, dum medicamentis vrinam mouentibus cantharidas admiſcet, non modo earum ventres, verum etiã alas, & pedes ipſos indidiſſe; quoniam aridiores hæ partes, magis quàm ſoli earum ventres attenuare, ac vrinas ciere valeant, atque ea de cauſa, quò, melius, corpus peruadant vniuerſum, nec quidquam officiant, dum ipſas per os aſſumendas eſſe præcepit, integras exhibuit. Libro autem quinto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite ſeptimo, dum ventres earum ſolos, pedibus atque alis abiectis, nobis uſui, & commodo futuros docet; non vrinas mouere, neque longinquam ab iis faciundam operationem proſpicit, neque interius per os propinat; ſed exterius in medicamentis ad lichenas admouet, atque proximas partes curat. Cum itaque exterius adhibentur cantharides, ad ſcabros nimirum vngues, pſoras, lepras, atque impetigines auferendas, tum, corpora ſola accipere in medicamenta poſſumus, quoniam proximas partes curant, neque interna membra lædere valent. Cùm vero hæ ipſæ, vt altius in corpore permeent, exhibendæ ſunt, tum integræ propinari debent. Vires autem cùm inſint eis profectò exedendi, atque vlcerandi, idcirco,*

ſingu-

ſingula hae, quæ eroſionem, atque vſtionem impedire poſſunt, vt ſunt earum pedes, & potiſſimum alæ, admiſceantur ipſis neceſſe eſt. Atque ea ratione Aëtius ſerm. 13. *capite* 49. *ſcripſit, cantharidibus hauſtis, contrariæ affectionis ratione, quantum nihil aliud, auxiliantur cantharidum alæ & pedes cũ paſſo potata. Quod ex Galeno ſumptum eſſe videtur libro* 2. *de Antidotis, & libro* XI. *de Simplicium medicamentorum facultatibus. Quibus etiam teſtimonium accedit Plinij, qui libro* XI. *capite* 35. *ait, venenum hoc, remedia ſecum habet; alæ medentur, quibus demptis, lætale eſt. Atque Dioſcorides quoque libro* 3. *capite* 53. *alas cantharidum, maleficio earundem aduerſari ſcripſit. In interno itaque uſu, mixtura totarum cantharidum, iuxta Galeni placita, minoris erit periculi; ſi enim integræ exhibeantur, tum ijs non indigent, quæ vim illarum corrigant, cùm ſecum habeant, quæ veneno mederi poſſunt. Atque certe multo conſultius eſt, ut parum erodant corpora, atque venenoſa illarum uis, alis earum, pedibusq́; non nihil obtundatur; quàm vt ex integro facultatem ſuam, magno cum periculo, imo, non raro, præſenti ægrotantis interitu, compleant. Verum enimuero cùm ipſius Dioſcoridis teſtimonio apertum nobis ſit, ipſas, licet integræ exhibeantur, ab ore, ad veſicam, cuncta erodere, ac cum lotio ſubinde ſanguinem educere. Quod etiam Galenus affirmauit libro* 3. *de Simplicium medicamentorum facultatibus capite* 23. *ubi etiam docet,*

quo pacto, uis ea, aliarum rerum admixtione refrangatur. Quod etiam repetitum ab ipſo eſt libro 4. capite 9. periculoſumq́; eſſe cantharidum uſum aſſeruerit libro quarto de Ratione uictus in morbis acutis com. 122. atque medicamenta plurima habeamus, quibus, urinam abſque noxa ciere poſſimus, conſultius erit fortaſſe, vt illæ, uel capite, atque alis abiectis, uel etiam integræ, ijs tantum medicamentis miſceantur, quæ pſoras, & lepras ſanant.

XXX.

CARNES ſalitas, melancholicũ, craſſumq; ſuccum generare ſcribit libro 3. de Locis affectis, capite ſexto, de Melancholia agens, in hæc uerba. Atque magnam in huiuſcemodi ſanguinis generatione, uim obtinet, ex lepore cibus, ſed multo magis ex apris; & limaces quoque melancholicũ ſanguinem pariunt, ſi frequens ſit eorum uſus; præterea, omnium terrenorum animalium carnes, ſale conditæ. Quod etiam repetitum ab ipſo eſt 2. Aphoriſmorum ſectione com. 18. Neque diuerſum ab his Auicenna ſenſit 2. 1. doct. 2. cap. 15. De his quæ proueniunt ex his, quæ comeduntur, & bibuntur in capitis calce, ubi inquit, eas, ſpiſsi eſſe nutrimenti, ac pauci. Quibus non aliud innuere uoluit, quàm melancholici, craſſiq; ſucci exiſtere. Oppoſitum tamen ab ipſo habemus in libro de Diſſolutione cõtinua, ubi de iis attenuãtibus cibis loquutus eſt, quibus, ſan-

ſanguis tenuis generatur; & quod de humoribus craſsis, uiſcidisq; in corpore eſt, attenuatur; poſteaquam de prima, & ſecunda eorum differentia, quæ diſſoluunt, ac tenuant, uerba fecit, ubi ad tertiam deuenit, in hæc uerba ſcripſit. Tertia differentia eorum, quæ diſſoluũt, & tenuant, cum ſalſedine ſua eſt ſicut muria, & piſces, quando ſunt ſaliti, leuis carnis, & paucæ pinguedinis; & ſicla, & aqua caſei ſaliti, & omnes cibi, in quibus poſitum eſt ſal, & muria. Quo in loco, ſale conditas res non craſſum, melancholicum'ue ſuccum generare ſcribit, quin potius eorundem craſsitiem attenuare affirmat.

DICENDVM *eſt Galenum libro tertio de Locis affectis, de carne ſalita animalium quadrupedum maiorum loqui, quæ melancholicum utique, atque craſſum generat ſuccum. Libro autem de Diſſolutione continua, de piſcibus ſalitis mollibus, ac paruis, uerba habere; atque ſic de paruorum quoque, iuniorumq́; animalium carnibus, quæ, non modo craſſos non reddunt ſuccos, quin potius ſalſedine ſua, craſſitiem ipſorum attenuant, atque lentorum diſſecant. Diſtinctio autem hæc, deſumpta ab ipſo eſt, libro de Alimentorum facultatibus tertio, capite 4. ubi ſardellas, atque anguillas, ſalis ratione, ſuccos attenuare, easq́; ipſas in tenues conuerti ſuccos; bouis autem ſalitam carnem, uel maiores etiam piſces, craſſos procreare ſuccos, manifeſtiſſime aſſeruit. Huic*

quoque

quoque non diſſimilem diſtinctionem poſuit, eodemmet lib. capite penultimo, ubi de Cibis ſale conditis uerba fecit, oſtendens, qu'nam ſint ad ſaliendum apti; qu'ue minime, ac inquit, Ex his autem perſpi cuum eſt, ea ad coquendum eſſe difficillima, quæ ſale condita, dura euadunt, ac neruoſa; & ueluti cutacea, atque coriacea; quæ uero contra habent, tenuia quidam ipſa redduntur; manſa autem, humo res craſſos, ac glutinoſos tenuant.

XXXI.

CASTANEAS craſsi quidem, nullo autem pacto praui eſſe ſucci ſcripſit in libro de Cibis boni & mali ſucci, his uerbis. Sed quanto acyli inter cæteras glandes, ualentiori adſtringendi facultate ſunt; tanto hac in re, ab ipſis glandibus, caſtaneæ ſuperantur. In his enim adſtringendi facultas ualde imbecillis eſt, quamuis æque ac reliquæ glandes inter craſsi ſucci cibos adnumerentur, commodius tamen concoquuntur, ac nullo modo praui ſucci, & adſtringendæ aluo maiore efficacia ſunt; uerũ, ab harum uſu abſtinendum eſt, non ea tantum de cauſa, quod ſicuti multi, quæ diximus, craſſi ſucci habeantur; ſed quod ægre concoqui, aluumq; adſtringere, ac inflationes excitare poſsint. Amplius, & paulo poſt, ubi de fructibus uerba habet, ſic inquit. De fructibus deinceps agendum eſt; nanque, quos arbores ferunt, omnes ferè, ut ita dixerim, ma-

li ſucci ſunt, his tamen exceptis balanis, quas caſtaneas uocant; quæ ſi in uentriculo concoquantur, efficaciter nutriunt, atque eæ, craſſi quidem, nunquam autem mali ſucci ſunt. Præterea & libro 2. de Alimentorum facultatibus, ubi de fructibus plantarum agreſtium agit, inter quos ſunt quercuum glandes, inquit, cæterum μεμήκυλος, glande querna ad omnia eſt deterior; quemadmodum, hæc, glande caſtanearum, quas uocant; omnium enim glandium, hæ, ſunt præſtantiſsimæ. Sunt enim qui hos fructus λοπίμους appellent; hi nanque inter fructus agreſtes, & ſoli, alimentum corpori dant memorabile. Atque de ipſis idem ſentire uidetur Aëtius, qui ſermone 1. ubi de quercu agit, caſtaneas, ex omnium glandium genere, optimas eſſe fatetur; atque ſerm. 2. capite 252. caſtaneas, malum non habere ſuccũ ſcriptum reliquit. Libro tamen de Attenuãti uictus ratione, eorum immemor Galenus, quæ ſupra citatis locis dixerat, diuerſiſsimam de ipſis protulit ſententiam, his uerbis. Caſtaneæ, ſiue elixentur, ſiue aſſentur, ſiue denique frigantur, ſemper ſunt prauæ, & multo magis ſi crudæ mandantur.

Castaneas *craſſos quidem ſuccos, nullo autem pacto prauos, gignere, efficaciterq́ nutrire teneamus cum Galeno in libro de Cibis boni, & mali ſucci, qui etiam libro 2. de Alimentorum facultati-*

bus, quaſi pares frumento in nutriendo, ipſas, eſſe dixit, eas tamen ad alios ſilueſtres fructus comparando. Quando autem libro de Attenuanti uictus ratione, eas, quocunque paratas modo condemnat, iã non quia prauos generent ſuccos improbat, ſed quia craſſos tantum; atque hac ratione, attenuanti uictui, de quo, eo libro ſermonem habet, noxias eſſe conſtat. Improbæ erunt itaque attenuanti uictui; atque ob ſuccorum, quos generant craſſitiem, ijs ſolis conuenientes, qui & ualentiore concoquendi ui à natura præditi ſunt, & calore natiuo plurimo abundant, & fortioribus ſe laboribus, atque exercitijs dedunt; delicatioribus uero, atque imbecillis, minime conuenient, ut quæ, & uentriculo negotium faciant, flatuq; uiſcera impleant, obſtructionesq; ſua ſoliditate ſubſtantiæ pariant. Quod ſi quandoque in uſum uenire debent; rarus is ſit, nec niſi aſſæ, ac ualde coctæ, & pipere conſperſæ, quo minus noxias experiri quis eas ualeat.

XXXII.

CATARRHUM calidum, ac deſtillationem calidam, & ſalſam curat, capiti, calida & ſicca applicando, ceratum uidelicet ex thapſia; libro quinto Methodi medendi, capite 14. quoniam (inquit) longo omnino tempore eſt opus, ut ſucci corrigatur uitiũ; in tempore uero neceſſe eſt duorum alterum, aut ſiccando, ulcus, ceu callum fieri, eoque fore omnino inſanabile; aut non ſiccando, tum ipſum putre-

putrefacere, tum, quæ circa ſunt, depaſcere, atque ita, ſpacio, pulmones putrefacere. Oppoſitum tamen huius exequutum eſſe conſtat libro 6. de Tuenda ualetudine, ubi in ipſo ſalſo catarrho, non calida, & ſicca, ſed frigida admouet, & humida capitis intemperiem remouens, atque ita ſcribens; Nec committere (quod nonnulli medicorum faciunt;qui omni capiti, medicamentum, quod ex thapſia, & ſinapi componitur, applicant) id ipſi quoque facerent. Quando, ſi ex calida intemperie, caput male habet, talia medicamenta noceant; expedit igitur, hos, frequenti balneo potabilis aquæ fouere, quo & calidos uapores, qui in capite ſunt,euocemus;& totũ capitis temperamentum, melius reddamus.Quod etiã uidetur docere Trallianus,qui in Galenum inuehitur.

CATARRHVM *calidum, & calidam à capite deſtillationem dum curat, capiti, calida admouendo auxilia, quemadmodum libro quinto Methodi exequutus eſt, morbum iam factum tunc ſibi curare in animo eſt, nulla, de cauſa morbi conſideratione habita. Dum vero libro ſexto de Tuenda valetudine, frigidis, & humidis, catarrhum remouere nititur, intemperiem proſpicit, & cauſæ addictus eſt tollendæ, nullam de ipſo morbo curam habens; ablata nempe cauſa, & morbum ſummoueri opinatur; atque ſic de præſeruatione hoc loco; illo, de curatione, uerba feciſſe dicatur.*

Cerebrum

XXXIII.

CEREBRVM per palatum, & aures, & nares, atque etiã per oculos expurgari poſſe ſcripſit in lib. artis medicæ, ubi de ſignis bonæ cerebri temperaturæ egit, hæc uerba habens. Si quidem cerebrum ſortiatur bonam quatuor primarũ qualitatum temperaturam, omnia quæ diximus, habebit moderata, & excrementa, quæ uel per palatum, uel aures, uel nares, uel oculos expurgantur, hæc quoque modice ſe habebunt. Quod etiam apertiſsimis uerbis affirmauit lib. 1. de Tuenda ualetudine, ferè in libri calce, ubi de cauſis retentionis excrementorum, quæ per totum euacuantur corpus, uerba facit, ſic inquiens. Eſt nanque cerebrum, rationalis animæ ceu domiciliũ, quod cùm oſſe ſolido ſit ſeptũ, plurimis, maximisq; canalibus expurgatur, primum per nares, & palatum, ſecundo per utranque aurem, tertio per caluæ commiſsuras. Eodem modo, & libro 2. de Locis affectis capite 3. ita in eandem ſententiam ſcripſit. Cerebri uero redundantia per nares præcipue, nonnunquam uero per palatum, & aures nacuantur. Diuerſa tamen de huius membri purgatione ſenſit, atque nó per omnes has regiones, ſed per duas tantum expurgari credidit, eodem libro artis medicinalis, ubi de præſeruatiuis cauſis loquitur in hæc uerba ſcribens. Promptius enim euacuantur

per

per uentrem quæcunque in primis uenis continentur ſuperfluitates; quæ uero, in his, quæ in hepate ſunt, per urinæ meatus; at quæ in toto corpore, per ſudorem; ſicuti, quæ in capite, uel per palatum, uel per nares, uel per utrũque. Eodem modo & 1. Aphoriſmorum ſect. com. 21. idem uoluit, ſic ſcribens. Sunt autẽ euacuationibus commoda loca, inteſtina, uenter, ueſica, uterus, cutis uniuerſa, ad hæc palatum, & nares, quando uel cerebrum expurgamus, uel per profluuium ſanguinis fit excretio. Quod etiam aſſeuerat in principio libri noni de Vſu partium, his uerbis. Cæterum decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium, conſpicuis orificijs ac magnis, ſenſibilia, ac craſſa eructãt excremẽta. Quinimo libro octauo propè finem, canales, qui per palatum in os feruntur, ſoli, purgando cerebro idonei ab ipſo cenſentur, quando animal omnino recte habet, alimentumq; belle uincit, ac percoquit; nares autem potiſsimum factas fatetur, non quia per eas ſuperfluorum cerebri fieret excretio, ſed ut odores perciperent, atque in cerebrum inſpiratio fieret, & ex abundanti demum, quò male affecto cerebro, ſubſidio eſſent. Atque his quoque ſubſeruiunt, quæ libro 1. de Symptomatum cauſis, his uerbis expreſsit. Sed quoniam de naſo meminimus, qui duplici facultati ueluti lingua

gua ſubſeruit; quippè qui, & odoratus inſtru mentorum, & reſpiratus ueluti finis quidam eſt &c. Quibus liquidò conſtat, nares, non ad cerebri expurganda excrementa, ſed alia de cauſa potiſsimum à natura conſtructas eſſe. Eodem pariter modo, & expurgationem per aures, alienam à natura eſſe ſcripſit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 34. puerulis exceptis; qui bus, per aures, cerebrum expurgatur; quo fit (inquit) ut Hippocrates, inter proprias eius ætatis paſsiones, aurium ſcripſerit humiditates. Expurgationem quoque per oculos, cerebri expurgationem minime eſſe uoluit libro 1. Prognoſticorum com. 10. dum inquit, oculorum lippitudinem à cerebro non trāſmitti, ſed oculi ſuperfluitatem eſſe, ex imbecillitate regentis oculum facultatis naturalis. Quare ſupereſt nobis dicere, nequaquam per omnes eas partes; ſed per palatū tātum cerebri excrementa, à natura expurgari; quæ uero per aures, nel nares, uel oculos emittunt, earum potius partium propria excrementa ſunt, quàm ipſius cerebri, quemadmodum ab ipſo ſcriptum eſt libro 1. Prognoſticorum, com. 13.

LICET *Hippocrates, in libello ſuo de Glandulis, atque in libro de Locis in homine, ſeptem uideatur ponere cerebri fluxiones, tres ſecundum naturā, & quatuor præter naturam, inquiens. Fluxiones porrò de capite vſque ad ſecretionem contingunt,*

per

per aures ſecundum naturam, per oculos, per nares, atque hæ tres ſunt; & aliæ per palatum, in guttur, & in gulam; & aliæ per venas in medullam ſpinalem, & in ſanguinem, quæ omnes ſeptem numero exiſtunt. Poſſumus tamen rectè utique dicere, cerebrum, dum naturaliter diſpoſitum eſt per os tantum, ac nares, commode, atque ſufficienter euacuari; vbi vero plurima exuberat in eo humiditas, & per alios quoque meatus, ipſum quandoque expurgari, incongruum non eſſe; quemadmodum in puerulis exemplum nobis præbuit 3. Aphoriſmorum ſectione, com. 24. inquiens. Quare non abſque ratione, in puerulis, cùm ſuperfluitates abundent, per omnia foramina excernuntur. Poſſumus etiam dicere, cerebri ſinus, ſeu ventriculos facile per ſolum palatum, reliquam vero ipſius capacitatem tum per palatum, tum per nares, tum per aures etiam, & oculos expurgari poſſe.

XXXIIII.

CIBOS duræ, ac tardæ digeſtionis, his, qui ſunt uelocis, præponi in comeſtione debere, ſcribit in libro de Diſſolutione continua; atque rationem hanc reddidit, quoniam uentriculi fundus calidior eſt, ac potentior ſupra digeſtionem, propter multitudinem compactionis eius, quæ eſt in eo de partibus carnis. Vſus tamen, ratio, atque auctoritates plurimæ oppoſitum docent; auctoritas eiuſdem eſt libro 2. de Alimentorum facultatibus, capite

de perſicis,hæc uerba habens.Sed in omnibus, quæ praui quidem ſucci, uerum humida ſunt, ac lubrica,& quæ ſubduci facile queant, id cómuniter tenendum, ea, ob id ipſum, ante alios cibos ſumenda eſſe; quibus uerbis nil aliud uult, niſi concoctu faciliora, præ alijs cibis aſſumenda eſſe. Atque ſuperius quoque, ubi de ſycaminis egit, quæ & mora appellantur,talem poſuit uniuerſalem regulam. Satius enim fuerit ſcire, ex ijs cibis, quæ ſubducuntur, poſteriores quidem ſumendos, qui tarde permeant; omnium autem primos, qui celeriter quidem peruadunt, corrumpuntur, tamen, ſi in uentriculo morentur diutius. Quod etiam Aëtius Serm. 1. capite de malo perſica aſſeruit his uerbis. Porrò uniuerſalis huius regulæ, perpetuo memorem eſſe oportet, quod quæcunque mali ſucci ſunt, humida autem,& lubrica, & quæ facile aluo ſecedere poſſunt;ea prius quàm alia comedere oportet. Atque uti dixi, uſus etiam obſeruat, & ratio dictat,corruptis nempe ijs,quæ facile corruptibilia ſunt; & cætera, quæ præaſſumpta, ac prius ingeſta fuere, corrumpi neceſſe eſt.

QVONIAM *cibaria,ipſa,eo conſilio à nobis aſſumuntur, vt vel corpus alant, vel etiam vt aluum ipſam ſubducere valeant; ſi deijcienda alui ratione edantur, humida, ac velocis digeſtionis; quod faciliùs hæc, atque promptius deijciantur, in comeſtione*

ſtione omnino præponi debent. Quod ſi nutrimenti ratione magis, quæ duræ concoctionis exiſtunt, prius edenda eſſe certò ſciamus. ventriculi quippè fundus, propter plurimam compactam; quam habet carnem, validior longè ad concoquendum, quàm ſuperior eius pars exiſtit, quæ minus carnoſa eſt. Duriora itaque meritò ingerenda prius; ut quæ validiori egeant calore, qui in craſſiori, carnoſiorią; ventriculi ſubſtantia reperitur; leuioribus, atque facilioribus ſecundo loco aſſumptis, cùm & à leuiori hac, atque imbecilliori calido, qui in ſuperna ventriculi parte reperitur, ſuperanda ſint. Nempe ſi ea prius edantur, quæ facillimæ concoctionis exiſtunt, ac humida; poſterius vero, quæ concoctu duriora, difficilioraą; à ualida, quæ in fundo uentriculi reperitur caliditate, adeo uelociter ſuperabuntur, ut quàm ocyſſime exire properent; nulla fere, in his, quæ à ſuperna uentriculi parte confici debent, tranſmutatione peracta; atque per conſequens, inconcocta hæc; illa citius quàm par ſit, deiecta, modice ſatis nutrire poterunt. Ex aduerſo autem, ſi duriora, quemadmodum Galenus aſſerit, ubi calor ualidior; leuiora uero, humida, atque concoctu faciliora, ubi minor eſt, ingerantur; pari, vtraque, concoquentur tempore; faciliora nempe, ab illa uentriculi parte, quæ imbecilliori prædita eſt calore; duriora uero, ab ea, quæ ualidiori calido, donata à natura eſt; atque hoc pacto, ſatis bona cadet inter concoquens, atque concoctile proportio, tum ſuperioris, tum inferioris uen-

R 2 *triculi*

triculi partis; uno enim, eodemq́ tempore, & dura, & concocta faciliora ſuperabuntur. Verum, quia Galenus in libro de Diſſolutione continua, cibos duræ, ac tardæ digeſtionis, his, qui ſunt uelocis, in comeſtione præponi debere ſcripſit; dicamus, facilis concoctionis cibos eos intellexiſſe, qui facile è uentriculo labuntur; quorum facilis lubricitas, & poſteriores cibos, quorum craſſior, duriorq́ eſt ſubſtantia, ocyus quàm par eſt, à uentriculo deiçi opinatur; à fruſtrata autem, & non perfecta in uentriculo concoctione, neque quæ in iocinore fit, ritè abſolui poterit; quocirca & prauorum ſuccorum, prauiq́ ſanguinis generationem conſequi neceſſe eſt.

XXXV.

CICHORIVM uitioſiſsimi eſſe ſucci ſcripſit libro 2. de Alimentorum facultatibus ubi de alimento egit, quod ab ipſis plantis ſumitur; aliquos hoc edere affirmans, magna urgente neceſsitate, haud ſecus ac piretrum, ſium, æquapium, feniculum, ſcandicem, chondrillam, gingidium, daucum, & plurimarum arborum, ac fruticum teneræ germina, quæ, homines fame adacti, ſæpe mandunt. Atque hoc idem confirmauit in libro de Cibis boni & mali ſucci, ubi de oleraceis uerba fecit, ſic inquiens; ſed lactuca agreſtis, chondrilla, ſcandix, gingidium, ſeris, cichorium, aliaq; ex oleraceis agreſtibus, omnia, uitioſiſsimi ſunt ſucci. Contraria his communis eſt ſententia,

tiá, & uſus; ipſum nanque cichorium, ægrotis commodiſsime ab omnibus medicis, & in acetarijs, & aliter coctum exhibetur, atque conceditur.

CICHORIVM *ubi Galenus improbat, de agreſti loquitur; atque de ipſo tanquam de cibo, quo nos nutriri, atque ali fortaſſe debeamus, uerba ipſum feciſſe credendum eſt; quod uitioſiſſimi ſucci cibum eſſe conſtat; agreſtia quippè quæuis olera, praui eſſe ſucci ſcripſit in libro de Cibis boni, & mali ſucci, ubi de oleraceis uerba fecit; & libro 2. de Alimentorum facultatibus, ubi de Alimento pertractat, quod ab ipſis plantis ſumitur. Quatenus uero medicinalis cibus, ac quatenus medicamenti rationem ſubire debet; vt quod amarore ſuo iecinoris obſtructiones tollat, atque ita calidis eius affectibus proſit, vt frigidis non noceat, inculpatum perhibetur. Domeſticum præterea cichorium, tanquam laudatiſſimum in ferculis, atque in acetarijs ab omnibus medicis admittitur; ſilueſtre è contrario, omnes, abdicarunt in cibis.*

XXXVI.

CLYSTERES, pleureſis locum expurgare ſcribit lib. 4. de Ratione uictus in morbis acutis com. 21. de pleuritide uerba faciens, atque ſic inquiens. Nempe, relaxato per ſanguinis miſsionem corpore, quod ex morbificis humoribus uitioſum eſt, atque ſuperfluit; per clyſterem id uacuari iubet; quod autem illi ſco

pus ſit, non ſolum alimenti excrementa ſubdu-
cere, uerum quoque & paſsim locum expurga-
re, palàm eſt. Idem tenet etiam libro 2. de Cō-
poſitione medicamentorum ſecundum lo-
cos, ubi de his agit, qui ex ſtomacho caput do-
lent, in quibus (inquit) clyſteres fortes, non
ſolum ea euacuant, quæ circa uentrem, & me-
ſareum ſunt, ſed etiam quæ circa hepatis ſima.
Hippocrates quoque idem palàm ſentire uide-
tur libro 3. de Morbis, bilim, per clyſterem,
educi poſſe aſſeuerans; bilis autem ipſa, non
niſi à iocinore educi poteſt, uel à uentriculo, ſi
in ipſum regurgitauerit. Cuius ſententiæ eſt
etiam Auicenna, qui 4. 1. capite 17. de enema-
te agens, clyſteres, à membris principalibus ſu-
perioribus, ſuperfluitates attrahere auctor eſt.
quod ſi acuta (inquit) ſunt enemata, hepar de-
bilitant, atque ad febres perducunt. Acutos
præterea clyſteres à capite euacuare, manife-
ſtiſsime idem prodidit 10. 3. tract. 3. capite de
curatione ſputi ſanguinis, inquiens, & admini-
ſtretur in eis clyſter acutus, ad attrahendum
materiam à partibus capitis; proprie cùm non
fuerit phlebotomia poſsibilis, propter prohi-
bitionem. Amplius & libro 3. tract. 3. capi-
te de cura Melancholiæ, clyſteres ipſos, ma-
teriam melancholicam, in capite firmatam, e-
uacuare ſcripſit. Cum his ipſis uidetur etiam
idem ſentire Celſus libro 3. capite 19. clyſte-
res

res ipſos, corpus alere ſcribens; nutrire autem minime poſſent, niſi ad ipſa enutrienda membra, atque ad uniuerſum demum demandarentur corpus, deducerenturq́;. Auenzoar quoque libro 1. capite 18. ubi de priuatione ſenſus, & motus egit, & relaxatione mery, & œſophagi, enematibus infirmum nutriri inſinuauit his uerbis. Recipias lac, uel pultes ex farina tritici liquida, decoctas, in ueſica una capræ, uel eius ſimilis; & ſit in collo ipſius una cannula argenti ad modum clyſteris, & facta mundificatione inteſtinorum perfecta cum clyſteribus abſterſiuis & mundificatiuis, pone dictā cannam intus in ano, & exprime dictam ueſicam diligenter cum manu, donec totum lac, uel pultes in inteſtino recto, ab infirmo recipiantur; & ſic inde, dictum inteſtinum ſugendo recipit nutrimentum, & ab ipſo, aliud inteſtinum ſibi continuum, rapiendo ſugit, & ab illo, aliud; donec ſic ſucceſsiue ad fundum ſtomaci dictum nutrimentum habet deuenire; inde ſtomachus recipit, quod ſibi conuenire uidetur, & ab eo nutritur. Atque non modo Celſus, & Auenzoar, uerum etiā Aëtius enemata uires reficere teſtis eſt ſermone 3. cap. 159. ubi de infuſionibus ſedis loquitur. Quod etiam repetit ſerm. 3. capite de cardiacis. Quinimo & Hippocrates eiuſdem ſententiæ eſſe uidetur, dum in libris de uictus ratione in mor

bis acutis; uenam in acutis ſecandam eſſe docens, inquit, ſi quidem igitur angina fuerit, ſi ue aliquis alius ex pleureticis morbus, eclegmatis delinctu purgato, ſi uero debiliore ſappareant, ſi plus de ſanguine detraxeris, infuſo alui per clyſterem tertio quoque die, utere. Contrarium tamen huius ſcribere uiſus eſt Galenus libro 5. Methodi medendi capite x i. clyſteres inquiens, ad partes uentriculo uicinas pertingere minime poſſe; uerum recipiuntur (ait) quandoque in uentriculo, cùm præter naturam eſt affectus. Idem habet & libro 3. de Symptomatum cauſis, ubi de attractrice uerba habet. Amplius libro 13. Methodi ipſa ad ieiunum uſque aſcendere minime poſſe apertiſsime ſcripſit; imo etiam (inquit) ſi admodum nitaris, fortaſſe tenue tantum inteſtinum attingunt.

Clysteres, *tametſi ad ſanum ventriculum peruenire minime valeant, neque ex ipſo immediate euacuare; cùm tamen præter naturam affectus eſt, etiam, ex iniectis per inferna, aliquid capit. Unde mirum non eſt inquit Galenus libro 3. de Symptomatum cauſis, clyſmatis quoque aliquid, & ſtercoris, ex uiolenta inteſtinorum conſtrictione, ad ventrem aliquando præter naturam reuocari, deinde ad exitum properare. Licet itaque vt plurimum clyſteres immediate à ſtomacho euacuare minime valeant, neque ad ipſum permeare; per media tamen*

inteſtina,

inteſtina, nihil prohibet quandoque & ſuperiores inteſtinorum partes, & ventriculum ipſum, enematibus euacuari poſſe. Quare Auicenna 16. 3. tract. 4. capite 1. de Canonibus curationis cholicæ agens, ſcripſit, clyſteres, dum humorem in inteſtinis inueniunt, ex alijs non attrahere locis, neque ex alijs membris euacuare plurimum; quibus inferre licet, clyſteres ipſos, ſuperiores quandoque partes euacuare poſſe, dum nihil in inferioribus educendum reperierint. Vel etiam dicendum eſt, quod licet clyſterum materia, ad ſuperiores eas non tranſcendat partes; virtutem tamen ipſorum, ad illas permeare, inconueniens non eſſe. Dum autem Hippocrates, bilim euacuare contendit clyſteres; iam non bilim intelligit, quæ in iocinore reperitur, ſed quæ in ventriculo, uel inteſtinis iam defluxa eſt. Eodem modo, dum Auenzoar, Celſus, atque Aëtius, enematibus corpus ali ſignificare uidentur, dicere poſſumus, quod non alimento, ueraq; nutritione, ac ſubſtantifice, ſed qualitatiue tantum humectatione, uidelicet, quæ per partem poſt partem ab ipſis, ad cætera ſuperiora membra, impartiatur.

XXXVII.

COMPOSITIO in nobis duplex eſt, iuxta Galeni mentem, ſimplicium uidelicet, primarumq; particularum; atque eorum, quæ ex ipſis componuntur inſtrumentorum, quemadmodum teſtatur in libro artis medicæ, ubi de corpore ſalubri egit, inquiens. Salubre corpus

eſt, quod ab ipſo naturæ ortu bonam habet tẽ peraturam in ſimplicibus,& primis particulis, atque in his, quæ ex illis componuntur inſtru mentis, eſt commenſuratum. Triplicem ta men in libro de Morborum differentijs, capi te 3. poſuit, ſimilarium uidelicet primam, ueluti uenarum, arteriarum, neruorum, oſsium, cartilaginum, ligamentorum, membranarum, & carnium; ſecundam inſtrumentalium, cerebri, cordis, pulmonis, hepatis, uentris, ſplenis, oculorum, & renum; tertiam, totius corporis. Idem apertiſsimis uerbis tenet etiam libro ſexto de Tuenda ualetudine, ubi de inæquali corporis ſtatu loquitur, hæc uerba habens: Compoſitio corporis noſtri, triplex eſt, una ex primis elementis, ex quibus conſtant ea, quæ Ariſtoteles ὁμοιομερῆ. id eſt ſimilares partes nominat; ſecunda ex his ipſis ſimilaribus; quæ ipſa quoque rurſus, ſenſibilia diſsimilarium partium elementa ſunt, ex quibus, inſtrumentalium compoſitio conſiſtit; tertia ab his, totius corporis compoſitio, ex ipſis inſtrumentalibus eſt; ac facillima quidẽ, tum ad diſcernendũ, tum ad curandũ tertia eſt; difficilior ſecunda, maxime lubrica prima eſt. Eandem ſententiam habet Ariſtoteles libro 2. de Partibus animalium capite 1. ſic inquiẽs. Cùm itaque triplex ſit compoſitio, prima ſtatui poteſt ea, quæ ex primordiis conficitur iis,

quæ nonnulli elementa appellant, terræ dico, aquæ, aëris, ignis; ſed melius fortaſſe dici poteſt, ex uirtutibus conficitur elementorum, iisq; non omnibus; ſed ut ante expoſitum eſt; humiditas enim, & ſiccitas, & caliditas, & frigiditas, materia corporum ſunt compoſitorũ, cæteræ autem differentiæ, eas ſequuntur, ut grauitas, leuitas, denſitas, raritas, aſperitas, lenitas,& reliquæ id genus affectiones. Secunda conſtitutio ex primis illis, natura ſimilariũ partium in animalibus eſt, ut oſsis, carnis, & reliquorũ generis eiuſdẽ. Tertia, & ultima numero, partium diſsimilarium eſt, ut faciei, manus, & reliquorum eiuſmodi membrorum.

COMPOSITIO, *hoc pacto in nobis, triplex eſſe poteſt; quoniam ſimilarium partium forma, diſſimilariumq;, ac totius etiam corporis inter ſe quoque modo differunt; hæc autem, tria cùm ſint, quæ corpus conſtituunt, triplex hoc pacto compoſitio noſtra dici poteſt; realiter autem, ſeu eſſentialiter duplex dũtaxat eſt compoſitio, ex ſimilaribus una, ex diſſimilaribus altera conflata partibus. Quod nanque ex his duobus, tertium compoſitum eſt, nihil profectò eſt aliud, quàm ſimilares ipſæ, atque diſſimilares partes. Neque diuerſum profectò eſt hoc, ac ſi diceremus hominem, ex materia tantum conſtare, ac forma; uel etiam ex materia, & forma, atque compoſitio; ipſum nanque ex materia & forma compoſitum, tertiam non dicit entitatem, ſed duo tantum*

illa

illa comprehendit; & quemadmodum ex his compoſitum, realiter aliud eſſe non poteſt, quam materia, & forma; ita, & quod ex ſimilaribus partibus, atque etiam diſſimilaribus compoſitum eſt, nihil aliud uere eſt, quàm ipſamet ſimilares, diſſimilaresq́, partes. Quare duplex hoc pacto erit compoſitio, quemadmodum in libro Artis medicæ Galenus teſtatus eſt.

XXXVIII.

Coxendicum in dolore, ex talo ſanguinem mittit, in Introductorio. Eodem modo & in libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem, uenas poplitis, ac malleoli ſcindi uult; quamuis uena poplitis (inquit) commodior ſit, quàm malleoli. Idem tenet etiam in libro de Conſtitutione artis medicæ, inquiens. Quo autem pacto, ipſum educere conueniat, indicat continentium inſtrumentalium partium natura. His ergo docentibus, qui in coxendicem fluxus decubuere, per poplitum, ac malleolorum euacuabimus uenas, uti ſanè, & quæ in uteris hæreſcunt; quibus locis, ſimpliciter, atque in quocunque tempore, coxendicum in dolore, uenas tali ſecandas eſſe docet. Quod etiam ſenſiſſe uidetur Auicenna 4. 1. capite 20. ubi ex profeſſo de phlebotomia agens, coxendicum dolorem, ſanguinis miſsionem ex uena ſciæ, quæ eſt in exteriore parte pedis, iuuare aſſeruit. Atque ex Polybio idem ſenſit Ariſtote-

ſtoteles libro 3. de hiſtoria animalium capite 3. Libro tamen 10. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi ex profeſſo de iſchiade, coxendicum morbo uerba fecit, non ab ipſis talis, ſed à brachio primum, ſanguinem detrahendum eſſe ſuaſit, in hunc modum ſcribens. Tanquam igitur maximam uim ad affectionis curationem habeat, totius corporis euacuatio, ab ipſa incipiendum eſt, non ſolum à cruribus, ſed & à cubito primum detractione facta. Cuius ſententiæ eſt etiam Paulus Aegineta, qui libro tertio, capite 77. coxendicis in affectibus, uenam cubiti ſecandam eſſe præcipit, inueterato autem malo ex malleolis.

VNIVERSALES *euacuationes, particularibus præponi debere; easq; uniuerſo corpore plenitudine grauato, atque referto, non prius admouendas eſſe, apud omnes pro confeſſo eſt, quàm per uniuerſale pharmacum, præpurgatum atque euacuatum ipſum fuerit. Sanguinis itaque miſſio, in coxendicum affectibus, tum à brachio fit, cùm totius corporis plenitudo adeſt; atque uniuerſalis euacuatio expetitur; facilius quippe hæc, atque commodius uniuerſum euacuat corpus; quo demum euacuato, à læſa iam parte, ſanguinem detrahere, opus eſt. Quare à talo tum eſt facienda, quando, ſecta iam brachij uena, & plenitudo ſublata, & uniuerſalis præceſſit euacuatio. Caterùm non modo, ut uniuerſalis fiat*

euacua-

euacuatio; ſed alia etiam ratione, ad ſuperiora quandoque in coxendicum affectibus reuellere licet; dum ſcilicet ad inferiora adhuc prorumpunt ſucci, ueriti, ne aſſiduo ex defluxu; magnus aliquis morbus in coxendice futurus ſit, quemadmodum etiam Galenus ex Hippocrate edocuit libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 2. com. 9 ita ſcribens. Ita igitur & hoc loco aiunt, par eſt ab eo de humoribus, iraſci dictum eſſe, hoc eſt ad expulſionem habiles eos efficere. Rurſum itaque ab altero initio, ad aliquod vtile, quoad eius fieri poteſt orationem conuertimus, poſtquam enim dixit, ſurſum elata, deorſum confluere, & contraria itidem elata quidem; idem quod concitata ſignificare putandum eſt; vt de primo affectus exortu, ipſi, ſermo ſit, iubenti ad contrarios locos ſtatim retrahere, deorſum quidem, in his, quæ ſuperius ortum habent; ſurſum uero, in his, quæ inferius; vt eadem regula vtentes, opem feramus, & ad differentes locos abducamus. Igitur ſi in pedes, & crura fluctionem decumbere ſenſerimus; ex cubiti uenis, ſanguinem mittemus, aut uomitu purgabimus; non vt quidam putant, nequaquam ſurſum retrahendum eſt, licet ad inferiora proruentibus ſuccis magnus aliquis in ipſis, morbus futurus ſit. Fit uero quandoque, vt coxendicum in affectibus, neque à talo, neque à brachio, ſed per alia loca, euacuatio nobis ineunda ſit, vt quando corpus uniuerſum plus æquo plenum fuerit, ueriti, ne maiori dolore pars afficiatur, ne'ue repletum corpus, ſuccorum regreſſum admittere

mittere valeat, quemadmodum docuit pulcherrime in libro artis medicæ capite nonageſimo quinto, ubi ſic habet. Si vniuerſum corpus plus æquo plenum fuerit, per affectum locum euacuare non oportet; nam ſi ſcarificationibus, & ſectionibus, ſenſibiliter dolore affectos euacuabimus, plus ratione doloris attrahemus; ſi uero calefacientibus diſcutere tentabimus, plus ad partem, ui caloris, trahemus, quàm diſcutiemus. quod ſi elaborabimus, ut id, quod influxit, retrocedat; corpus, quod plenum eſt, non admittet. Ad hæc igitur ambo, totum corpus euacuare oportet, ſed ad alia loca reuellere, quod patienti particulæ influit. Quæ profectò duæ regulæ, à nobis diligentiſſime obſeruandæ ſunt, ſi euacuationes in coxendicũ affectibus, aliiſq; defluxionibus rite peragere uoluerimus; docent enim nos, quãdo per ſuperna, & quando per inferna, & quando neque ex hac, neque ex illa parte, optima ratione faciundæ euacuationes ſint.

XXXIX.

CVCVMERVM quædam ſemina calida eſſe ſcribit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite ſeptimo, de differentia agens, quæ inter adſtringentia, acidaq; pharmaca eſt, cùm ambo frigida ſint, in capitis calce, ubi amara omnia, calida eſſe aſſerit, atque ita ait. Cucumerum quædam ſemina, & ſemen mali medici, & ad hæc infinita alia amara apparent guſtantibus, quibus uerbis, cùm huiuſcemodi cucumerũ ſemina amara cõ

ſtituat,

ſtituat, ex ſua ipſius ſententia, calida eadem eſſe ſubinferre licet. Amara nempe omnia calida eſſe aſſeruit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus, atque alibi frequentiſsime. amara ab immodico naſci calore, atque immodice calida eſſe affirmans. Hoc tamen eſt contra communem omnium ſcribentium ſententiam, frigida eſſe omnium cucumerum ſemina aſſeuerantium.

FACILIS *poteſt eſſe, huiuſce loci enodatio, quando cucumerum quadam ſemina, amara non eſſe, ſed talia apparere dicat Galenus; huiuſcemodi nempe ſeſe nobis offerre poſſunt, quæ ſemiputrida, ac inueterata, oleoſaq́ iam reddita ſunt; recentia uero, uel inſipida, vel cum aliquo potius dulciore, dentibus percipiuntur, neque ullo pacto amara, ipſa, dijudicare fas eſt.*

XL.

CVCVRBITAS inter attenuantes cibos adnumerauit in libello de Diſſolutione continua, ubi de attenuantibus cibis egit, ratione qua tenuem ſanguinem reddunt, in hæc uerba ſcribens. Ciborum attenuantium, tria ſunt genera; eorum enim ſunt, ex quibus generatur ſanguis tenuis, & dicuntur ipſi attenuantes, quia ſanguis generatus ex ipſis, quando commiſcetur ſanguini, qui eſt in corpore, reddit totum tenuiorem quàm prius eſſet, ſicuti medulla panis frumenti, fermentati, loti lotio

nibus

nibus pluribus; & carnes pullorum, & carnes aduragi, & faſiani, & ſtarnæ, & axillæ auium omnium, & carnes piſcium paruorum in quibus non eſt uiſcoſitas, & cucurbitæ, & almaſci, et quod aſsimilatur eis. Amplius & libro 2. de Alimentorum facultatibus capite proprio, ſuccum ipſas habere aqueum, ac tenue aperte prodidit; quod autem tenue eſt, ei quod craſſum, contrarium exiſtit. Diuerſa tamen de eis ſcripſit in Cōſilio pro puero epileptico, uiſcidos ipſas, aut frigidos, aut craſſos ſuccos gignere aſſerens. Quod ſi ita ſit, tenuem ſanguinem nequaquam reddere poterunt, neque inter attenuantes cibos reponendæ erunt.

CVCVRBITAS, *dum in libro de Diſſolutione continua, inter attenuantes adnumerat cibos, illud ea ratione dictum eſſe poteſt, quoniam, licet per ſe, atque in ſui ſubſtantia, craſſos, viſcidosq́, ac frigidos ſuccos generare dicantur; plurima tamen ſui humiditate, copioſiorem, humidiorem, atque liquidiorem ſanguinem reddunt; atque idcirco inter attenuantes cibos, hoc eſt humidiorem ſanguinem generantes cucurbitas ipſas repoſuit Galenus. Neque valde fortaſſe diſpar eſt, cucurbitarum à rapis ratio, quæ, licet aquoſæ & ipſæ ſint admodum, in ſui tamen ſubſtantia, craſſas exiſtere, craſſosq́ ſuccos gignere retulit, in libro pariter de Diſſolutione continua, vbi attenuantium ciborum ſecundum genus connumerauit, qui licet in ſubſtantia ſua craſſi ſint; attenuant*

S *tamen,*

tamen, quod inueniunt ex re craſſa, propter id, quod eſt in eis de caliditate, & acuitate. Sic itaque licet craſſos, frigidosq́ pariant ſuccos; quia tamen humiditate ſua plurima, aquoſiorem humidioremq́ ſanguinem reddunt, idcirco inter attenuantes cibos, hoc eſt tenuem, aquoſioremq́ ſanguinem reddentes, iure adnumerare eas potuit Galenus.

XLI.

DESTILLATIONES à capite in pulmonẽ deſcendẽtes, tunc malignæ exiſtunt, cùm defluentia tenuia, & corrodentibus uiribus prædita ſunt; quæ morari in pulmone tamdiu non conuenit, quoad concocta craſſeſcant, ſicuti aliæ fluxiones, ex tenui materia, ſed non corroſiua, & ægre matureſcente; neque rurſus ſtatim expelli; intus enim morantia non facile concoquuntur, uiſcusq; ipſum lacerare deprehenduntur; ſi autem excernantur, tuſſes uiolentas commouẽt, ob quas caput repletur, ipſumq; rurſus materias in pulmonem depellit libro ſexto de Morbis uulgaribus Com.3. cō. 18. Quid itaque nobis agendum? cùm eas protinus educere minime debeamus, in pectore autem moram trahere, ne paululum quidem temporis, commodum ſit.

DVBIVM *mehercle non leue, atque non contemnendum proponitur; quod ita diſcutiendum, atque diſſoluendum eſt, dicentes, deſtillationes à tenui, atque corrodentibus viribus prædita materia, non eodem*

eodem profectò debere curari modo, quo defluxiones illæ, quæ à tenui quidem, ſed non corroſiua materia fiunt; hæc nanque in thorace, diutiori tempore permanere poteſt, illa minime, cùm viribus ſit corrodentibus, atque pulmonis vlcera inducere facile valeat. Debent itaque longe ocyus quàm fluxiones aliæ, ex tenui quidem, ſed non corroſiua materia expelli; concoctio tamen in his, non eſt, veluti in illis, expectanda, cùm vlcerationis diſcrimen immineat. Atque hac ratione, quod ſatis arduum, apparet dubium, enodare poſſumus.

XLII.

DESTILLATIONEM calidam, & ſalſam curat, atque catarrhum calidum, capiti, calida, & ſicca applicando auxilia. &c.

VIDE *de hac ſuperius, in Contradictione, quæ incipit Catarrhum calidum,& deſtillationẽ calidã.*

XLIII.

EPILEPSIAM morbum eſſe chronicum ſcripſit in Introductorio, ubi de Humoribus egit, his uerbis. Longi morbi in interioribus accidunt hi, cephalæa, morbus comitialis, uertigines, oculorum caligationes, inſania, melancholia, læthargus, deſtillatio, raucitas, grauedo, ſanguinis eruptio, ſuppuratio in thorace, tabes. Diuturnum quoque morbum epilepſiam eſſe, teſtatur Hippocrates in libro de Morbo ſacro, ſi Hippocrates, libri illius auctor, qui rationem reddens, cur

diuturnus ſit, ait, quia id quod influit uenis, tenue eſt præ multitudine, & ſtatim ſuperatur à ſanguine, ac caleſit, &c. Sectione tamen aphoriſmorum quinta com. 30. epilepſiam, morbum acutum eſſe uoluit Galenus abſque febre. Quod etiam ſenſit Auicenna 1.4.tract. 1.capite 4.de cognitione horarũ uniuerſalium ægritudinis, & proprie ſtatus, in initio, ubi ita habet. Cognitio horarum ægritudinis uniuerſalium, quandoque eſt ex ſpecie ægritudinis; nam ſpaſmus ſiccus & apoplexia, & epilepſia, & ſquinantia ſunt ex acutis ualde. Quod ſi inter acutos, uti apertum eſt, ab ipſo connumeratur epilepſia, chronicus itaque morbus nequaquam erit.

EPILEPSIAM, *morbum chronicum eſſe, nemo negabit, non ea tamen fortaſſe ratione, quæ ab auctore illius libri de Morbo ſacro, qui profectò Hippocrates non fuit, tradita nobis eſt; ſed quia à lentis, frigidis, craſſisq́ue ſuccus fit, qui difficilem habent reſolutionem, atque etiam, quia, priuſquam ſanitas ijs reddatur, quibus recuperari poteſt temporis diuturnitate, ætatumq́ue mutatione opus ſit. Eſt tamen ipſa, acutus quoque morbus, cum breui temporis momento necem inferat. Quapropter, dum acutum morbum eſſe dixit; non de morbi eſſentia, ſed de ipſius typo, atque paroxiſmo, uerba ipſum feciſſe par eſt; comitialem etenim paroxiſmum acutum eſſe; apud omnes conſtat, quippe cui, mors, vti dictum eſt,*

eſt; frequentiſſima, præcepsq́; conſequi ſoleat. Dum uero chronicum eſſe aſſeruit, de ipſius eſſentia, quæ non niſi longiſſimo temporis curriculo, ætatumq́; mutatione finitur, intellexiſſe, pro comperto habeamus. Animaduertendum præterea eſt, chronicum, atque acutum eundem morbum, hoc dierum numero definiſſe Celſum, quod qui quatuordecim iam exceſſit dies, acuti vim iam depoſuerit; & ſi manet, curandus iam vt longus eſt, inquit; Quocirca ita & nos de epilepſia dicere poſſumus, acutum ipſam eſſe morbum ante decimumquartum diem, quem ſi tranſgrediatur, iam vt longum, ac chronicum curari debere.

XLIIII.

EPILEPSIAM, atque apoplexiam, eundemmet locum perpeti, eundemq́; ſuccũ, amborum cauſam eſſe teſtatur 2. Aphoriſmorum ſectione com. 45. in hoc uno tamen differre, quod apoplexia, ob omnimodam carentiã illius potentiæ fiat, quæ ad neruos defluit; morbus autem comitialis, propter motum uitioſum generetur. In libro autem de Vtilitate reſpirationis, circa libri medium, diuerſos tum qualitate, tum quantitate ſuccos, eſſe ſcripſit, ipſamq́; apoplexiam ex ſucco plurimo, craſſoq́; fieri aſſeruit; epilepſiam uero, ex ſucco non tanto, neque adeo ſpiſſo; atque aliquando ex ſolo fumo craſſo à ſtomacho, uel pede, alio'ue membro aſcendente.

EPILEPSIAE, *atque apoplexiæ idem profectò ſuccus eſt, craſſus uidelicet, ac lentus, prout 2. Aphoriſmorum ſectione ſcriptum reliquit; differre vero dicuntur, atque hunc ab illo diverſum eſſe, ſecundum maiorem, minorem'ue ſucci craſſitiem, atque lentorem, uel etiam eiuſdem copiam; maior nanque ſuccorum copia, qui craſſi, lentiq; admodum ſint, maiorem neruorum obſtructionem parit; obſtructio autem maior, morbum parit attonitum, minor uero, comitialem. Locus pariter amborum idem, quoniam in cerebro utraque affectio inſidet. Loco tamen etiam differre dicuntur, quemadmodũ in lib. de vtilitate reſpirationis aſſeruit, quoniam epilepſia, cerebri uentriculos; apoplexia uero, corpus ipſius magis afficiat eodem auctore libro* 4. *de Locis affectis capite 2.*

XXV.

EPILEPTICIS, cenam, prandio, maiorem eſſe debere aſſeruit in Conſilio pro puero epileptico, in hæc uerba ſcribens, Non lauari autem ut plurimum conuenit, neque ſtatim poſt exercitium palæſtram exire, ſed poſtquã planè quieuerit ſpiritus, & ab exercitijs commotio prorſus ceſſauerit, atque tũc etiam ſindone caput multum fricare conuenit, & ſæpenumero pectine uti, poſt hæc autem ad prandium eat, & prius quidpiam ex ijs, quæ uentrem molliunt, aſſumat, uel olus, uel ſalſamentum, uel ptiſanam, uel oliuas cum tertia

parte

parte panis, reliquas uero duas in cœnæ tempus reponat cum ualentioribus obſonijs. Atque idem ſenſit Raſis 1. Continentis, capite de epilepſia. Sententiæ tamen huic aduerſatur non Auicenna modo libro 3. tract. 2. capite 9. uerum etiam communis uſus; ubi nanque catarrho, pituitoſoq; ſucco oppletum caput eſt, cœna leuiori utimur, maximo ita affectorum commodo; epilepſia autem à pituitoſo in capite ſucco, ut plurimum fit, quare & cœna ipſi leuior, commodior eſſe debet.

Cum *inanitus uentriculus, prauis frequentius repleatur ſuccis; idcirco epilepſia, quæ per conſenſum à uentriculo fit, tunc potiſſimum prorritabitur, atque exacerbabitur, cùm longa ex inedia, quæ à cœna ad prādium intercidit, malis uentriculus oppletus fuerit ſuccis. Hac itaque de cauſa, cœnam epilepticis, maiorem prandio eſſe debere ſcripſit, quoniam cœna, longius ſatis à prandio diſtat, quàm prādium à cœna; & ne tam longa temporis intercapedine, deſtitutus cibis uentriculus, prauos excipiat ſuccos, quibus epilepticus exacerbetur typus, cœna ſit illis prandio maior: atque propterea in libello de ſectione uenæ aduerſus Eraſiſtratheos qui Romæ degebant, ita ſcriptum reliquit. At ſi quis medicus in artis operibus diligenter uerſabitur, ipſa experientia edoctus, quantopere ſtomachi inanitio, ad accerſendum epilepticum paroxiſmum faciat, ſine negotio cognoſcet. Et licet affectum, dolensq́, caput, at-*

que præcipue ſtomachi uitio, cibi abſtinentia quandoque, atque vt plurimum gaudeat; non propterea tamen, in quocunque capitis dolore, cibi paucitas confert, quemadmodum teſtatur ipſe libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de dolore capitis agens uitio ſtomachi ex Archigene; cui ſubſcripſit Auicenna libro 3. tractatu 2. capite nono.

XLVI.

EVACVANDVM eſſe quandoque à nobis, natura etiam euacuante, ſuaſit libro nono Therap. Methodi capite 5. menſibus nanque fluentibus, uel etiam hæmorroidibus, ſanguinem quoque à cubito detraxit, cuius uerba ſic ſe habent. Itaque, ſi tempore mittendi ſanguinis menſes moueri contigerit, ſiue etiam hæmorrois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, is, ſatis fore uidebitur, qui ſolus, quod requiris, uacuet, naturæ rem omnem permittes; ſin minus, tantum ipſe detrahes, quò, ex coniunctis ambobus, perficiatur, quod poſtulas. Parem ſententiam habuit etiam 1. Aphoriſmorum ſectione com. 22. in hæc uerba. Sed cùm perfecte iam mouet, medicamento opus non eſt; cùm mediocrius, atque imbecillius agit, id, quod efficit, oportet ſupplere, ut ab utroque, noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento uero, attrahente. Idem quoque ſenſit & libro 1. Prorrheticorum

rum Com. 3. com.49. ubi in textu habet Hippocrates. Quæ ex naribus cum ſurditate, & ignauitate, parua eſt ſtillatio, difficile quidpiam habet; uomitus his confert, uentriſque perturbatio; in quo commento præcipit Galenus aluo fluente, ſanguinem mittendum eſſe, ita inquiens. Nam cerebro affecto, & aluo fluente, in principio morbi, ſi uires ualidæ ſint, uel ſanguinis abundantiam habeant, pituitæ ue, aut alterius bilis; ſi ualenter excernant, ſanguinisq; redundantiam habeant, ſectione uenæ, non uomitu, uel uentris purgatione indigent. Quibus uerbis, liquidò conſtat, quo pacto, ualenter etiam fluente aluo, ſanguinis detractionem præcipiat. Oppoſitum tamen huius faciendum eſſe docuit libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis com. 117. ubi Hippocrates habet in textu, Si cuipiam ſanguinem auferre confert, uentrem confirmare oportet, & ita auferre; in quo commento Galenus ita ſcribit, Fluente aluo ſanguinem non detrahes; nã ſi poſt detractionem perſeuerat fluor, uirtutem proſternit. Quod etiam repetit libro 1. ad Glauconem, capite de curatione febriũ continuarum cum accidentibus, inquiens. Sed neque ſi febris fuerit, cum alui profluuio, alia eſt opus euacuatione, uerum hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione, quicunque enim, his, plus adimere, fore neceſ-

neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut uentrem mouere, tentauerunt; ægrum in grauiora pericula duxerunt. Cui opinioni fauent ea, quæ 1. Aphoriſmorum ſectione com. 3. prodidit. Euacuatione in omni, ægrorum uires conſiderandas eſſe inquiens, & donec tolerant, nec laborant, tentandum eſſe, humorem exuperantem educere, cùm uero diſſoluuntur uires, etiam ſi ſuperfluitates reſtent, cauere oportet (inquit) earum euacuationem.

PLERVNQVE *in ægrotis uſu uenire ſolet, ut ipſa natura, ſponte ſua excitet ſeſe, & male affecto corpori, totis uiribus, contra influentium morborum uim ſuppetias ferat, quaſi indignabunda, & ægre ferens, opus ſuum, ſe inuita, aliorum manibus adimpleri; hinc ſanguinis è naribus profluuia, hinc alui ultroneas deiectiones, hinc toto corpore manantes ſudores, ſæpenumero uidemus. Hac in re, nos, an tanquam ſpectatores adeſſe, & agenti naturæ applaudere debeamus; an uero adiuuanda ea ſit, artis adminiculo, & equo currenti, calcaria admouenda, quò celerius feratur ad metam; uaria, ac diſſidens, uidetur eſſe Galeni ſententia; quandoque etenim, adiuuandam à nobis eſſe, euacuantem naturam, quandoque uero totum negocium, ſoli ipſi, committendum, hortatur. Nec profectò facile nobis eſt, naturæ operanti auxiliari, cùm uel alienam quandoque, uel copioſiorem fortaſſe, quàm par eſſet, euacuationem aggredi poſſemus; perfectè etenim, uel imperfectè, atque*

que

que incomplete, operatura ſit natura, dum adhuc in motu eſt, non prorſus cognoſcere ualemus, niſi ex argumentis quibuſdam, conſiderantes ſcilicet, an iudicationem praceſſerit concoctio perfecta, nec ne, & an decretorio moueatur die; quocirca, & Hippocrates pracepit 1. Aphoriſmorum ſect. aphoriſmo 20. qua iudicantur, mouenda non eſſe. Idcirco euacuante natura, medicam manum fruſtra, atque non abſque graui agrotantium diſcrimine, admouemus quandoque; quippè ſi perfecte ipſa operante, eius nos opus, noſtro augeamus opere, duplex ſequi poteſt incommodum; uel enim copioſa nimis, atque ſuperflua ſuccedet euacuatio, uel aliò fortaſſe diſtrahetur materia, quàm ſagax natura expoſceret. Qua re non ita facile, euacuante natura, à nobis pariter euacuatio tentanda eſt. Poſſumus tamen aliquando, & ipſam rite operantem coadiuuare, ſi ſex illas obſeruauerimus conditiones, qua uigeſimo commento, prima ſectionis Aphoriſmorum, ab ipſo, poſita ſunt, quarum prima eſt qualitas; ſecunda, quantitas; tertia, tẽpus; quarta, locus à quo ad quem, & per quem euacuatio fit; quinta, tollerantia; ſexta, conferrentia. Nam ſi qualitate diuerſa, uel etiam fortaſſe aduerſa, natura operatio ſit, vt ſcilicet alius, ab eo, qui morbum parit, educatur ſuccus, ueluti ſi contigerit, morbum à pituita eſſe, uel alio quouis ſucco, ſponte autẽ, ſanguis profluat, immutanda hac exeuntium qualitas, atque à nobis adiuuanda natura operatio, vt ſanguine ſuppreſſo, pradominans, morbumq; faciens,

ens, educatur ſuccus. Si quantitas diminuta, per debitas, atque congruas regiones, euacuationem moliendo, naturæ opem ferre poſſumus; quo ex coniunctis ambobus, perficiatur, quod requiritur. Congruum pariter nacti, ex ſuccorum concoctione, euacuationis tempus, morantem eam, atque ſopitam impellere, & excitare. Demum & ſi per affectum locum, uel ad nobiliores aliquas partes detruderet; vel etiam per conuenientes non educeret regiones, natura; hunc quidem motum prohibere fas eſt, ſuccosq́; noxios transferre; naturam ab eo inſtituto diuertentes, per debitasq́; ſibi regiones, purgandi ſucci. Quod etiam libro 6. de Morbis uulgaribus particula 2. aphoriſmo 17. breuiſſime ÿs uerbis explicauit Hippocrates. ea, inquiens, quæ quò non expedit, repunt, reuellere oportet, ſin, quo decet, ÿs uiam ſtruere, vt ſingula eò repant, conuenit. Quod ſi & æger facile euacuationem ferat, uel ſudor ea ſit, uel alia quauis euacuatio, optima iudicanda eſt, atque hæc coadiuanda. Vltimo loco, ſi confert, ab ea, nequaquam recedendum eſt, ſed perſiſtendum, donec morbus conquieſcat, atque finiatur. Non ſemper itaque, ſed aliquando, euacuantem naturam, coadiuuare poſſumus.

XLVII.

EXCREMENTVM non omne, alterationem à natura recipere poſſe fatetur libro 4. de Tuenda ualetudine ferè in initio, ubi de ulceroſa laſsitudine uerba fecit, ſic inquiens. Oportet

tet igitur excrementum, ſiue calidum id ſit, ſiue frigidum, ipſum aut expellas, aut certe alteres; recipit uero non omne excrementum alterationem à natura, ſi quidem nec omnis cibus in cuiuſuis animalis uentre, concoquitur. Quod etiam aſſerere uiſus eſt 2. Aphoriſmorum ſectione com. 12. ubi Hippocrates habet, Quæ relinquuntur in morbis &c. in quo commento, inquit, Omnis humor, alienus à natura corporis, in quo continetur, qui aptus non ſit ad eius nutritionem, derelictus, neceſſariò ad putredinem conuertitur. Libro tamẽ ſexto de Morbis uulgarib. Com. 2. com. 30. in principio; excrementa ſingula, à calore innato cōcoqui, abſoluto ſermone ſcripſit; poſteaquam etenim, maturantium facultatem, diſcuſſoriam eſſe non debere, dixit, ſed retentoriam, atque inhæſoriam, à græcis ἐμπλαστικὴν appellatam, ſubdidit; hæc enim impediunt, retinent, atque occludunt inſitum calidum ipſum difflari non permittentia; ab hoc uero, excrementa concoquuntur.

EXCREMENTORVM, *aliqua quidem corrupta nullo pacto ſunt, aliqua uero corrupta adeo, atque ita inutilia reddita, ut habitum ad naturalem amplius reduci nequeant, neque ullam amplius à natura alterationem recipere poſſunt; atque de his intellexit libro 4. de Tuenda ualetudine, ubi non omne excrementum alterationem à natura recipere*

re aſſeruit. Diſtinctionem uero hanc perbelle docuit Galenus 2. Aphoriſmorum ſectione com. 8. uini exemplo, quorum (inquit) quæ ex toto acida facta ſunt, non redeunt rurſum ad uini naturam; paruo autem facto in ipſis momento, ita vt acidum quidem habeant ſaporem, nondum tamen acetum ſint, multa ſapius ex his, priſtinam naturam recuperarunt. Dum uero ſexto Epidemiarum libro com. 30. excrementa, à calore innato concoqui dixit, de ijs ſermo ab ipſo habitus eſt, quæ quoquo modo ad naturalem habitum adhuc reduci, ac præparari, concoqui'ue poſſunt; quemadmodum & in libro de Conſtitutione artis, atque in libris Prognoſticorum, ſcriptum reliquit.

XLVIII.

EXCERNENTIBVS acria, mordaciaq́;, oleum adſtringens infuſum, acrimoniam hebetando, prodeſſe aſſeruit libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus, ubi agit, quod perperam Herodotus, ac Dioſcorides, quæcunque aut profluuijs, aut diſenterijs mederentur, adſtringentia cenſuerint. Libro tamen 2. cap. 12. ubi agit, quod ſalſuginoſa, & acria, ex accidenti quandoque, morſui medeantur, oleum in huiuſcemodi affectu nõ adſtringens, ſed quàm dulciſsimum eſſe oportere, ſcripſit in hæc uerba. Quippe ceratum ex roſaceo, & adipe, aut pinguedine infuſum, ſæpenumero morſibus, continuò ſuccurrit, idque

que mixtionis,ac temperationis ratione,ſed & oleum ipſum ſolum, ſed dulciſsimum, id præſtitit frequenter, ſicuti etiam adeps hirui, aut ſuccus chondri, aut ceratum ex oleo dulci. Quod etiam affirmauit eodem libro ſuperiori capite,ubi egit,Quod ut quis de olei facultate probè ratiocinetur, debeat etiam affectionem hominis æſtimare,& de oleo,quale ſit,præfinire, in huiuſcemodi acribus excretionibus, nõ adſtringentem oleum, ſed quàm dulciſsimum eſſe oportere affirmauit.

HIS, *qui acria,mordaciaq́; excernunt,utrũque oleum congruum eſſe dicatur, adſtringens quidem, quoniam & alui fluorem quoquo pacto compeſcit, & continuitatis ſolutioni, quæ ab acri qualitate fit, maxime reſiſtit. Competit autem & dulciſſimum, tum quia ſuccorum obtundit acredinem, tum quia inflictum ab acribus excrementis, dolorem lenit.*

XLIX.

EXERCITATAS partes, robuſtiores reddi abſolute aſſeruit 2. Aphoriſmorum ſectione com. 49. atque idcirco (inquit) labores conſuetos facilius ferunt. Quod deſumptum ex ijs uidetur, quæ libro 2. de Tuenda ualetudine, circa initia ſcripſit, ubi ſic habet. Nam quoniam uehementior motus, exercitatio eſt, neceſſe quidem eſt, tria hæc, ab ea perfici in corpore exercitando, membrorum duriciem ex mutuo ipſorum attritu;genuini caloris augmentum;

mentum ; & ſpiritus citatiorem motum ; ex membrorum autem duricie, ſequi, tum ut minus ex labore afficiantur ; tum ad labores robur ; ex calore, tum deducendorum in corpus ualidum attractum, tum immutationem magis expeditam, tum nutritionem magis felicem, tum ut ſingulæ corporis partes ſint (ut ita dicam) perfuſæ; cuius affectus beneficio, & ſolida molleſcere, & humida tenuari, & exiguos corporeæ molis meatus, laxiores fieri accidit. At ex ſpiritus ualentiore impetu, & purgari his, omnes meatus neceſſe eſt, & excremẽta expelli. Amplius & magis adhuc aperte in libri calce, his uerbis, idem ſignificauit. Quãplurimos enim ipſi, ex ijs, quibus imbecilliores quædam corporis particulæ erant, unde crebris in his urgebantur morbis, unius gymnaſticæ ope reſtituimus. Idem ſenſit etiam Hippocrates in libro de Articulis, ſcribens, omnia quæ in corpore facta ſunt ad uſum, ſi quis moderate ipſis utatur, & in his laboribus exerceat, ad quos ſingula ſunt aſſucta, ſic quidem ſana eſſe, & augeſcere, & probè conſeneſcere; ſi uero quis non utatur, ſed quieſcat, morboſiora fieri, & non augeſcere, nec probè conſeneſcere. Quod in libello quoque de chirurgiæ officina aſſeruit, inquiens, exercitatio, & uſus partes corroborant, ocium colliquat. Cuius oppoſitum ſcripſiſſe uiſus eſt Galenus

libro

libro 5. de Tuenda ualetudine his uerbis. Ad eundem modum de manibus, collo, humero, lumbis, coxis, & tota ſpina mihi dictum intelige; quod quidem ex his parum rite conditum eſt, ab initio, id ſanè exercitando imbecillum potius, quàm firmum redditur. Quibus uerbis, exercitatas partes, non robuſtiores, ſed imbecilliores reddi apertiſsime tenet.

OMITTENTES, *quæ Galenus copioſiſſime de exercitatione conſcripſit libro 1. de Tuenda valetudine, vbi docet quo pacto recẽs nati regendi ſint, ac inquit, motus, qui modum non ſeruant, ſiue ij ex rationali, ſiue ex appetitoria, ſiue ex animoſa animi parte creantur, ſi modum nimium exceſſerint, biliosum animal reddere; ſi intra modum nimium ſubſiſtant, pituitoſum, frigidum'ue efficere; quibus verbis arguere licet, & corporis robur, atque ipſius etiam imbecillitatem, ab exercitio produci poſſe; bilioſum nanque & ſiccum ab ipſo, vel etiã humidum corpus redditur; quodq́; ſiccum eſt, membra etiam validiora obtinet; pituitoſum, humidumq́; è contrario, imbecilliora. Omittentes itaque hæc, quæ ampliſſime ab Ariſtotele tradita eo libro ſunt. atque ad loca illa, quæ contradictionem ſapere videntur deuenientes; ita rem diſcutientes, dicamus. Partes, quæ ab initio male conditæ ſunt, vitium in compoſitione arguere, quæ in figura praua, ac ſitu conſiſtit; quæ vero bene cõditæ ſunt, in his vtriſque ſimmetriã præſeferre. Nemini autem dubium eſt, ſi corpus exer*

ceri debet, ad exercitia perferenda aptùm eſſe debere, quod bene compoſito corpori, non male compoſito, vſu venit; incompoſitæ nanque & ſitu, & figura partes, ſi exercitationem perferre debent, magis vtique defatigantur, quàm ſi congruam & figuram, & ſitum adeptæ ſint. Imbecillæ itaque fiunt ab exercitatione partes, quæ circa compoſitionem male ſe habent; robuſtæ autem, quæ bene diſpoſitæ ſunt; atque idcirco libro de Tuẽda valetudine quinto ſcripſit. Quidquid parum rite ab initio conditum eſt, id ſanè exercitando, imbecillum potius, quàm firmum redditur. Bene conditæ itaque corporis partes exercitatæ, robuſtiores fiunt; imbecilliores è contrario, quæ male compoſitæ ſunt; quod libro 2. de Tuenda valetudine capite 2. ijs verbis demonſtrauit. Quoniam (inquit) vehementior motus exercitatio eſt, neceſſe quidem eſt tria ab ea perfici, in corpore exercitando, inſtrumentorum ſcilicet duriciem ex mutuo ipſorum attritu; genuini caloris augmentum; & ſpiritus citatiorem motum; ſequi vero hæc, reliqua omnia priuatim commoda, quæ, corpus, exercitijs accepta refert. Quod etiam dilucidius libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 14. affirmauit; exercitia valida, & Solem calida, atque robuſta corpora, validiora etiam reddere ſcribens; proſternere autem, digerere, atque refrigerare, quæ huiuſmodi non ſunt.

FAV-

L.

FAVCES, cibis à pinguibus exaſperari ſcripſit lib. 3. de Articulis com. 61. uerba Hippocratis interpretatus, quæ in textu ſic habẽt. A cibisq; omnibus pinguibus, aſpredinoſis & ualidis. in quo commento hæc ſcripſit Galenus, quicnnque cibi fauces exaſperant, tuſſiculamq; prouocant, aſpredinoſi, hi, ab aſpredine, quam adferunt, uocantur, id quod pinguibus, & acidis, & acribus accidit. Cuius oppoſitum aſſerere uidetur in libro artis medicinalis, ubi de aſperitate, & leuitate loquitur, hæc uerba habens. Quæcunque uero partes, ob id, quod exaſperatæ, naturalem amiſerint habitum, his leuitas naturalis eſt reſtituenda; oſſa quidem leuigando, arteriam autem, uel linguam leniendo humidis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Quod ſi hæc, ad naturalem habitum, quæ iam exaſperata ſunt, deducunt, nequaquam exaſperare poterunt. Qua re non uideo quo pacto pinguia cibaria, exaſperent, quæ potius inungere, emollire, parteſq; ipſas lenire credendæ ſunt.

FAVCES *exaſperare dicantur cibi pingues, non eodem quidem modo quo acida, acres'ue ſucci, exaſperant, ſiccitatem partibus inducendo; uerum exaſperant pinguia ipſa, inæqualitatem quandam ex inunctione facientia; atque aſperas dicuntur fauces reddere, quaſi inæquales dicas.*

LI.

FAVCES, ore adaperto, inſpici poſſe affirmat, guttur uero minime. 4. Aphoriſmorum ſectione com. 34. ſuper uerbis Hippocratis. Si à febre habito, tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio ſuperuenerit, letale, in quo commento ita habet Galenus. Dicit igitur tumore non apparente in faucibus; tanquam poſsibile ſit, ore multum adaperto, partem ipſam diligentius inſpicere, quod in gutture fieri nequit. Idem habet, & com. ſequenti, dum inquit. Cùm enim in nullo horum apparuerit, neque ore aperto in faucibus, neque extrinſecus tumor; hominem uero contigerit nō poſſe deuorare, caſus exitialis eſt. Quod etiā apertiſsmis uerbis oſtendit libro 3. Prognoſt. com. 16. ita ſcribens, ceruicem enim, intelligit collum; fauces uero, aperiendo os, ac linguam comprimendo deorſum, euidentem amplitudinem; in qua gemina uidentur oſtiola, tum gulæ, tum etiam guturis. Contrarium tamē ſenſit libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis com. 32. faucium in meatu, quod inflammatum eſt, minime uideri poſſe aſſerens. Quod etiam 1. Prorrheticorum libro com. x1. affirmat fieri poſſe, inquiens, ut faucium muſculi inflammati, ſtrangulationis efficiant ſymptoma; uideri tamen nequeant, etiam ſi quis os, plurimum aperuerit.

QVAS

QVAS φάρυγγα *dicunt græci, fauces latini, voco inquit Galenus libro 4. de male affectis locis, capite quinto, internum oris locum, vbi ſimul conueniunt, & gulæ, & gutturis partes extremæ, libro quoque Prognoſticorum tertio, com. 16. & 18. præiacentem gulæ, & gutturi locum, fauces appellauit. Dum itaque fauces inſpici poſſe affirmat Galenus, faucium principium conſpicuum eſſe dicendum eſt; ipſarum vero meatus, muſculosq́, propter colli incuruationem, conſpici minime poſſe. Quapropter & in libro de Ratione victus in morbis acutis, atque in libris Prorrheticorum, dum fauces inſpici poſſe negat, de alto faucium meatu intelligi par eſt; quod propter colli incuruationem fit, atque tum potiſſimum, dum, partibus in illis inflammatio contingit. Inflammata quippè ipſa pars attollitur ita, vt nihil, quod infra ipſam eſt, conſpicuum eſſe queat.*

LII.

FEBREM putridam, ex prohibita tantum tranſpiratione, atque ex ſola obſtructione fieri poſſe teſtatus eſt libro 1. de Differ. febriũ, capite 7. & libro octauo Therapeu. methodi, capite 2. his uerbis. De ſtipatione uero meatuum, unde digreſſus ſum, liquidò ſcire licet, ſolam eam, ſi reliqua omnia deſint, accendere febrem poſſe. Atque idem aſſeruiſſe uiſus eſt libro pariter nono eiuſdem Methodi medẽdi cap. 3. dum inquit. Debent enim quæ putreſcunt, tum calida, humidaq; eſſe, tum uero dif

ficilem tranſpirationem habere; difficilis autem tranſpiratio tunc fit, cùm uiæ minime apertæ ſunt. Quod etiam libro XI. cap. 4. affirmauit; putredinem (inquiens) prohibitã ſequi tranſpirationem, ſicuti in ueſtibus, in fructibus, & ſeminibus. Oppoſitum cuius nobis apertiſsimum eſt; putridæ nanque ipſæ febres, non à prohibita tantùm tranſpiratione, ſed ab alijs etiam innumeris cauſis fieri poſſunt, ab alicuius nempe partis inflammatione; à qua demum accenſus calor, per partem poſt partem, uniuerſum occupet corpus, ad cor autem ubi deuenerit iam febris excitetur. Quin magis eodem auctore libro 8. Methodi medendi capite 3. febris raro accenditur ob cutim ſtipatam; atque non meatuum obſtructionem, febrem continuo parere uoluit, quin potius, ipſum febris principium meatuum ſtipationem, quæ prius non aderat, quandoque facere ſcripſit libro 9. Therapeutices methodi, capite 2. ubi cum horrore inuaſit, ex humorum nempe concuſſu. Ecce quo pacto, nulla erat præcedens obſtructio, febris autem adueniens, humoresq; concutiens, obſtructiones peperit. Cùm itaque febris aliqua, obſtructionem, quæ prius non aderat, parere poſsit, non omnes itaque ab obſtructione ſola, procreari dicendum eſt.

PVTREDO *in externis quidem rebus, quemad*

modum

modum in veſtibus, in fructibus, alijs'ue huiuſcemodi, licet non confeſtim, tractu tamen temporis ex probibita tranſpiratione proculdubio fieri valet; in internis vero, etiam abſque hac fieri poteſt, quemadmodum ex corporis diſpoſitione, quando ebullientes, aliqua occaſione ſucci, feruent, corporisq́; noſtri temperiem alterant, atque immutant; uel quando vitioſus cibus in ventriculo, alijs'ue partibus, putreſcens, extraneum pariter in humoribus excitat calorem. Putrida itaque febris ipſa, non ab obſtructione ſemper, prohibita'ue tranſpiratione, ſed etiam abſque hac fieri quandoque poterit, quemadmodum dictum eſt; quinimo cum ipſarum viarum etiam apertione, vel à cibarijs in ventriculo putreſcentibus, atque humoralem maſſam inflammantibus, vel ab ipſis etiam ab alia quauis occaſione, ebullientibus ſuccis. Dum itaque Galenus, libro nono Methodi medendi, ſimpliciter ſcripſit, ea, quæ putreſcunt, tum calida, humidaq́; eſſe, tum difficilem tranſpirationem habere, non de internis intellexit, ſed de externis tantum rebus, quæ niſi tranſpirent, faciles utique, licet non illico, tractu tamen temporis, putredini obnoxia ſunt. Quocirca libro XI. eiuſdem capite 4. id nobis planum fecit, dum ſcripſit putredinem prohibitam ſequi tranſpirationem. ſicuti in ueſtibus, in fructibus, in ſeminibus &c. neque ijs uerbis affirmauit à ſola difficili tranſpiratione, & non ab alijs etiam cauſis putredinem, putridam'ue febrem noſtro in corpore, ortum habere poſſe; quoniam & à pluri-

mis alijs occaſionibus, quemadmodum dictum eſt, enaſci putredo poteſt; atque per conſequens & putrida ipſa febris; quinimo ipſa meatuum obſtructio, prohibitaq́ transſpiratio febrem in nobis putridam non parit, niſi id quod tranſpirat, & copioſum ſit, & calidum, quemadmodum ab ipſo apertiſſime traditum eſt libro nono Methodi medendi, capite 2.

LIII.

FEBRIBVS in putridis, nullum eſſe remedium præſtantius, ſanguinis miſsione, ſcripſit libro XI. Methodi medendi, capite 15. inquiens. Saluberrimum autem (ut prædiximus) eſt, in febribus uenam incidere, non continuis modo, uerum etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat, ubi præſertim nec ætas, nec uires prohibent. Quod etiam alibi frequētiſsime aſſeruit. In tractatu tamen de ſectione uenæ aduerſus Eraſiſtratheos, qui Romæ degebant, oppoſitum credidit, inquiens, illos, qui febres omnes, in principio, uenæ ſectione, indigere putant, non mediocri noxa ægros afficere. Quod ſi in febrium principio minime conuenit, multo minus in aliis temporibus competere putandum eſt; in principiis nanque, ſi quid uidetur mouendum, mouere debemus, cùm uero conſiſtunt, ac uigent, melius eſt, quietem habere iuxta doctrinam Hippocratis 2. Aphoriſmorum ſectione aphoriſmo 29. Videmus præterea ipſum in libro de Febri-

Febribus ad Glauconem, dum puram tertianam curat, ſanguinem non miſiſſe, neque pariter in febris tertianæ nothæ curatione, in quibus ait, ſi ſanguinem mittere oporteat, neque illud omittendũ eſſe. Amplius & libro 12. Therapeutices methodi, ubi à frigidioribus ſuccis contracta febris ſit, ſanguinem mitti prohibuit, ſola tum frictione curare docens, maiorem nimirum cruditatem, atque ab ea, ſyncopem metuens. Quocirca, aliud uidetur proponere in uniuerſali methodo, quàm in particulari exquatur.

FEBRIBVS *in ipſis putridis, nullum vtique præſtantius eſſe remedium ſanguinis miſſione, omnibus iam medicis acceptum eſt, quemadmodum apertiſſime Galenus teſtatus eſt libro* XI. *Methodi, atque alibi frequentiſſime. Quando autem in tractatu de ſectione uenæ aduerſus Eraſiſtratheos, qui Romæ degebant, non ſingulas fibres, ſanguinis miſſione, curandas eſſe ſcripſit, de ijs intellexit, quæ ab humorum æquali congerie, ſed à copioſiſſima, prædominantiq́; flaua bile; uel etiam à crudioribus ſuccis, exiguo ad mixtis ſanguine conſlantur: quoniam tunc ſanguinis miſſio, cholericos facit furere, ac frigidos incrudat, quemadmodum Auicenna ſcripſit* 4. 1. *capite* 20. *de phlebotomia agens, ac inquiens. Et ſummopere tibi caue, ne ægrum ad unam duarum rerum perducas, humorum ſcilicet cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem; atque propterea in libro*

libro ad Glauconem, in curatione tertianæ puræ, quia prædominans erat bilis flaua, ſanguinem non detraxit, eodem modo neque in tertiana notha, in qua, pituita, alijs prædominabatur ſuccis, niſi urina fuerit rubra, & craſſa, plurimam indicans ſanguinis cum pituita admixtionem. Dicendum itaque eſt, febribus in quibuſcunque, atque potiſſimum ſynochis, ſanguinis detractionem omnino neceſſariam eſſe, ut quæ à ſanguinis copia fiant; alijs uero in febribus, optimam quidem eſſe, atque ſecundum quid, non autem ſimpliciter neceſſariam, ut quæ ex alijs ſuccis, ſanguine non ualde admixtis fieri poſſint. quibus, ſecta uena, utilis adeo non eſt, neque neceſſaria adeo, quemadmodum ſynochis ipſis febribus commoda exiſtit.

LIIII.

FEBRE in continua uniformi, quam ὁμότονον uocant, exhibendi cibi tempus, horam faciliorem eſſe aſſeruit libro XI. Methodi medendi, capite 5. Nulla uidetur dici poſſe hora facilior, cùm uniformiter affligat, unumquodque itaque tempus indiſtinctè, exhibendo cibo, opportunum eſſe poteſt.

LICET *febre in continua, quæ ὁμότονος ſit, atque eundem ſeruet ordinem, una hora facilior altera, atque pro exhibendo cibo commodior, reperiri nequeat, cùm uniformis ſit, eundemq; ſeruet ordinem; frequenter tamen uſu uenit, ut una hora, melius quàm altera, ægritudinem ferat ægrotus, quæ forſtan*

forſitan vel conſueta erit, vel frigidior; qua & ipſo exhibendo cibo aptior erit.

L V.

FEBRES continuas, quarum uniuerſum tẽpus in una conſumitur acceſsione, quæ à principio, uſque ad finem pertingit, à putredine choleræ fieri autumat libro 2. de Differ. febrium capite 2. in initio, ſic inquiens. Continuarum autem, quæ ex flaua proueniunt bile, duplex eſt ſpecies; altera earum, quæ à continuo feruore ſynochæ appellantur, quarũ uniuerſum tempus, in una conſumitur acceſsione, quæ à principio uſque ad finem pertingit; altera earum, quæ idem, cum genere, nomen ſortiuntur, & continuæ, atque in pluribus circuitibus continentur. Atque idem habuit lib. 2. de Criſibus capite ſexto; quod ab Hippocrate forſitan mutuatus eſt, qui libro de Natura hominis ad calcem, febrium ſpecies quatuor eſſe ſcribens, ait, Continens autem appellata à plurima, ac meracisſima bile prouenit, & iudicationes quàm breuiſsimo tempore facit. Hoc ueritati non uidetur conſonum, cùm alibi, paſsimq; in ſuis libris ſcriptum reliquerit Galenus: febres quæ à choleræ putredine fiunt, non continuas uniformes, ſeu omotonas eſſe; ſed uel tertianas periodicas; uel exacerbationes ſaltem, alternis quibuſque diebus habere; ipſa nempe bilis, tertio quoque die, motu moue-

mouetur ſuo. Cum Galeno in eandem quoque ſententiam ueniens Aëtius Sermone 5. capite 77. ubi de febribus continuis loquitur, dũ de febris ardentis differentia, à continenti putrida uerba facit, ait hanc, à putrefacto conflari ſanguine, atque à principio, uſque in finem, unam habere exacerbationem. Quod etiam Paulus Aegineta comprobauit libro 2. capite 28. Quocirca reliquum eſt, ut cum doctoribus his, febrem illam, quæ unicum tantum habet paroxiſmum, uniformem, uel agmaſtica ſit, uel paragmaſtica, uel omotona, à ſangiune, potius quàm à bile fieri dicamus.

SCIO, *grauiſſimos alioqui uiros, hanc, artis procerum, controuerſiam, ita diremiſſe, dicentes, ſanguinem bifariam putreſcere, uno generali modo cùm, ui caloris præter naturam, ſegregantur, quæ in eo ſunt ſubſtantiæ diſſimiles, flaua ac tenuis, ab atra, quæ craſſa, terrenaq́; eſt; quæ degeneratio (inquiunt) uerius corruptio, quàm putredo cenſetur. atque ſi ſanguis hac ratione putreſcat; accendaturq́; febris; eam, non ſynochon, ſed uel bilioſam, uel melancholicam euadere. Alio modo, uere (inquiunt) ſanguis putreſcit, cùm citra ſubſtantiarum ſecretionem, totus corrumpitur, magno fœtore, aut grauoolentia, ut quando è uenis in pectus, in uentriculum, in inteſtina, aut in aliam capacitatem, præter naturam effuſus, uitiatur, ac putreſcit, & in muſculos irrumpens tumorem præter naturam, phlegmonemq́;*

nemq́ parit, atque putreſcit primum, deinde ſuppurat. Vel etiam cum phlegmone tentatur iecoris ſubſtantia, ſanguisq́ totus, non modo putridus, uerum etiam purulentus nonnunquam exiſtit; atque per febres, qui detrahitur, animaduertitur quandoque non ſolum fœtidus & graueolens, ſed & putridus adeo, vt nec ſibi cohærere, nec concreſcere queat, omnibus ſcilicet eius fibris putredine conſumptis; atque hoc pacto profectò ſi ſanguis corrumperetur, ſynochos accenderetur putrida. Verum commiſſa hoc loco, diuerſa, de putredine ſanguinis, ſpeculatione, ego, prout ab initio ſtatui, ambiguas clariſſimorum auctorum ſententias reſoluens, atque concilians, quo Galeni mentem, hoc loco explicem; continuam uniformem febrem, etiam à putredine cholera, hoc pacto fieri poſſe dico. Quatuor cùm ſint, quæ concluſam febrem, atque continuam omotonam, ſeu uniformem efficere poſſint; ſucci uidelicet ſubſtantia, quantitas, qualitas, & locus in quo putreſcit, operæprecium eſt dicere, quod ſola ex ſanguine febris, concluſa ſit; de ſanguinei nanque humoris natura eſt uniformiter ſuccedere in ſua putredine, ad quod, & ſubſtantia eius plurimū facit, quæ putreſcibilis eſt; & quantitas, quoniam multus aliorum reſpectu, in corpore noſtro reperitur; qualitas præterea, humidus nanque atque humditas ad putredinem maxime prona eſt; pariter & locus, quoniam in uenis, ac circa cor, copioſius ſtat. Contingit tamen aliquando, huiuſcemodi continuam febrem concluſam, ex ipſa flaua bile,

fieri

fieri, quæ actu, & aperte, periodica quidem non ſit, ſed poteſtate tantum, uel etiam occulte; bilioſus nanque ſi iuxta cordis uenas putreſcat ſuccus, quantum ex ſui natura eſt de tertio in tertium exacerbabitur; ueruntamen propter loci, in quo putreſcit, naturam, ut quando circa cor ſit; atque propter quantitatem eius, euenit quandoque, ut membrorum circa cor inflammatio diutius perſtet; & nondum reſoluta prima materia; ſecunda ad putrefactionem feſtinet; atque hoc pacto ſecundæ exacerbationis materia, priore adhuc non reſoluta, adueniat: ſic itaque continua concluſa febris, ex bili fieri poſſe, aliquo modo uidetur. Verum, quoniam febres, ab humoribus fiunt, uel quantitate auctis, uel qualitate ipſa, à propria natura recedentibus; quoniam à ſanguine in quantitate aucto, nulla conſequitur febris; ſed tantum ab eiuſdem qualitate mutata; ſi exiguus ſit ſanguinis in qualitate receſſus, licet proprie non permaneat ſanguis; ſed quoquomodo bilis naturã induerit; febris tamen ſanginis nuncupari poterit; dum uero à qualitate longe exierit, febris ea, illius ſucci nomini adſcribetur, ad quem uergit magis; ut quandocunque is, intenſa, immoderataq́; corripitur inflammatione, choleræ iam attribui debet. Licet itaque febris à ſanguine proprie ortum trahat, quia tamen ſupercalefactus eſt adeo, ut ad choleræ naturam ferè conuerſus ſit; idcirco febris ſanguinis, quoquomodo eadẽ ſpecie cum febre choleræ erit, neque aliud inter eas diſcrimen dabitur, niſi ſecundum magis & minus;

nus; magis autem & minus ſpeciem non euariant, vel immutant. Per ſanguinem autem, non intelligamus ſimplicem illum, ſed eum, qui ex quattuor humorum æquabili permixtione conſtat.

LVI.

FEBRE in ipſa, ſi alui profluium fuerit, alia non eſſe opus euacuatione, ſcribit, ſed eam ſolam ſufficere, &c.

QVONIAM *de hac ſatis ſuperq; dictum eſt ſuperius, ubi examinata eſt Contradictio, Euacuandum eſſe quandoque à nobis &c. idcirco ſi qua hoc loci deſiderantur, ibi reperiri poterunt.*

LVII.

FEBRES à morbis acutis inſeparabiles eſſe aſſeruit 1. Aphoriſmorum ſectione com. 7. & libro 1. de Ratione uictus in morb is acutis com. 8. &c.

QVANDO *pariter hæc ſuperius tractata fuit, ubi agebamus. Ægritudinem aliquam acutam eſſe, abſque febre; idcirco ad eum confugiat locum, quiſquis huius Cõtradictionis enodationem exoptat.*

LVIII.

FEBRIS in tertianæ exquiſitæ intermiſsiõne nullum in pulſu, humoris putreſcentes perceptibile indicium relinqui aſſeruit in die ac nocte, quæ acceſsionem conſequitur. lib. 2. de Differ. febrium capite 3. cuius hæc ſunt uerba. Tempus autem in hac febre intermiſsionis, nullum habet humoris putreſcentis ex pul ſu

ſu perceptibile indicium, in die, aut in nocte, quæ conſequitur acceſsionem. Quod non de tertiana febre modo, uerum etiam inferius, capite 4. de quotidiana uerba faciens, ipſam etiam, puram intermiſsionem habere faſſus eſt, atque his uerbis oſtendit. Singulis autem diebus accenditur, quamuis minus calida ſit bilioſa tertiana; at illa cùm & humorem habeat acceſsioni opportunum, & facile ſubinde propter ſubtilitatem, quidquid ex eadem efferbuerit, totum in acceſsione expurgatur, ad puriorem quandam infebricitationem terminare uidetur; poſtquam acceſsionum, breue aliquod, putridæ caliditatis ueſtigium, relinquere. Quod etiam in quartana febre, locum habere demonſtratũ eſt inferiori capite. Cuius oppoſitum habet libro 1. ad Glauconem, capite de febribus ephemeris, arteriarum motum in ipſis, in totum huic aſsimilari inquiens, qui in ſanis deprehenditur, cùm in nulla alia febre, ephemera excepta, pulſus ad naturalem habitum reuertantur, neque ſi multum temporis, inter primæ acceſsionis finem & ſecundæ principium intercidat, quemadmodum in tertianis, & quartanis; in illis etenim, febris remanet ſignum, in ephemeris autem, in totum aboletur, acceſsione ceſſante. In tertiana ergo exquiſita, cæteriſq; omnibus, ephemeris exceptis, putreſcentium ſuccorum ueſtigium,

omnino

omnino in pulſu remanere debet.

FEBRE *in tertiana exquiſita, licet in ſui intermiſſione, nullum relinquatur in pulſu putreſcentis humoris perceptibile indicium, quemadmodum ſcripſit libro 2. de Differ. febrium capite 3. non it tamen inficias, quin febris, à putredine ſuccorum ortæ, veſtigia, atque indicia relinquantur, mordax videlicet, acerq́; circa arteriam calor, & pulſus, qui ad integram non deueniat quietem. Quo circa animaduertendus eſt, modus dicendi Galeni, qui hoc loco, putreſcentis ſucci perceptibile non relinqui indicium, ſcripſit, non autem dixit putredinis; atque ita vera ſunt, quæ ephemeris febribus, libro 1. ad Glauconem attribuit, ſolis quippe in illis, ad naturalem habitum, pulſus reuerti inquiens; quoniam nullum prorſus, exacto principio, putridi cuiuſpiam ſucci indicium perſtat; in reliquis vero febribus, licet non putreſcentis alicuius ſucci, putredinis tamen, putridæ'ue febris veſtigia in vrinis, in calore, plurimisq́; alijs remanent; ita vt hoc ſit inter putridas, atque diarias diſcrimen, quod in hiſce, nullum prorſus putredinis, putridi'ue alicuius ſucci relinquatur ueſtigium, typo, atque exacerbatione completis; in putridis vero, licet non putreſcentis ſucci, putredinis tamen in venis, vniuerſoq́; corpore, ueſtigia, permanent.*

LIX.

FEBREM tertianam puram, ſalubriorem eſſe non pura ſcripſit 4. Aphoriſmorum ſe-

ctione com. 59. Quod etiam Hippocratem ſenſiſſe uidemus libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 3. textu octauo, his uerbis. Tertiana exquiſita cito iudicatur, nec eſt letalis. Cuius tamen oppoſitum ex ipſomet Galeno tenendum eſſe uidetur, cùm 2. Prognoſticorum libro com. 47. ſcribat præter ſanguinem, aliũ quemcunque humorem, ſi ſincerus fuerit, prauam indicare affectionem. Quod etiam Hippocratem atteſtari manifeſte conſtat; eodem Prognoſticorum libro textu 38. aſſerentem, uomitum, quanto ſinceriorem, tanto etiam deteriorem eſſe. tertiana autem pura, cum à ſincera flaua bile fiat; impura, quæ à permixtis orta eſt ſuccis, ſalubrior eſſe nequit.

DVM *de humoribus ſermo habetur, duplicem de eis intellectum, habere poſſumus; vel enim ipſos conſideramus in venis exiſtentes, atque febres procreantes; vel extra venas, uomitu iam, uel ipſo etiam ſeceſſu educendos. Dum itaque Galenus, ſinceriorem bilem, non ſincera, deteriorem eſſe aſſeruit, de ipſa extra uenas exiſtente dixiſſe illum putato, vt quæ cordis morſus, fluores alui diſentericos, tormina, atque huiuſcemodi nocumenta inferre ualeat. Dum autem, febrem tertianam puram, atque exquiſitã, à ſincera procreatam bile, impura, ſalubriorem eſſe affirmauit, quæ non à ſincera bile, ſed plurima admixta pituita, conflata eſt, ueritatem quoque & illud habet, cùm ſincera hæc bilis, febrem tertianam*

exquiſi-

exquiſitam faciens, finiatur cito, vt nunquam ſeptimum excedat paroxiſmum, auctoritate Hippocratis 4. Aphoriſmorum ſect. aphoriſmo quinquageſimo quarto, ſcribentis ita. Tertiana exquiſita, ſeptenis circuitibus, quod tempus eſt longiſſimum terminatur; atque in hac, quoniam non collabuntur uires, cum breui duret tempore; in tertiana uero ſpuria, à non ſincera bile procreata, cum diuturnior longe ſit, uiresq; labefactentur admodum, proſternantur, ac concidant; idcirco ſalubrior, tutiorq; febris tertiana pura eſt; febris uero tertiana notha, contraria ratione minus ſalubris, quoniam diutius agros affligat, ſuiq; diuturnitate, uires collabantur neceſſe ſit.

LX.

FEBREM ſemitertianam, continuam eſſe ſcripſit 1. Aphoriſmorum ſect. com. 12. ſic inquiens. In continuis, incendentes quidem, acutæ ſunt; quæ uero typhodes, ideſt ſuccendentes nominantur lõgiores; mediæ uero inter has ſemitertianæ. Eodem modo lib. 2. de Differ. febrium capite octauo, ubi de tertianæ, atque quotidianæ copula egit, eiuſcemodi febrem ait, emitriteum non eſſe, ſiquidem ex numero continuarum emitritens exiſtit. Atque paulo inferius inquit Hippocratem nullam ex ijs febribus, quæ ad integritatem deſinunt, ſemitertianam uocaſſe. Idem quoque & libro 1. de Morbis uulgaribus Conſtit. 1. com. 24.

aſſeuerauit, his uerbis. Febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes, forma autem erat ſemitertiana uno die leuiores, altero autem grauius inuadentes, & in ſumma acutiores euadentes. Conſtitutione etiã 3. com. 5. idemmet his uerbis ſignificauit; quæ ad integritatem non uenit, ſed horridas primo quidem die facit repetitiones, altero ſimplicẽ unam acceſsionem obtinet, ſemitertianã appellamus. Haud ſecus quoque de ipſa & Com. 2. in ſextũ librum de Morbis uulgaribus com. 22. aſſeruit; ſemitertianam, periculo obnoxiam eſſe, minimeq; intermittere opinatos. Quod etiam ſenſiſſe uiſus eſt ſequenti commẽto his uerbis. Non tamen, quampiam ex febribus ad integritatem deſinentibus ab Hippocrate, ſemitertianam uocari concedemus, iſtæ nanque ſecuræ ſunt, ſemitertiana periculoſa. Magis uero dilucidius illud idem explicauit libro 3. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 64. dum ait. Hippocratem in textu febrium intermittentium meminiſſe, quæ (inquit) ſunt numero tres, quotidianæ, tertianæ, ac quartanæ, & cùm de ſemitertianis locutus non ſit, eas inter continuas reponendas eſſe cenſuit. Quod etiam 1. eiuſdem de Morbis uulgaribus libro Com. 3. com. quinto confirmauit, dubitans quo pacto ſemitertiana, cùm non intermittat, ſalubris ſit. Cuius contrarium affirmat

mat in libro de Typis, ſemitertianam febrem, non ſemper eſſe continuam, ſed etiam intermittentem quandoque inueniri, typoſq; habere, periculum tamen minari, ut quæ nõ modo ſtomachum, neruoſamq; eius partem, attingat, ſed etiam lethargicas animi delationes attonitaſq; uigilias inuehat; interim & ad ſyncopim uſque corpus digerat, linguam ualide ſiccet, animi defectum efficiat uehementer ea, quæ in alto ſunt, commouens; in uniuerſum typus hic, & ferus eſt, & periculi plenus; quibus uerbis, cùm typum habere aſſerat, à continuarum numero, quæ typos non habent, dubio procul eam ſegregat. Quod etiam paulo inferius pronunciauit ita habens. Alia exigua eſt ſemitertiana, alia media, alia magna; exigua igitur eſt, quæ horarum uigintiquatuor interuallo uertitur; media, quæ trigintaſex; magna uero, quæ quadragintaocto, quæ & continuæ febri propinqua eſt. Amplius etiam in Introductorio medicorum, ubi de Humoribus uerba fecit, modo inter intermittentes, modo inter continuas repoſuiſſe uiſus eſt. Celſus pariter libro 3. capite tertio. Tertianarum (inquit) duo ſunt genera, quorum alterum longe pernitioſius, quod tertio quoque die reuertitur; ex octo autem & quadraginta horis, ferè ſex & triginta per acceſsionem occupat, interdum etiam minus, uel plus, neque ex toto

in remiſsione deſiſtit; ſed tantum leuius eſt, id genus plerique medici ἡμιτριταῖον appellant. In tertianarum quoque ordine ipſas repoſuit, eodem libro, capite octauo, earum curationem docens.

LICET *ab incœpto ſtatim opere, conſtitutum eſſet mihi, nullam tractare contradictionem, quæ ab alijs prius ſcripta fuerit. Non potui tamen, non hanc unam in medium adferre, quæ tametſi in earum numero reperiatur, quæ ab Andrea Lacuna impreſſioni tradita fuere; de febribus tamen cùm hæc agat (materia medico operi frequens, atque præcipua) cùm etiam longe plures à me notati fuerint contradictionis loci; ſuperadditaq́, qualis ea ſit, locorum enodatio, quam ipſe, alijs inueſtigandam reliquit; hanc quidem, & inter meas reponere ſtatui. Et licet, ſatius fortaſſe fuiſſet (dum & Lacuna maximā in ea enodanda difficultatem perſenſit) meam quoque non pronuntiaſſe ſententiam, atque ſub firmiori incude, alijs tundendam reliquiſſe; ipſius tamen enodationem meliori quo potero modo explicare non grauabor. Sic itaque orſus, dico, febris ſemitertianæ circuitum, vt bene notauit Galenus libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 23. vt plurimum eſſe octo, & quadraginta horarum, quod ſpacium eſt duorum dierum, conſtatq́ ex tertiana intermittente, & quotidiana continua; unoq́ die, acceſſiones habet duas, altero vnicam; & ſi pares ambo ſint humores, exquiſita ſit ſemitertiana; ſi vero bilis exuperat*

perat, ardentior ſit, & tertianæ magis affinis; ſin pituita, mitior, magisq́; quotidianæ particeps. Fieri etiam poteſt ſemitertiana, quando quotidiana intermittens, tertianæ continuæ iungitur, atque implicatur, eaq́; pariter exquiſita, ſi humores ipſi æquales concurrant, non exquiſita, uero, exuperante eorum alterutro. Non immeritò igitur cùm duos integros compleat dies, & ad octo, & quadraginta producatur horas; ſimilemq́; ordinem, diebus ſequentibus obſeruet, eam ex Hippocratis, atque ſua ipſius ſententia, continuam appellauit Galenus, quemadmodum vere eſt. Si quando vero, eandem, in intermittentium numero recenſuit, illud, iuxta Agathini placita protuliſſe conſtat, qui teſtimonio ipſius libro 2. de Differ. febrium, tertianas omnes, quæ protenduntur febres, ſemitertianas nominauit; atque triplices eas ponebat, exiguam videlicet, mediam, atque productam; exiguam dicens, quæ à Galeno tertiana extenſa, ſeu producta vocatur, quæ ad uigintiquatuor, vel triginta horas durabat; cuius fortaſſe & Hippocrates meminit libro 7. de Morbis vulgaribus. Andream ante Pleiadem deſcribens, febre, horrore, uomitu detentum, quæ ab initio (inquit) ſemitertiana apparebat, erat autem tertiana. Mediam vero appellabat, quæ trigintaſex, vel quadraginta detinebat horas. Quæ autem ad plurimum octo, & quadraginta horarum habebat circuitum; quod duorum dierum ſpacium eſt, hanc in libello de Typis ſemitertianam magnam ex Agathino vocauit. at-

que idcirco in eo libro; ſemitertianam non ſemper continuam eſſe ſcripſit, ſed etiam intermittentem quandoque; continuam eam intelligens, quæ horis quadraginta octo producebatur; intermittentem uero, quæ minori perdurabat tempore, quam Galenus tertianam productam appellabat. Et licet minori perdurare tempore dicatur; non propterea tamen, tempus id, omni vacare febre, accipiendum eſt. Quandoquidem continuas febres, atque intermittentes, duplici modo intelligi poſſe, copioſiſſime, atque apertiſſime tradidit Galenus libro 1. Epidemiarum Com. 3. com. 2. his verbis, bifariam veteres, uti, continui nomine, & intermittentis, videntur; nam continuas vocant febres quandoque, quæ nullum tempus liberum habent acceſſione; quandoque non omnes, quæ acceſſione nunquam uacant, ſed ſolas extra ordinem illas, quæ omni carent, uſque ad iudicium, mutatione. Ita intermittentes interdum appellant, illas ſolas, quæ acceſſionem perpetuam non habent, interdum eas, quarum quidem non recedit acceſſio; ſed inſignes faciunt mutationes ſingularum acceſſionum, in initium, incrementum, uigorem, & remiſſionem. At medici quidam iuniores, quæ non magnam mutationem habent non continuas, ſed ſynochos nominant; continuas autem has ſolas, quæ non ueniunt ad integritatem, & intermittunt ſingulis acceſſionibus; haſq; uocant antiqui interim continuas, interim intermittentes; ſunt nanque certe inter continuas, & declinantes ad integritatem, media; proinde

inde recte, ubi cum ſynochis conſeruntur, intermittentes appellantur, cum ad integritatem uenientibus, continuæ. Sic itaque continuæ erunt ſemitertianæ, quia nunquam deſinunt, donec perfecte ſoluantur; intermittentes attamen dici poſſunt, quoniam remiſſiones paroxiſmorum, acceſſionumq́; manifeſtas habent. Et quæ tertiana ad quadragintaocto extendebatur horas, ſemitertiana magna ab Agathino dicebatur; quæ uero, Galeno tertiana producta erat, ſemitertianæ mediæ nomine ipſam Agathinus appellabat. Quam rem declarauit etiam ſuperius libro 1. Epidem. Com. 1. com. 23. ſcribens Hippocratem, ſemitertianas, continuas uocaſſe, ſignificans eas non diſcedere; quod quidem (inquit) ipſemet interpretatur, his uerbis, omnino non intermittentes: intermittentes enim proprie febres illas appellant, quæ à uigore, integritatem quandam præſtant.

LXI.

FEBRIS hecticæ ſiccitatem, in corde primo fieri, autumat, libro 1. de Differ. febrium capite 10. in initio, ita inquiens. Quæ igitur febres ethicæ appellantur, duplici uia ortum habent, magna quidem parte ex febribus ardẽtibus, quæ tantum protrahuntur, ut longitudine temporis, humorem in corpore cordis cõtentum conſumant. Quod etiam inferius capite 12. magis adhuc aperte his uerbis expreſſit. Ac nullum præterea ex uiſceribus aliud, neque tabem, neque ullam omnino ethicam febrem

febrem efficere ualet, priusquam (ut dictum eſt) cor patiatur; incipit autem ipſi cordi hæc paſsio. Cuius oppoſitum habet in libello de tabe; in ethica, demacrationem tantam in intrinſecis non eſſe ſcribens, quanta in extrinſecis eſt.

ETHICORVM *febrientium ſiccitatem, primo in corde fieri dum ſcripſit lib. de Differ. febrium primo; de macie, atque extenuatione intellexit, quæ ipſis ethica correptis contingit, & quæ cordis calorem ſiccitatem conſequitur, eo nanque ſicco prius reddito; ſicca & omnium febrientium membra, fieri, par eſt. incipit enim cordi hæc paſſio. Dum uero in libello de Tabe, demacrationem tabe correptis, tantam in intrinſecis non eſſe dixit, quanta in extrinſecis reperitur; dicendum eſt ipſum, non de ethica febre cōſumptis; ſed de his, qui ex nutrimenti defectu, extenuati, atque emaciati ſunt, uerba feciſſe. his etenim conſumuntur primo humiditates roridæ, ſecundo loco, quæ meatibus inſeruntur, cambium dictæ; demum humiditas illa, qua membrorum partes, inter ſe unitæ tenentur, gluten appellata; ultimo loco, & externa membra, decenti deſtituta alimento, ſicca reddi oportet.*

LXII.

FEBRIVM ethicarum nullam, in primis diebus, ſed temporis progreſſu fieri, aperte aſſeruit libro 2. de Criſibus in ultimis uerbis. Quod etiam Auicēna uoluit 4. Canonis tract.

3. ca-

3. capite 1. inquiens; Longinquum eſt, ut accidat ethica incipiendo, & poſſe membra radicalia inflammari, quin prius humores, & ſpiritus inflammentur. Cuius contrarium ſcriptum reliquit Galenus libro 3. de Præſagatione ex pulſibus, ubi de pulſibus frigidæ intemperiei peculiaribus egit, in hæc uerba ſcribens. Peſtilentes non paucæ ſunt, uſque ab initio ethicæ, diſtantq; ab omnibus alijs febribus, quæ ex magna putredine oriuntur, præterea etiam mærorem ſequuntur, & iram à principio quædam ethicæ; aliter neſcio, an febris ulla, inde uſque ab initio fiat ethica; at temporis diuturnitate, multis alijs ſuccedunt. Libro præterea decimo Therapeutices methodi capite quinto, mulierem ex triſtitia, ac uigilijs, à principio, ethica febricitantem deſcribit, quo in loco cõcludens ait; ethicam ipſam febrem, ſiccos, calidosq; affectus ſtatim à principio corripere. Quod etiã aſſeruit libro 1. de Differ. febrium capite 12. inquiens, nullum, humidioris habitus ab initio prehendi ethica, ſed ſolum ſicciorís. Quibus palàm fit, ſiccioris ſaltem habitus homines, ethica ab initio comprehendi poſſe. Affirmauit autem hoc idem etiam ſuperius capite XI. in initio, ethicas febres ſcribens dupli ci uia generationem ſortiri, quædam enim (inquit) alijs ſuccedunt febribus, atque magna ex parte ardentibus; quædam uero tales incipiunt.

piunt. Febres itaque uſque ab initio ethicæ reperiri quandoque poſſunt.

ETHICAS *fibres, dum in primis diebus, fieri minime poſſe aſſeruit, ſed temporis progreſſu aliis ſuccedere febribus, dicendum eſt, uerbum illud fieri, in græco exẽplari non legi* γίγνεται *ſed* ἀποτελεῖται, *hoc eſt perfici. ſic enim habet græcũ exemplar.* οὐδεὶς γὰρ ἐν ταῖς πρώταις ἡμέραις, ἀλλ' ἐν τῷ χρόνῳ προϊόντι τοιοῦτος ἀποτελεῖται ὥσαι περὶ μὲν ἐκείνων ἐν τοῖς ἐφεξῆς εἰρήσεται. νῦν δὲ καταπαύσω τὸν παρόντα λόγον ἐνθάδε. *Licet nanque & primis incipiant diebus, ipſas tamen, uel tunc non cognoſcimus, uel non perfectas ſaltẽ atque completas; fieri itaque in initio quidem poſſunt, ſed non ita perfici, vt omnibus facile innoteſcant, quando hæ, non imperitiores modo lateant, uerum etiam peritorum cognitionem quandoque ſubterfugiant. Difficilis etenim cognitionis eſſe ab initio inuadentes ethicas, atque ſimilem ephemeris ortum habere teſtatus eſt libro* 1. *de Differ. febrium capite octauo; neque diſſimilem iis curationem expoſtulare faſſus eſt, libro decimo Therapeutices methodi capite ſexto. Dantur itaque febres ethicæ incipientes, quemadmodum pluribus locis traditum eſt. Dum autem libro* 2. *de Criſibus, eas non dari incipientes ſcripſit, dicatur, manifeſtas eas, atque perfectas non reperiri. Amplius, & medice fortaſſe loquendo, ueritatem habere poteſt, ethicas febres incipientes non dari, quoniam ſenſum noſtrum lateant, mediciq́ (qui artifex ſenſitiuus eſt) cognitionem ſubterfugiant; phyſice*

ſice tamen dari concedendum omnino eſt.

LXIII.

FEBRES ethicas,inter putridas adnumeraſſe uiſus eſt libro 1. de Differ. febrium capite 7. de mente Athenæi. Cuius opinioni, ipſum ſubſcripſiſſe palàm eſt, dum ita ait, Sed quoniã de febribus peſtilentibus facta eſt mentio, quæ omnes à putredine ortum habent, operæprecium uidetur, ut hoc loco ſiſtentes ſermonem, de antiquo dogmate conſideremus, omne febris genus, ex putredine fieri aſſeuerans; ſi quidem eius ſententiæ eſſe periclitatur, omnis ab Athenæo chorus; uiri, tum in cæteris, quæ ad artem pertinent, tum præſertim in febrium contemplationem, minime contemnendi; de quibus ego, magna ex parte illis cõſentio, niſi quod eas, quæ ephemeræ nominãtur, excipio; neque enim uidentur mihi, hæ, humorum ſequi putredinem. Contra quam propoſitionem, paſsim ab eo in ſuis libris ſcriptum reperimus; febres inquiens, àlias, in ſpiritibus accenſas eſſe, quemadmodum ephemeræ alias in ſolidis membris, ueluti ethicæ; alias uero in humoribus,quæ ſunt ſingulæ febriũ ſpecies.Qua re perperam inter putridas febres, ethicas ipſas connumeraſſe uidetur.

PVTRIDAS *eſſe, ipſas febres ethicas,dum opinari cum Athenæo videtur, atque ſolas à putridis excipit ephemeras; dicamus, diarias ſolas ab ipſis excipere,*

excipere, vt quæ, ſolæ, nunquam humorum ſequantur putredinem, neque putris, ſed mitis, ac veluti naturalis earum calor ſit. aliarum autem quarumcunque febrium, atque ethicarum quoque, quæ à putridis ortæ ſunt, humorumq́; ſequuntur putredinem, acer, mordaxq́; percipiatur calor. Licet itaque ethicæ (quemadmodum febres reliquæ) putridæ dici minime valeant; febres tamen alias quandoque conſequuntur, quæ à ſuccorum putredine genitæ ſunt; quod diarijs ipſis minime contingit. Hæ itaque ethicæ, quæ à putridis ortum habent, haud ſecus ac peſtilentes, atque aliæ quæuis (ephemeris exceptis) ex putredine, hoc eſt ex putridis ſuccis, putri'ue calore genitæ, dici poſſunt; atque ſi non primò, & per ſe; per accidẽs tamen, atque aliarum febrium interuentu. Et licet hac ratione, ethicæ febres; inter eas, quæ humorum putredinem ſequuntur, recenſeri poſſe videantur, non tamen propterea putridæ dicendæ ſunt; non enim neceſſe eſt, putridum id omne eſſe, quod à putrido generatur; ex putredine quippe fit, quod putridum nequaquam exiſtit, quemadmodum Auicenna ſcripſit 1. 4. tract. 2. capite 43. de Febre ſanguinis agens. Qua re aliud eſt dicere, putridum aliquid eſſe, atque aliud, ex putrido, vel ex putredine fieri. Amplius quoque dicere poſſumus, Galenum hoc loco, de febribus ethicis incipientibus loquutum eſſe, non de ijs, quæ alijs ſuccedunt febribus; huiuſcemodi nanque ethica febris, quæ incipiens eſt, ab inflammatione ſpirituũ, ab ephemera videlicet, origi-

originem ducens ſub ephemerarum conditione comprehendi debet. Libro nanque 1. de Differ. febrium capite octauo, ethicas ipſas febres ab initio inuadentes, ephemeris ſimilem ortum habere teſtatus eſt; quapropter originis ſuæ ratione, in diariarum numero, hæc ipſa quoque proculdubio recenſenda erit. Sic itaque ephemeræ à putridis cùm ſint exceptæ, ethicas quoque ipſas incipientes eadem ratione excipere licuit; quam quidem inter vtraſque analogiam atque ſimilitudinem, in libro ad Glauconem apertiſſime etiam expreſſit, vbi de ſingulis febribus ex profeſſo agens, nullam de ethica mentionem fecit; verum ſub ephemeris ipſis comprehenſam eſſe voluit, neque diſſimilem vtriuſque curationem tradidit. Quod etiã libro 10. Therapeu. Methodi capite ſexto fecit. Adhuc, cùm Galenus ſcribat Athenæum omne febris genus, ex humorum putredine fieri aſſeueraſſe, diarijs exceptis; inferri ex eius dictis poteſt, ex ethicarum genere; licet maior earum pars, à ſolidorum corporum inflammatione ortum ducat; earum tamen aliquam ex humorum quoque putredine fieri poſſe, quemadmodum, quæ alijs ſuccedit febribus; ex ephemeris autem, nulla, ex putredine fieri poteſt; ita vt merito, ſolæ à putridis excipiantur ephemeræ, cùm nunquam à putredine fieri valeant. Amplius etiam dicere poſſumus Athenæum, putridas omnes appellaſſe febres, quæ in humoribus accenduntur, humores intelligens, nõ fluxibiles modo, in vaſis contentos; uerum etiam roridas eas humiditates, quæ extra

extra venas ſunt, ſolidisq́ adhærent membris. Quare cùm diariarum febrium minera, in nullo humore ſit; ſoli nanque in ea accenduntur ſpiritus, qui fortaſſe nullam putredinem, quemadmodum humores, humiditatesúe, ſentiunt, quæ uel in uaſis, uel extra uaſa, circa corpora ſolida reperiuntur. idcirco ſolidas eas excepit; cæteras omnes à putredine fieri aſſeuerauit diſtinctioris autem doctrinæ gratia, has ethicas uocauit Galenus, quæ ſcilicet in humiditatibus ſolidorum membrorum accenduntur; illas uero putridas; quæ in ijs, qui in uenis fluitant, humoribus extraneum contraxere calorem. Animaduertendum ultimo loco eſt, ethicarum febrium triplex eſſe genus; alia nanque ſimplex eſt, ueraq́, nec ulli alteri admixta, quæ rariſſima quoque eſt, atque uel ſtatim ab initio prehendit; aut ephemeræ ſuccedit, in eumq́ duntaxat incidit, qui natura calidior, ſicciorq́ fuerit; fit autem ab iracundia, à mœrore, labore, æſtu, ſiti, inedia, ſi uehementiſſimæ fuerint, ſtatim nimirum inflammatis ſolidis partibus; quod ſi leuiores, ephemeram tantum mouent. Alia uero eſt, aliquanto hac frequentior, quæ acutam, ardentemq́ febrem excipit. Tertia uero eſt, quæ ex partis cuiuſpiam affectione fit, præſertim ex iecoris, lienis, uentriculi, pulmonum, thoracis, renum, uel inteſtinorum inflammatione, haud recte curata, maxime uero, ſi purulenta euadat, quæ tamen proprie ethica cenſeri non poteſt, ſed ſymptomatica. Duo itaque hæc poſtrema febris ethicæ genera ex putredi-

ne

ne omnino ortum trahunt, atque ipſam diu redolent; eius quippe indicia in pulſu, in vrinis, in ſiti, alijsq́; in ſymptomatibus remanent, quin & crebra in his excandeſcentia, etiam ſine cibo fiunt, & inæqualitates, & crebri horrores, cùm præſertim purulenta eſt collectio. Atque omnis ethica, ex putrida febre profecta, putredinis etiamnum particeps eſt; atque de his intellexit Galenus, dum cum Athenæo ſentire fatetur, omne febris genus ex putredine fieri aſſeuerante, ephemeris exceptis, in quarum ordine, & meritò illæ excipiuntur ethicæ, quæ eandem cum ephemeris ortus ſui cauſam habuere, ſed vehementiorem.

LXIIII.

FEBRE peſtilenti correptos, calorem acrẽ habere opinatus eſt libro 3. de Præſagatione ex pulſibus, ubi de his pulſibus egit, qui cor calidius, & arterias frigidiores ſequuntur, peſtilentem febrem ex caloris acredine ſe cognouiſſe ſcribens; atque de maxima quadam peſtilentia uerba faciens, ita ait. Quidam inde ab initio, ad finem uſque; alij per totum morbum probum pulſum habebant, qui perparum deflexiſſet à natura; qui quidem præter cæteros peri erũt, animaduertimusq́; eos, primis ſtatim diebus, & peſtilentia laborare, & peſsime affectos eſſe, ex acredine caloris, atque ipſo caloris genere. Cuius tamen oppoſitum perſpicuò ſcripſiſſe uiſus eſt lib. tertio de Criſibus, ca

pite 4. febres inquiens, debiles quidem, & paruas, quandoque ualde malignas eſſe (peſtilentes intelligens). Quod etiam repetitum ab ipſo eſt libro nono de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. de terra ſamia, ad calcē, peſtilentes febres aſſerens non admodum uehementes eſſe calore. Et libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 28. peſtilentialium febrium calorem, per putredinis differentiam ab aliis differre ſcribens, non ad tactum, neque enim calidæ, & perurentes uidentur (inquit) licet interius magno flagrent incendio. Idem quoque Aëtius ſenſit ſermone 2. capite 12. de bolo armena loquutus in hæc uerba; bibitur cum uino ſubſtantia tenui, aut mediocriter diluto, ſi febre penitus careat homo, aut parum febricitet; ſin ualde, cum aquato penitus; ſed non ſunt adeo feruidæ peſtilentes febres; hoc autem experientia quoque teſtatur; cùm imperitos uideamus ea febre detentos, etiam non febricitare arbitrantes.

NON *pauci ſunt, qui, vt peſtilentis fibris diſcrimen, à cæteris putridis, ſtatuant, aiunt, peſtilentis febris, profundam, ſordidam, ac tenacem putredinem eſſe; cæterarum vero febrium, extimam duntaxat, & leuem; alij inquiunt in hac, propriam cordis ſubſtantiam, vel inſitos in eo humores computreſcere, neque aliud eſſe venenatam peſtis malignitatem, quàm putredinis modum; in peſtilentiq; febre, inquiunt,*

inquiunt, non ſolum ſanguinis maſſa, putridis vaporibus participat, ſed etiam totus, & qui in corpore, & qui in corde reperitur ſanguis putreſcit; vnde mirum non eſſe, ſi huiuſcemodi febre detenti, ſtatim concidant, vireſq; illorum, illico collabantur; in alijs uero febribus, neque cordis ſubſtantiam, neque inſitos humores putreſcere aſſerunt; ſed ipſam, ſolo putrium humorum occurſu incaleſcere, quæ cùm à veritate aliena ſint prorſus, cùm nulla affinitate cum putrida febre, peſtilens ipſa coniungatur, quoniam & vim, & perniciem habeat omni intemperie, & omni putredine maiorem; neque fieri poteſt, indicio meo, vt vel cordis ſubſtantia, vel primigenij illius humores putreſcant, ni prius è vita excedat homo, licet nanque ſanguis, & humores labefactentur in ipſa, non tamen putreſcunt, vnde nec turbidæ, nec confuſæ videntur vrinæ, ſed ſubſtantia, colore, ſedimentóq; laudabiles; quod ſi vel capitis dolor, vel delirium, vel ſitis, vel incendium vehemens, vel vrina turbida comitetur, non ex peſtilenti labe, ſed ex putrida permixtione, id fit. idcirco dicamus oportet, febris peſtilentis calorem acrem eſſe, quemadmodum & libro 3. de Præſagatione ex pulſibus, & libro de Curandi ratione per ſanguinis miſſionẽ ſcriptum reliquit: non quia à maiori quàm reliquæ febres, oriatur putredine; ſed quoniam ipſius pernities, à venenata qualitate emanat, quæ cor obſidet; à qua, acres admodum vapores ſuboriri neceſſe eſt. Quando vero, & non vehemens admodum in ipſis

dicitur eſſe calor; id ea de cauſa eſt, quoniam huiuſce modi in febre, affecto, inquinatoq; corde; ipſius etiam intemperies, & uirium præcipue vitalium imbecillitas, ſequitur; facultasq; per venas, atque arterias influi ſolita, tranſmitti per ipſas non permittitur; qua non tranſmiſſa, vehemens calor eſſe nequit. Sic itaque non admodum vehemens, atque etiam acer, peſtilentium febrium calor eſſe poteſt.

LXV.

FEBRE in quartana, ſalſis utendum eſſe ſcripſit libro 1. ad Glauconem, capite de curatione quartanæ. Cuius oppoſitum tenendum uidetur, ex ſalſis quippe aduruntur ſucci, qui demum atri fiunt ad quartanam apti; ſalſa itaque, in hac febre nequaquam competere credendum. Amplius & lib. 1. de Alimẽtorum facultatibus capite de lentibus, ſalitas carnes (inquit) melancholicas eſſe, & duræ digeſtionis, craſſosq; ſuccos generare, quæ omnia ad quartanam febrem procreandam maxime apta ſunt. Idem affirmat & libro 3. de Locis affectis capite ſexto; ubi de melancholia agit; necnon & 2. Aphoriſmorum ſectione, com. 18.

SALSIS *in febre quartana, tum ad attenuandam, incidendamq; pituitam, in ventriculo exiſtentem, in diuturna ea febre genitam; tum etiam pro appetentia excitanda, commode vti poſſumus, licet alioqui, melancholicum, atrumq; ſuccum pariant.*

Vel etiam dicendum eſt, duûm generum cùm ſint ſalita ipſa, vel etenim grandiorum, duriorumq́; animalium; vel iuniorum, atque molliorum. Salſis itaque dum in quartana vtendum eſſe ſuadet Galenus, de piſcibus ſalitis mollibus, ac iunioribus intelligere ipſum par eſt, quippe qui ſuccorum lentorem diſeccare, atque eorum craſſitiem tenuem reddere valeant, quemadmodum ſcriptum eſt in libro de Diſſolutione continua capite 2. non autem de quadrupedibus ſalitis magnis, ſermonem ipſum habere apertum eſt; eorum nanque carnes melancholicæ ſunt, ſuccosq́; craſſos pariunt; quemadmodum ex his aperte conſtat, quæ ſcripta reliquit libro 1. de Alimentorum facultatibus capite de lentibus, & libro 3. de Locis affectis; & 2. Aphoriſmorum ſectione com. 18.

LXVI.

FICVS, ſucci prauitatem effugere non potuiſſe ſcripſit libro 2. de Alimentorum facultatibus capite de ficubus, ita inquiens. Quod omnibus quidem, non modo autumnalibus fructibus, ſed & ijs, quos fugaces appellant, eſt commune, id ficus quoque habent, non enim potuerunt ſucci prauitatem effugere, tametſi minus quàm fugaces omnes ipſius ſunt participes. Quod etiam confirmauit Aëtius ſerm. 1. ubi de ficubus egit. Cuius tamẽ oppoſitum eodemmet capite, paulo inferius habet Galenus, maturas ficus, licet non deſcẽdant protinus, modo in uentriculo probè co-

quantur, alimentum corpori innoxium dare ſcribens, quod uuis non ineſt. Quod etiam aſſeruit in libello de Cibis boni, & mali ſucci, oſtendens quantum ad fructuum excellentiã, probitatemq; conferat, cùm ad maturitatem deuenerint; maturæ enim ficus (inquit) ferè innoxiæ ſunt; innoxias itaque ipſas eſſe affirmauit, ſi tamen maturæ edantur. Paulus præterea Aegineta libro 1. capite 81. ficus honore, & bonitate ſucci, uuas præcellere ſcripſit, Qua re, nullo pacto, ſucci prauitatem, ipſas in ſe continere, certum apud nos eſſe debet.

DVM *ficus, ſucci prauitatem, effugere non potuiſſe ſcripſit, libro ſecundo, de Alimentorum facultatibus; de primis ipſis ficubus, quæ lacteo adhuc liquore refertæ ſunt, & groſſi dicuntur, græcis vero ὀλύνθοι; atque de immaturis, verba eum feciſſe, credẽdum eſt. Dum vero eodem capite, paulo inferius, vuis, bonitate ſucci eas præfert, de ſecundis ficubus, quæ vere ficus ſunt, lacteo non imbutæ ſucco, dixiſſe eum patet; de autumnalibus quippè fructibus eo loco verba fecit. Et licet ſecundas quoque ficus ſucci prauitatem, effugere non potuiſſe aſſereret, dicendum tamen eſſet, quod, quæ ineſt eis, ſucci prauitas, & quam forſitan effugere non potuere, exigua adeo exiſtit, vt licet non probum, laudabileq; prorſus, innoxium tamen corpori alimentum præbeant. Amplius, hoc pacto quoque dicere poſſumus, ficus ſi in corpore digeſtæ, ac diſtributæ ſtatim fuerint, boni*

eſſe

eſſe ſucci; verum, ſi in ventriculo morentur, mali ſucci fieri. Vel etiam hoc pacto intelligamus, ficus, & caricas, alijs ſubcanicularibus fructibus minus improbum habere ſuccum; his tamen, qui in ipſarum eſu diu perſiſtunt, non admodum probum ſanguinem gignere poſſe.

LXVII.

FOETVS trimeſtres, & quadrimeſtres, præter cæteros iniuriis reſiſtere affirmat libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 30. Cuius oppoſitum à nobis tenendum eſt ex Hippocratis aphoriſmo 1. ſectionis 4. in quo habet. Vtero gerentes à quarto, uſque ad ſeptimum ſunt medicandæ, ſi materia turget &c. Quo aphoriſmo habetur, fœtus ipſos, quinto, & ſexto menſe ualidiores eſſe debere, atque magis quàm tertio & quarto iniuriis reſiſtere poſſe. Quod etiam aphoriſmo 45. Hippocratem uoluiſſe conſtat, dum ſcripſit. Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo, aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta, iis acetabula uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fœtum continere. Idem etiam à Galeno repetitum eſt libro ſexto de Locis affectis capite quinto, his uerbis. Si mulier prompte quidem conceperit, deinde ſecundo, aut tertio, aut quarto impregnationis menſe, fœtum eiecerit, circa uteri acetabula, pituitoſum humorem abundare; atque idcir-

co uenarum, & arteriarum eius loci ad ora uaſorum in uterum deſcendentium, nexum debiliorem reddi, cõijciendum eſt, ut fœtum ob grauitatẽ ferre nequeat, ſed facile rumpatur. Quibus liquidò conſtat, & ſecundo, & tertio, & quarto menſibus, iniurijs maxime obnoxios eſſe fœtus.

FOETVS *ipſi, cùm plurimis poſſint eſſe periculis obnoxij, vel enim à violentis motibus diſrumpi, vel à nutrimenti defectu iniuriam pati; quo Galeni dicta facile innoteſcant, atque intelligantur, dicendum eſt, trimeſtres, & quadrimeſtres fœtus, iniurijs illis magis reſiſtere, quæ à nutrimento deficiente, atque ab interno aliquo corporis vitio, non ab externa occaſione fiunt; paruuli nempe cùm adhuc ſint, exiguò indigentes alimento, nihil, uel longiſſima matrum fames eos lædere ualet. è contrario uero, maioribus, atque iam adultioribus, nutrimenti defectus, maximum incommódum adfert.*

LXVIII.

FOETVM in utero, ex optimo nutriri ſanguine, uitioſum autem ad expulſionem, ad partum uſque reſeruari ſcripſit in libello de Atra bile, uerſus calcem, cùm enim (inquit) natura, quæ fœtum format, augetq́; uteri gerendi tempore, optimum ſanguinem trahat, relinquitur portio deterrima in uenis, quæ poſt partum excernitur, uti ſingulis menſibus, ſuperflua, & inutilis, non ſolum quantitate, ſed etiam

tiam qualitate, quæ,ſanguine ſecundum naturam habente],[magna ex parte, nigrior eſt. Quod etiam aſſeruit libro 14. de Vſu partium ferè in principio. Amplius & libro 1.de Tuenda ualetudine, à uenere omnino abſtinendas eſſe nutrices admonet, quoniam & menſes uiri conſuetudine prouocantur,& lac,odoris ſui gratiam, in deterius mutat, quin etiam (ait) in utero aliquæ concipiunt, quod alienius à puello adhuc lactente,nihil eſt;ita enim,quidquid ſanguinis eſt optimum,in fœtum abſumitur.Idem quoque affirmauit & libro 1.de Morbis uulgaribus Com. 3.com.21. & libro 3. Com.3.com.73.atque etiam libro 1. Prorrheticorum Com. 2. com. 48. Quod etiam uidetur ſentire Hippocrates in libro de Natura fœtus his uerbis. Fœtus trahit ad ſe,quod dulciſsimum eſt in ſanguine, ſimulq; & lacte modico fruitur. Et in libro de Morbis muliebribus, in hæc uerba ſcribens. Cùm mulier in uentre habuerit, tota fit cum uirore pallida, quoniam purus ipſius ſanguis ſemper quotidie ex corpore deſtillat, & in fœtum deſcẽdit, & augmentum ipſi accedit. Atque idem Auenzoar diffuſiſsime probat lib. 3.capite ultimo. Cuius tamen oppoſitum apertiſsimè tenere uidetur Galenus libro 1. de Symptomatum cauſis,ubi de fame,& appetitu loquitur;in hæc uerba. At primis duobus menſibus, parum ſanguinis

guinis in fœtum attrahitur, utpote adhuc minimum, cùm ſcilicet, quod in utero eſt, hoc tempore nec ἔμβρυον græce uocetur, ſed κύημα, ideſt uteri geſtatio. hoc tamen auctius redditum, tum ipſum ampliore nutrimento, tum, non ſolum, quidquid optimum in uenis eſt, id attrahit (ceu prius diximus) ſed etiam, quia plus indigeat, eius, quod uitioſum eſt, aliquid unà contrahit; atque ita totum corpus, tum plenitudine laborare deſinit, tum minus uitioſo eſt ſucco; ipſe autem fœtus, alimenti quod attrahit excrementa, in duplicibus membranis reponit. Ac fit quidem magna ex parte ipſe quoque & uitioſioris ſucci, & intemperantior, utpote ex uitioſo nutritus ſanguine, niſi quæ eum geſtat, in reliquo geſtationis tempore ſalubribus utatur alimentis. Atque hinc quoque morbillos, atque uariolas ἐξανθήματα, uel ἐκθήματα græcis dicta pueris, & infantibus etiamnum permanere arbitrati ſunt quidam, dicentes, reliquias has menſtrui ſanguinis, quo fœtus in utero abundat, atque alebatur, in ipſis adhuc permanere, quæ feruidiore cælo, uel auſtrina tempeſtate unà cum reliquo ſanguine efferueſcentes, pulſæ foras in cute efflореſcunt.

CVM *excrementoſum, putridumq́; ſanguinem in partu, mulierem eijcere videamus, fœtum ipſum optimo nutriri, non abſque ratione credendum eſt;*

quemadmodum

quemadmodum pluribus locis aſſeruit Galenus; cui ſententiæ, omnes ferè ſubſcribunt doctores; non igitur menſtruo fœtus alitur; ſi hac appellatione, corruptum eum ſanguinem, notamus, qui purgatio eſt, & excrementum purioris. At uero, quoniam hoc nomine, omnem ſanguinis ab vtero factam deiectionem, ſæpius ueteres ſignificarunt, ferè fit, vt fœtum ali, & lac gigni ex mēſtruo ſanguine pronuntiemus. Optimo itaque alitur, atque eò maxime, dum paruulus adhuc fœtus exiſtit, non multo indigens alimento; quando vero iam adoleuit, & auctior eſt redditus, amplioreq́ nutrimento illum vti oportet; quia plus indiget, idcirco ſimul cum illo optimo, eius etiā, quod ita optimum non eſt, aliquid forſitan, ipſum exſugere non inconuenit, quemadmodum teſtatur ipſe libro 1. de Symptomatum cauſis. Si uero in hac re Ariſtoteli fides nobis præſtanda eſſet, non modo, dum maior, adultiorq́ eſt fœtus, ſed quouis etiam tempore, ſuperfluum tantum à matre ſuſcipere uidetur. Primo nempe, & 2. de Generatione animalium libro, atque etiam libro 4. capite ſexto, Menſtruum à matre in generatione datum fœtibus, ſuperfluum omne ſcripſit eſſe, atque excrementum; cùm etenim (inquit) vt plurimum, neceſſariam ſibi materiam non præbeat mater, reliquum eſt igitur, vt ſuperfluum tradat. Alia tamen eſt in re hac, Ariſtotelicæ prorſus aduerſa, medicorum neotericorum ſententia, quæ aſſerit, fœtum ſemper optimo nutriri ſanguine. tanta nanque cùm ſit menſtrui pernities,

atque

atque malignitas, rationi conſonum (inquiunt) nequaquam eſt naturam, eo, fœtum, ali uoluiſſe; menſtruumq́; ſanguinem, in tres diſtribuunt portiones; primam dicunt eam eſſe, quam fœtus per acetabula, ui ſua, pro alimento trahit; quæ non modo menſtrui, ſed etiam totius materni ſanguinis pars eſt ſincerisſima, & longe optima. Alteram ſanguinis portionem, nullo item contaminatam uitio, quæ cum primum fœtus mouetur, in mammas concedit, vt natura mutationibus in lac conuerſa, infantibus familiare, & conueniens ſuppeditet nutrimentum, quod inde ſatis apertum eſſe poteſt, cum brutorum animalium lac, atque uaccarum præcipue, quo aſſidue, atque familiariter utimur, ad partum uſque laudatiſſimum eſſe uideamus; plurimasq́; cognoui mulieres quæ dum vtero geſtant, ad nouum uſque partum lac filijs exhibere non deſinunt; qua etiam ſanguinis portione adultiorem fœtum ali intellexiſſe Galenum lib. 1. de Symptomatum cauſis, dicere poſſumus. Tertia ſanguinis portio, uitioſa prorſus, in ipſo iam partu, & multo poſt tempore, copioſe è uenis per vterum dimanat, qua fœtum ali impoſſibile prorſus ipſis uidetur; atque de portione hac Ariſtotelem intellexiſſe pro cõperto ſit. Neque propterea ſi quid menſtrui, in alimẽtum fœtui ceſſerit, id exanthematũ uel echthimatũ occaſio eſſe poteſt, cum hæc ipſa quibuſdã in annum trigeſimum, uel quadrageſimum innoteſcant; quibuſdam uero etiam non ſemel modo, ſed bis, & ter repetant; menſtruus uero is ſanguis tanto

to annorum ſpacio, per multas febres, alioſue morbos ſuperatos, iam prorſus abſumptus eſſe debet; quare non ex ſanguine illo exanthemata, atque ecthimata; ſed ex communi quadam cauſa, toti aëri conſperſa originem habere, tum illud demonſtrat, quod in illis, nullum ferè in urinis putredinis cernitur indicium, & uenenata qualitate, uirium, & corporis noſtri ſubſtantiam demoliuntur. atque non modo feruidiore cælo, ſed & hyeme quandoque graſſentur; annos præterea complures quandoque ſileant, & certis annorum interuallis ſæuiant; quod ex aere ita affecto, non ex ullo in nobis ſanguine prouenire conſtat.

LXIX.

FRICTIONEM multam, uniuerſum corpus euacuare credidit libro 14. Methodi medēdi capite 7. ubi euacuantia omnia enumerans, de ea in hunc modum ſcripſit. Dictum uero à nobis ſæpe eſt, de uacuantium auxiliorum facultate, ea ſunt, ſanguinis miſsio, & purgatio, tum per ea medicamenta, quæ ſubter expellunt, tum per ea, quæ ſupra, ſiue ea uomitoria dicere mauis; præterea multa frictio, & omnis dimotio, itemque balneum, quod ex aquis ſit digerentibus; ſed & acria medicamenta illita per halitum digerunt, omniaq; uno uerbo, quæ calefaciunt, & ſiccant. Præterea & in libro de Sectione uenæ aduerſus Eraſiſtratheos, qui Romæ degebant, frictione frequenti

ti, non paucos ſe uacuaſſe ſcribit, cùm aliàs præ animi ignauia, neque purgans medicamẽtum aſſumere auderent, neque uenæ ſectionem ſuſtinerent. Contrarium attamen teſtatur aperte 4. Aphoriſmorum ſectione com. 2. Frictiones ipſas totum corpus æqualiter euacuare aſſerens; de quibuſdam etenim euacuationibus, quæ aliquam tantum partem euacuant uerba faciens, ita inquit. E genere autẽ ſuperfluitates expurgantium ſunt, & quæ per tuſſim expurgant, quæcunque in pectore exiſtũt, atque pulmone; & quæ per urinas abducunt, totius ſanguinis ſeroſam ſuperfluitatem, clyſterem quoque ex hoc genere feceris; & aliud quodcũque totum corpus æqualiter euacuãs, quemadmodum & uenæ ſectio euacuare creditur, & omnino ſanguinis miſsio quæcunque, & quouiſmodo facta; ex talibus autem euacuationibus, & quæ per uterum fit, & per ora uenarum ſedis, ſiue per exercitia, & frictiones, & omnem motum, atque calorem, & balneas calidas, præſertim nitroſas, ſulphureas, & bituminoſas; & ex accidenti inedia; hæc ſiquidem omnia, uidentur totum æqualiter corpus euacuare; ſiquis uero exactius perquirat, non æqualiter inueniet euacuare.

FRICTIONE *multa, totum corpus minui cũ Galeno in libris Methodi, ſentire uidetur etiam Cornelius Celſus libro 2. capite 23. ex Hippocrate, atque*

que capite octauo eiuſdem libri, de morborum curationibus agens. Demitur, inquiens, corporis materia, ſanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, uomitu: frictione, geſtatione, omniq; exercitatione corporis, abſtinentia, ſudore. Per hanc quidem, dum nihil offertur alimenti, inſitus calor, humoris plurimum populatur, ac diſſipat. Mollis præterea, longaq; frictio, corporis ſumma excalfaciens, cutis ſpiracula laxat, dilatatq; quibus ex cauſis humores in extrema corporis effuſi incaleſcunt, extenuantur, & liqueſcunt, qui demum ſponte ſua diſſipantur, & euaporant. Uniuerſum tamen corpus ab eadem non euacuari dicendum eſt, quemadmodum 4. Aphoriſmorum ſectione com. 2. aſſeruit, quia ſuperflua ipſa non à toto elicit corpore, neque penitiores particulas, uniuerſaq; euacuat membra, ſed cutaneas tantum, atque externas partes, potiuſquam internas, profundasq; (uti dictum eſt) excrementis exonerat frictio.

LXX.

HERBIS ab ipſis nullo pacto nutriri poſſumus Galeni teſtimonio ita ſcribentis lib. 1. de Potentijs naturalibus, vbi de nutritione loquitur; ſicut enim (inquit) herbis nutriri planè non poſſumus, tametſi pecudes iis nutriantur, ita radicula quidem nutrimur, uerum non ita ut à carnibus. Oppoſitum attamen ſcripſit, atque ipſas aliquo pacto nos nutrire aſſeruit libro 2. de Alimentorum facultatibus capite

capite de plantis ſpinoſis, olera omnia, nutrimentum habere paucíſsimum quidem, & ipſum tenue, atque aquoſum affirmans. Alere quoque ipſas ſenſit libró 8. Methodi medendi capite 2. de picrocholis uerba faciens, atque ita ſcribens. Sanè illud non latet, & boni ſucci, & exquiſita eſſe debere, quæ his exhibentur nutrimenta, non tamen ea, quæ boni ſucci; propterea quod exiguum huiuſmodi ſubſtantiæ in ſe habent, nominentur, ac nutrire nequeant, imo, quod utile plurimum in ſe contineant, ſunt nanque & maluæ, & braſsicæ, & betæ, & lactucæ, & denique omnia olera, & fructus, nutrimenta, cùm ſubſtantia in his, habilis ad nutriendum contineatur. Verum ſicut in his exiguum eſt quod nutrit, non exiguum quod eſt inutile, ita in pane puro, & ouis, & carne, & alica, plurimum eſt quod nutrit; minimum quod eſt inutile. Amplius & in libro de Diſſolutione continua, ubi de cibis pauci nutrimenti ſermonem habet, ita ſcriptum reliquit. Vnde panis hordei, & furfur, & fabæ humidæ, & omnia olera, ueluti caules, & ſicla, & acetoſa, & portulaca, & raphanus, & ſinapis, & naſturtium, & paſtinacæ, parum nutriũt propter multitudinem ſuperfluitatum earum. Maluam quoque mediocriter alere teſtis eſt libro 2. de Alimentorum facultatibus capite de malua. Idem etiam betam operari, ſequenti

capite

capite cõprobauit; atque demum capite de attriplice, & blito in uniuerſali de oleribus loquutus, ita ait. Manifeſtum porrò eſt, quod alimentum à ſeipſis, corpori præbent exiguum. Quibus liquidò conſtat, olera ipſa, licet non plurimum exiguum tamen alimentum nobis præſtare poſſe.

HERBIS *ab ipſis, dum aſſerit, nos, nullo pacto nutriri poſſe, ita ipſius dicta intelligamus oportet, vt ab ijs quidem non ita nutriamur, quemadmodum à carnibus, à puro pane, ab ouis, & alica; quorum, plurimum eſt quod nutrit, minimum quod eſt inutile; cùm è contrario, ſingula olera, exiguum habeant, quod nutriat, non exiguum, quod eſt inutile. Carnes præterea, & oua, aliaq́; huiuſcemodi, facile in nobis tranſmutantur, probumq́; ſanguinem generant; olera vero difficulter concoquuntur, atque excrementoſa eſſe, nemo non ignorat; quæ autem nos alere debent, facile tranſmutabilia ſint oportet. Quare & libro* 1. *de Facultatibus naturalibus capite* 10. *& in libro de Cibis boni, & mali ſucci ita ſcriptum reliquit. Cibariorum, quæ melius, faciliusq́; concoquuntur, illa & meliores, & laudabiliores tanto generant ſuccos, quanto & minore negocio conficiuntur; atque è contrario, ea deteriora erunt, ac fortaſſe non nutrient, quæ difficilius tranſmutantur, & maiore negocio, in bonos naturæ vſus vertuntur. Atque idcirco cùm omnia ferè olera, & multa indigeant alteratione, difficiliusq́; (vt di-*

ctum eſt) conficiantur, atque tota fermè excrementitia ſint, parum utique alimenti ab ipſis ſuſcipere valemus. Vel etiam ſic dicendum eſt, olera ipſa nullo parata modo, optimo nos nutrimento alere poſſe, quoniam utcunque parentur, bonum, optimumq́ ſuccum, generare nequeunt. Poſſumus etiam & tertio ita dicere, aliud eſſe olus, atque aliud herbam oleraq́ parum quid nutrire dicamus Galeni teſtimonio ex Hippocrate ſexto Epidemiorum lib. Com. 5. textu 21. herbas autem ipſas, nihil prorſus; atque idcirco libro 1. de Facultatibus naturalibus, herbis planè nutriri non poſſumus (inquit) licet pecudes ijs nutriantur; quo in loco, non oleris, ſed herbæ nomine uſus eſt.

LXXI.

HOEDIS ſolis ex terreſtribus animalibus, uictu in attenuanti, innoxie nos uti poſſe teſtatur in libro de Attenuanti uictus ratione. Quod etiam in libro de renum affectus dignotione atque medela comprobaſſe uiſus eſt, ipſos, renum in affectu, qui attenuanti indiget uictus ratione admittens. Cuius contrariũ ſentire uidetur libro ſexto Epidemiorũ Com. 3. com. 22. hœdorum carnem, inquiens, craſſum reddere ſanguinem, cum ſiccitate boni ſucci; quæ autem craſſum reddunt ſanguinem, attenuanti uictu nullo pacto congrua eſſe, credendum eſt; attenuare nempe, atque craſſum reddere, maxime inter ſe diſcrepant. Atque non

non modo ex Galeno, uerum etiam ex Tralliano, craſſos, uiſcidosq; ſuccos generare uidetur, cùm in liene ſcyrrho affecto, qui attenuantibus indiget, eos prohibeat, capite de lienis ſcyrrho; qua re attenuanti uictui, nullo pacto congruos eſſe credendum eſt.

HOEDI, *ex terreſtribus animalibus, ſoli, attenuanti in victu, cōmode, vtique exhiberi poſſunt. Salubri quippè in uictu, duo hæc præcipua eſſe aſſeruit in lib. de cibis boni & mali ſucci; vt neque cibus mali ſucci ſit, neque glutinoſus adeo, vt obſtructiones pariat, id circo & lib. de Tuēda ualetudine ſexto, ubi frigidas naturas regere docet, attenuanti uictui, nō incongruū aſſerere uidetur, cibum, qui licet craſſus quoquo pacto ſit, non tamen perpetuo glutinoſus. Commode itaque exhiberi poſſunt hœdi, quoniam mali ſucci nō ſunt; atque modice craſſos, non craſſos prorſus ſuccos, huic uictui aduerſos, gignūt; atque hos, vti dictum eſt, cum ſiccitate boni ſucci, hoc eſt cum non multo lentore; in limitibus nanque ſunt, craſſitiem reddentium, attenuantiumq́; ciborum. Et licet, parum quid ipſis, lentoris inſit, quia tamen boni ſunt ſucci, idcirco eo in uictu, iure optimo, tanquam commodi admittendi nobis ſunt. Neque nos latet, quod proprie quidem, iuxta exceſſus oppoſitiones, cibi, tales, aut tales dici debent; per abuſionem autem, & medio, & mediocri extremorum quandoque nomina tribuuntur, cùm & ad maxime craſſum, mediocriter craſſum comparatum, tenue dicatur; & ad maxime te*

nue,quod mediocriter tenue eſt, craſſum nominetur, quemadmodum urinæ exemplo, nos docuit Galenus 4. Aphoriſmorum ſectione,com.76. inquiens, Hippocratem in textu urinam craſſam uocare, quæ ſecundum naturam mediocris ſit, extreme tenui ſcilicet comparata. Quod etiam com. 77. affirmauit. Quocirca, & libro de Diſſolutione continua, hœdos non craſſi ſucci, ſed inter tenuia, ac craſſa cibaria medios aperte ſtatuit, ita inquiens. Et qui eſt in corpore temperatus, & ſanus, nec labor eius eſt multus, nec eſt labor in uirtute; meliora ſunt cibaria media, inter ſubtilia, & craſſa, quia ipſa ei conueniunt, & non debilitant, ſicuti cibaria ſubtilia, nec generant cruditatem, & opilationem, ſicuti craſſa; & omnis panis bene præparatus arte, ouum gallinarum,caro hœdi anniculi &c. Et paulo inferius de cibis boni chymi agens, eandem ſententiam hiſce uerbis expreſſit. Dico,quod panis frumenti mundi, bene factus arte ſua,quando comeditur in die ſuo; & caro gallinæ, & hœdi anniculi, caput, & piſces non cum duricie, nec multæ uiſcoſitatis, quibus non eſt Zizuma, nec malitia, nec pinguedo plurima, & quorum ſunt paſcua in aquis non ſordidis, nec aquis thermarum, qui non nutriuntur male, nec ſunt uelocis corruptionis; ſed remanent tempore longo, antequam mutentur, & omnia oua non dura, bene parata, & cocta, & omne uinum boni odoris, leue, in quo eſt dulcedo pauca, omnia ſunt boni chymi, temperat. inter ſubtile, & craſſum.

ſum. Quocirca dum ſexto Epidemiorum libro, craſſum ipſos reddere ſanguinem aſſeruit, licet extremi nomen ipſis attribuatur, modice tamen, atque moderate craſſum intelligere debemus, qui attenuanti uictui non repugnet. nam ex his plura, quæ tenuis materiæ ſunt, & extremi naturam ſapiunt, medicamina potius quàm alimenta à nonnullis appellata eſſe aſſeruit in libro de Cibis boni & mali ſucci. Neque mirum, ſi hos, attenuanti dietæ congruos cõſtituat, quando & ſuillas partes extremas, quæ hœdorum carne, longe uiſcidiores ſunt, haud ſecus ac gallinarum alas exhibendas præcepit eodem libro de Attenuanti uictu. Vel etiam dicamus, Galenum, non de lactentibus iunioribusq́; hœdis, ſed de adultioribus, atque iam grandioribus uerba feciſſe, dum craſſos gigni ab hœdis ſuccos auctor eſt. & quemadmodum in libro de renum affectus dignotione, atque medela, inter ſues atque porcellos maximum diſcrimen poſuit, hos, iuniores, illos uetuſtiores eſſe innuens; antiquorumq́; carnes improbat, iuniorum uero collaudat; pariter, & hœdorum, alij iuniores, antiquiores alij ſunt; iuniorumq́; hœdorum caro optima dici poterit, attenuantiq́; uictui imprimis vtilis, antiquorum uero, noxia.

LXXII.

HORDEVM frigidum natura eſſe ſtatuit in libello de ptiſanana, ſic inquiens. Hordeum itaque ſanè, generaliter acceptum, refrigerat, atque exſiccat. Eodem modo & li-

bro 1. de Alimẽtorum facultatibus de ipſo ſenſit, in hæc uerba ſcribens. Hoc item ſemen in frequenti apud homines uſu habetur, diuerſæ à tritico facultatis; ſi quidem hoc palàm calefacit, illud uero non calefacit, ſed in calidi, frigidiq; medio, conſtitutum eſt, uti amylum, & panis lotus, ut etiam refrigerare maxima ex parte appareat. Quod etiàm ab ipſo, eodem libro his uerbis repetitum eſt. Qui enim hordeum coctum natura frigidum & humidum eſſe crediderit, ſciueritq; corporum temperamenta tum naturalia, tum alicuius affectus occaſione acquiſita, diiudicare, is, rite, non tantum ſanis corporibus, uerum etiam ægrotantibus, hordeum decoctum exhibebit. Frigidum quoque ipſum poſuit libro 7. de Simplicium medicamentorum facultatibus, hæc uerba habens. Hordeum primi eſt ordinis in exſiccando, & refrigerando, habet etiam abſterſionis nonnihil; paulo etiam plus deſiccat, quã ſabacea farina, cui non in ſint cortices. Eiuſdẽ etiam facultatis, ipſum eſſe conſtituit libro 1. de Ratione uictus in morbis acutis com. 30. Aëtius quoque ſermone 1. capite proprio, frigidum, & ſiccum in primo ipſum eſſe aſſeruit. Cui ſententiæ concors eſt etiam Hippocrates libro 2. de Diæta circa initia. Contrarium de ipſo ſenſit, ipſemet Galenus, atque calidũ eſſe hordeum affirmauit libro 4. Therapeuti

ces

ces Methodi, dum illud ſuppurandi poteſtate præditum eſſe, his uerbis explicauit. Quæ cataplaſmata ex hordei farina componũtur, ceu quæ calefacian, humectentq;, omnibus ijs affectibus, quibus moueri pus expedit, admouemus. Hordei nanque farina ex aqua & oleo; præterea fotus aquæ calidæ multæ, & tetrapharmaci uis, omnia denique, quæ calefaciũt, & humectant, celerrime pus mouent. Quod ſi ſuppuratorium conſtituit hordeum, conſequens eſt, ut etiam calidum eſſe dicat, quemadmodum ipſemet Galenus eodem loco expreſsit, & libro quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite 2. & 8.

HORDEUM *ipſum, cùm aliquando poteſtate frigidum, aſſerat, quemadmodũ libro 7. de Simplicium medicamentorum facultatibus, & in libello de ptiſana, alibiq; frequẽtiſſime; & detergẽdi facultate præditum, ueluti libro pariter quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus; aliquando uero & calidum ipſum ſtatuat, nec non emplaſticum, puriq; mouendo idoneum, ueluti libro 4. Therapeuticæ Methodi; quod quidem opus calore perfici perſpicuum eſt, quippè quoniam in pus conuerſio, unum eſt ex naturæ operibus, quod à ſpiritibus, & natiuo calore, intus ſeruatis, perficitur, reliquum nobis eſt, ut cùm hæc contraria inter ſe ſint, hoc pacto conciliãda curemus. dicentes, hordeum, temperatura quidem, ſeu facultate ſua, cùm detergendi ui præ*

ditum ſit, uerè frigidum eſſe, quemadmodnm Hippocrates etiam uoluit libro 2. de Diata, frigidum & ſiccum illud eſſe aſſerens; calidum autem uideri, ac ſuppurationem facere poſſe non primo & per ſe, ſed per accidens, & propter eorum admixtionem, quæ à Galeno libro 4. Methodi medendi ſcripta ſunt, olei quippe, & aquæ, quæ cutis meatus obſtruentes, augendi caloris uim ſortita ſunt; quo aucto calore, quod in affecta contentum eſt particula, ſuppurare ualent. Neque diſpar eſt huius medicaminis ratio, ab eo, quod ex ærugine, cera, & oleo ſimul mixtis, compoſitum eſt, de quo, eodem meminit libro, quemadmodum enim neque ærugo, neque cera, neque oleum, per ſe, cauum ulcus implere poteſt, inuicem autem mixta, poſſunt; ita de hordeo dicendum eſt; quod per ſe quidem, puri mouendo, idoneum eſſe nequit; alijs autem, oleo uidelicet, & aquæ admixtum, poteſt.

LXXIII.

HYDROPEM, minime fieri poſſe ſcripſit, niſi afficiatur hepar libro quinto de Locis affectis capite ſexto, atque libro ſexto in initio, alibiq; frequentiſsime. Cuius contrariũ habuit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 22. morbos enumerans, qui in autumno fiunt, hydropem recenſens, qui ex liene contingit; Non itaque à iocinore tantum, uerum etiam à liene, atque ab alijs membris, ipſum fieri credendum eſt. Amplius & libro 2. Prognoſt.

com.

com. 2. hydropem, quæ à iecore eſt, paucitate & ariditate deiectionum, à ſplenico diſtingui aſſeruit. Datur itaque hydrops à ſplene, ab eo diſtinctus, qui iecoris uitio fit.

HYDROPEM *nequaquam fieri poſſe dicamus, niſi hepar afficiatur, licet tamen non continuò ob primariam eius affectionem, originem ſuſcipiat, quoniam & à male affecto liene, plurimiſq; alijs membris, affectio, originem trahit quandoque; non tamen prius hydrops fit, quàm iecori ſit nocumentum inflictum, ipſius nempe prima, & continens cauſa, ſanguinis eſt fruſtratio, quemadmodũ libro 2. de Facultatibus naturalibus, & libro quinto de male affectis locis, capite quinto, atque alibi paſſim traditum nobis eſt. Quod nocumentum, iocinori, ab alijs membris communicatum, aperte declarauit libro 2. Prognoſticorum com. 1. inquiens. Cùm lien, per longos morbos, duriciem contraxerit, ad conſenſum ſubinde agit iecur. Atque hoc pacto intelligenda ſunt Galeni dicta, vt ex diuerſorum membrorum affectione, hydrops originem trahat, dum ad ſuorum affectuum conſenſum & iecur deduxerint.*

LXXIIII.

HYEME, corpora, plus optimi accumulare ſanguinis credidit, niſi malo omnino utantur uictu. 1. Aphoriſmorũ ſectione com. 15. ubi de naturali calore uerba faciens, inquit. Hic igitur cùm ſit, omnium operum naturalium cauſa; quia plurimus eſt hyberno tẽpore

pore

pore idcirco cibi appetentiam intendit, coctiones auget, & plus ſanguinis accumulat, & craſſius corpus efficit. Cuius oppoſitum non modo habet Hippocrates in libello de Natura humana, hyemem replere corpus pituita aſſerens; verum etiam Galenus idem uoluit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 20. inquiens. Hæc enim tempora (æſtatem intelligens, autumnum, & hyemem) etſi purum corpus, & omni uacans reprehenſione ſuſcipiant, illa, flauam bilem ultra modum generat opportunam; hic, atram; hyems uero, pituitam. Eodem modo & ſectione 1. com. 2. ſuperabundantem in corpore ſuccum, non modo ex corporis colore, uerum etiam ex anni tempore, ex regione, ætate, & ſpecie ægritudinis, cognoſcere docens, ubi de pituita agit, inquit. Eodem modo & in pituita conſiderandum eſt, ſi adſit hyems, ſi regio frigida, ſi homo ſenex &c. quaſi dicat in hyeme, in regione frigida, ætateq; ſenili, pituita ſuperabundat. Adhuc, & Com. 1. com.38.in librum eundem Hippocratis de Natura humana, aphoriſmum adducens decimumquintum primæ ſectionis, Ventres hyeme, & uere, natura calidiſsimi &c. dubitat, ac quærit, qua re pituita ſit hyeme copioſior, cùm ventres tunc temporis ſint natura calidiſsimi; quo in loco, pituitam hyberno tempore exuperare palàm oſtendit. Amplius idem

idem apertiſsime aſſeruit 1. libro de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 1. his uerbis. At quia ſingulis anni temporibus, ſinguli uigent humores, ut ab illo accepimus; hyeme pituita, ſanguis uere, æſtate bilis flaua, autumno acida, ideo fit &c. Eiuſdem ſententiæ eſt etiam Auicenna 2. 1. doct. 1. capite 6. De mutatione qualitatum aëris, & eis, quæ ex temporibus proueniunt, inquiens. In hyeme, hypoſtaſis in urina multitudo exiſtit, æſtatis comparatione, & eius etiam quantitas maior eſt, & minuitur in ea ſanguis, & augetur phlegma.

SINGVLIS *anni temporibus, ſinguli profectò vigent humores, quemadmodum ex Hippocrate recenſet Galenus libro* 1. *de Morbis vulgaribus com.* 1. *& libro octauo de Decretis Hippocratis & Platonis; atque hyeme pituita ſanè, vti Hippocrates habet libro* 1. *de Natura hominis textu* 34. *ſanguis vere; æſtate bilis flaua, autumno vero acida. Non inconuenit tamen, quemadmodum aphoriſmo* 15. *primæ ſectionis ſcripſit, hyeme quoque ſuam ſeruante naturam, robuſto in corpore, atque debito vtente regimine, ſpiritum ac ſanguinem augeri; atque magis quàm æſtate, autumnoq́; ipſo. Ventres nanque cùm hyeme, natura calidiſſimi, & ſomni longiſſimi ſint; idcirco operationes eorum, validiores emergere operæprecium eſt, quare & ſanguinis plus, & ſpiritus hyeme congeritur; quorum etiam cùm prohibeatur eo tempore reſolutio, propter externum frigus,*

gus, meatus cogens; ea ratione, interius vniuntur, augenturq́; magis: æſtiuo autem tempore, caliditate, ſanguinem, humores, ac ſpiritus attenuante, cutisq́; poroſitates dilatante, atque aperiente, plurima fit eorundem digeſtio, atque reſolutio. atque cùm intro non vniantur ſpiritus, ſed extra difflentur; naturalis & ipſe calor, in quo conſiſtunt, ad cibum aſſimilandum, atque ad ſanguinem denuo regenerandum, inualidior fit. Æſtatis tempus pariter cùm autumnus excipiat, ſanguinem iam calore exhauſtum reſolutumq́; inueniens, plurimo eo abundare, nulla ratione valet. Dicendum itaque eſt, corpora, hyeme, plurimum accumulare ſanguinem, quemadmodum aſſeruit 1. *Aphoriſmorum ſectione com.* 15. *æſtatis, atque autumni comparatione, quibus temporibus, nullo pacto ſanguis, alijs ſuccis, copioſior, fieri, aut eſſe, poteſt. Et licet hyeme in ipſa plurimus abundet; non copioſior tamen, quàm veris tempore, generatur, quoniam ſanguis vere, pituita autem hyeme procreatur, quemadmodum pluribus locis aſſeruit. Qua re aliud eſt dicere, hyeme generari ſanguinem, atque in ipſo eundem exuberare; exuberat nempe hyeme ſanguis (vti dictum eſt) quoniam ambientis aëris temperies, difflationem caloris naturalis, ſpiritusq́; prohibens accumulatius ipſum conſeruat; atque propter internum eorum robur, operationes quoque eius ualidiores ſortitur. Idcirco hyeme, ſanguinem exuberare, quemadmodum & bilim flauam, primis autumni temporibus redundare*

dundare ſcripſit libro 4. de ratione uictus in morbis acutis com. 68. non quia bilis flaua, primis autumni temporibus procreetur, ſed quoniam, ipſam iam æſtate procreatam, ac genitam, autumnus excipit cumulatiorem.

LXXV.

IOCINORIS diſpoſitionum, nullam notitiam ex tactu, haberi poſſe credidit, cùm tribus contegatur muſculis, libro 5. de locis affectis capite ſexto, in hunc modum inquiens. Hæc autem obliquis quoque muſculis, qui à thorace deſcendunt, ſunt communia; at multo difficilior eſt notitia muſculorum, qui ijs ſubiecti ſunt, difficillima uero tranſuerſorum. Conſtat autem iecur, intra hos, ſub peritoneo eſſe poſitum; quod cùm tribus cõtegatur muſculis, fieri non poteſt, ut tactus, aliquam ipſius notitiam præſtet, niſi uel magna in ipſo oriatur inflammatio; uel incumbentes ei muſculi extenuentur; ſed iecur affici declarant, in dextra præcordiorum parte, grauitas; dolor tota præcordia retrahens, atque ipſius uſque ad iugulum extenſio, exigua tuſsis, linguæ color, in primis quidem ruber, deinde uero niger; ingens faſtidium ſitis inexhauſta; uomitus tũ ſinceræ bilis, tum eius, quæ uitellis ouorum ſimilatur, quæ poſtea æruginis aliquando colorem referre conſpicitur; aluus quoque adſtringitur, niſi unà cum uiſceris huius imbecil-

becillitate, inflammationem excitari contigerit. Quod etiam in libro Artis medicinalis expreſsiſſe uiſus eſt, ita habens. Sic & cuiuſdam ueſicam contigit intueri, ita expoſitam, ac par uam, ut ſi quando urinam tardius excerneret, tumor quidam circumſcriptus manifeſte cerneretur; nō tamen aliud ex interioribus quidquam, mihi unquam manifeſtum præbuit indicium, tentare autem oportet, quàm maxime fieri poteſt, uirtutem ipſorum, ac uitium, etſi non certiſsima ſcientia, artificioſa ſaltem coniectura, comprehendere, ueluti exempli gratia in hepate. Quibus uerbis, aſſerere ipſum conſtat, iocinoris diſpoſitionum, nullam prorſus ex tactu, haberi notitiam poſſe. Quod euidentiſsime quoque demonſtrauit libro 2. de Locis affectis capite 3. docens, quo pacto, à pleureſi, hepatis inflammationem diſtingue re debeamus, atque inquiens. Igitur, ubi nihil excernitur, à quo indicium aliquod ſumi poſſit, ſatius fuerit, præcordiorum dextram partem tangere; quod ſi nullus appareat tumor, nec ſic quidem deſiſtere oportet, fieri quippe poteſt, ut in ſola ſima hepatis parte ſit inflammatio, ſimiliter etiam in gibbis partibus, ubi non omnes, ſed hæ duntaxat intumeſcant, quæ à coſtis nothis conteguntur. Hoc penitus aduerſari uidetur, ei, quod eodem libro quinto de Locis affectis capite 6. ſcriptum reliquit, oſten-

oſtendens, quo pacto iocinoris tumores, ab ipſis muſculorum tumoribus differãt, inquit, tumoris cumulum comprehenſim circumſcriptum habere; inflammationes etenim (ait) quæ in hoc uiſcere circa ipſius imbecillitatem naſcuntur, ſi quidem in gibba parte conſiſtant, præcipue ſi grandes fuerint, perfacile, uel ſolo tactu, dignoſci poſſunt, at ſimarum partiũ inflammationes, per alia potius accidentia, quàm per tactum inueſtigare oportet. Et licet, huiuſce quoque ſimæ partis difficilem ponat cognitionem, non tamen impoſsibilem credidit. Neque it inficias, aliquam quoque ipſius notitiam haberi poſſe, cùm in libro de totius morbi temporibus, ferè in calce, hepatis in cauo ſcyrrhum quãdoque tarde cognoſci poſſe ſcripſerit, cum tamen plurimo tempore antea delituerit. Quare gibbarum iocinoris partium certam ad tactum cognitionem ponit, ſimarum uero, licet non certam facilemq; ac ſubitam, non prorſus tamen impoſsibilem, poſuiſſe uiſus eſt.

DVM *iocinoris diſpoſitionum, nullam ex tactu, cognitionem, haberi poſſe aſſeuerat; de concauis ipſius partibus; atque de tumoribus præter naturam, in ipſis ſimis partibus ſubortis, intelligere opus eſt. gibba quippe pars, ſi tumore præter naturam correpta ſit, non modo facile ſolo tactui aperta eſt, ſed etiam oculis ipſis conſpicua fit, maxime ſi prægran-*

dis fuerit tumor. at ſimarum, adeo difficilis eſt ad tactum cognitio, vt etiam nullam eſſe, dicere non ue reatur. Et licet libro de Totius morbi temporibus, iocinoris in cauo ſcyrrhum tarde cognoſci poſſe affir met; quibus uerbis fateri uideatur, quod licet non protinus, illius tamen partis affectionem, cognitionem quandoque noſtram non ſubterfugere, dicendum tamen eſt, cognitionem illam non iudice tactu haberi; ſed alijs nobis indicijs innoteſcere; tenuioribus nempe urinis, alijs'ue id genus; niſi cùm, longo ſa tis tempore emaciata corpora, areſactiq́; atque attenuati muſculi fuerint. Quod etiam Galenus docuit libro 2. de Locis affectis, vbi hepatis tumores in ſimis partibus, imperceptibiles eſſe fatetur; pariter & obſcuros eſſe, ait, qui in gibbis partibus fiunt, atque eò maxime, vbi illa intumeſcunt, quæ coſtis conteguntur nothis; quoniam tunc ſi dolet, tactusq́; cognitio cedat, atque obſcura ſit, interrogare debemus, an, dum vehementer reſpirat, præcordiorum grauitatem ſentiat, ſi dolor tota præcordia retrahat, atque ſi ad iugulum vſque extendatur, plurimaq́; alia indicia, quæ à Galeno libro quinto de Locis affectis capite ſexto, poſita ſunt.

LXXVI.

IOCINORIS caua per aluum, gibba per uri nas expurgari ſcribit libro 6. de Locis affectis, capite 4. his uerbis. Igitur, cum urina expurgantur gibbæ iecoris partes, atque omnes quotquot ſunt his ſuperiores; per aluũ uero,

pars

pars iocinoris reſima, inteſtina, uentriculus, lien. Senſit pariter & idem libro 2. ad Glauconem capite 7. de cauſis inflammationis uerba faciens, his uerbis. Et quidem, quod laborantibus gibbis hepatis partibus, per urinam trahere oporteat, concauis autem per excretionem inferiorem, ſitus ipſe uiſceris indicat. Quod etiam in libello Quos, quibus, & quando, circa initia, ita in eandem ſententiam expreſsit. Nempe inflammationem habentibus in iocinore, ſimul atque maturuerit, aluum ſubducimus cùm in ſimis iocinoris partibus ea incubuerit; at ſi in gibbis extiterit, urinam ciemus. Idem quoque aſſeruit libro 13. Therapeutices Methodi capite nono, ubi aduerſus Theſſalum, Theagenis philoſophi hiſtoriã recenſet; nam ſicuti (inquit) iocinoris cauum per aluum purgatur, ceu paulo ſupra diximus, ſic gibba eius, per ea, quæ modice urinas mouent, cuius generis eſt apium. Neque diuerſa ab his uoluit libro 3. de Criſibus in libri initio, iecoris partes gibbas tribus excretionibus purgari ſcribens, atque ſic inquiens; iuuat autem & ſudor bonus, omnes, quæ ſunt iuxta præcordia inflammationes calidas, & acutas; iecoris uero, conuexæ quidem partes patientes, tribus præcipue modis criſis obediunt, fluxibus ſanguinis è nare dextra, ſudoribus bonis, & urinis abundantibus: cauæ autem par-

tes, excrementis biliosis,atque ſudoribus,non nunquam uero & uomitibus; magis autem ex petunt per urinas expurgari, quàm conuexæ iocinoris partes. Libro tamen 2. ad Glauconem capite 13. contrarium ſenſiſſe uiſus eſt; eam,quæ à poſitu ſumitur indicationem, prætermittendam non eſſe ſcribens,quod,per quæ euacuare conueniat,atque quomodo, ipſa præcipue demonſtret. Quod etiam aſſeruit libro ſeptimo Methodi medendi ad libri calcem,docens, quo pacto indicatio à figura partis euacuandi modum oſtendat, ac inquiens. Renes uero, & ueſica, ac iocinoris gibba, ſi multo uitioſo ſucco ſunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria (κατωτερικὰ græci uocāt) expurgantur; ſin mediocri, per urinales meatus. Quibus uerbis elici facile poteſt, ſimam iocinoris partē,nō abſolute ſemper per urinas expurgandam eſſe, quin per alui deiectionem potius, atque eò magis, cùm plurimo uitioſo ſucco repleta eſt;quod ſi per urinas aliquando, non ſemper tamen id nos factitandum eſſe ſuadet, quemadmodum ſuperioribus locis conſulere uiſus eſt,ſed cùm prauorum ſuccorum plenitudo adeſt.

OPTIME *ipſemet Galenus libro ſeptimo Therapeutices methodi ad calcem, & libro 2. ad Glauconem capite 13. huic Contradictioni ſatisfecit, docens, in euacuationibus, eam, quæ à poſitu ſumitur*

tur indicationem, prætermittendam non eſſe, quod, per quæ euacuare oporteat, atque quomodo, ipſa demonſtret; optime inquam reſpondidit, dum ſcripſit, Si iocinoris gibba, multo vitioſo ſucco referta ſint, nihil vetat, quod & ipſa, per aluum expurgentur, ſicuti caua pars; at ſi mediocri, per vrinales meatus; quoniam, quæcunque in iocinore continentur, vel venis, vel arterijs, vel renibus, aut per vrinam, aut per ventrem educi poſſunt, & per vrinam quidem, ab his, quæ vehementer attenuant; per ventrem vero, ab ijs, quæ attrahendi, aut ora aperiendi vim habent, quod in libro Artis medicinalis, vbi de Ob ſtructione uerba fecit, ampliſſime declarauit; idcirco per ſeceſſum quãdoque, quandoque & per vrinas, hepatis gibba euacuari poſſunt; cùm nanque multo uitioſo ſucco referta ſunt, per deiectiones euacuari debent, quoniam eorum, quæ vehementer attenuant, tutus omnino non eſt vſus; ſucci quippè ipſi plurimi, anguſtioribus venis impingerentur magis; cùm vero, mediocri ſunt oppleta copia, abſurdum non erit; ſi & per ea, quæ attrahendi vim habent, & venarum ora aperiendi, per vrinales meatus expurgentur; atque idcirco, dum libro ſexto de Locis affectis aſſerere videtur, gibba, per vrinas tantum, expurgari debere; intelligit, ſi mediocri ſucco referta ſint. Dilucidius quoque rem hanc nobis expreſſit eodẽ libro Artis medicinalis, ſequenti capite, de aſperitate, & leuitate verba faciens, in hac uerba ſcribens. Supponatur itaque (ſi ita contigerit) in iocinore eſſe

proxime dictum affectum, in anguſtis vaſorum finibus, impactis humoribus, qui vel lenti, ac tenaces, vel craſſi exiſtant; vel ſuperabundent; nonne in promptu eſt, primum quidem craſſitiem, vnà cum lentore, ac tenacitate, cibis ac potibus extenuantibus, ad ſubtiliorum partium ſubſtantiam transferri oportere? Secundo autem loco, non per anguſtos, atque inuiſibiles, ſed latiores meatus, quidquid infiſtum exiſtit, euacuandum eſſe? Sunt nanque in iocinore, venæ non minus amplitudine, quàm numero excedentes, terminantur hæ quidem in gibbis, ad venam cauam; hæ vero in cauis, ad portam. Unde haud difficile tibi futurum, vbicunque preſſi, ac ſtipati humores fuerint eoſdem expedite euacuare, trahendo quidem ad ventrem, cum his, quæ attrahendi vim habent, medicaminibus, quicunque ex ipſis ad caua hepatis acceruati; ad urinæ vero meatus promouendo per cauam venam, quæcunque in uenis ad eã pertinentibus ſunt. Quare haud difficile uidetur Galeno, per vtraſque has regiones, iocinoris caua, euacuari commode poſſe. ratione habita, maioris, minoris'ue copiæ, uel etiam ratione diuerſarum uenarum ibi exiſtentium, quarum aliæ ad cauam, aliæ uero ad portam terminantur. Quod etiam 1. Aphoriſmorum ſectione com. 21. his uerbis ab ipſo repetitum eſt. Vbi iecur humores infiſtãt, quos euacuare oporteat, duæ ſunt accommodæ motiones; prima per uentrem: & huius, illa quidem, quæ per aluum inferiorem, altera, quæ per uomitum fit, melior exiſtit.

ſtit. ſecunda per renes, atque ueſicam. Iocinoris itaque uariæ affectæ partes, alium, atque alium uacuationis modum indicant; ſi enim gibbæ ipſius partes affectæ ſint, tum per aluum, atque per urinas noxia uacuare expedit; per aluum quidem, ſi plurima ſit ſuccorum copia; per urinas uero, ſi mediocris. Si uero ſimæ tantum partes affligantur, per aluum, nocua educere oportet.

LXXVII.

IOCINORIS in phlegmone adſtringentia non competere ſcribit libro 13. Methodi medendi, capite octauo, hæc uerba habens. Nam & punicum malum, & cætera, quæ adſtringũt, dum bilis meatus os arctant, bilem ipſam excerni prohibent, atque inde iocinoris phlegmonis ſunt incommoda, præſertim ijs, quæ in cauo uiſceris conſiſtunt; quibus ad anguſtias, quas facit ipſa phlegmone, etiam ea, quæ ex adſtringentibus, & lentis fit cibis, accedit. Cuius tamen oppoſitum inferius habuit capite 16. aperte nobis innuens, iocinoris in inflammationibus, etiam cùm nihil influit, reprimentibus utendum eſſe, atque ſic ſcribẽs. Quippè ubi id phlegmone laborat, quæ extrinſecus applicantur, ea, mixtæ facultatis eſſe debent; idque non in generatione phlegmones modo (eſt enim id omnium phlegmonarum cõmune) quando ſi quis, repellentibus tantum, illo utatur tempore, non peccet; ſed etiã cùm

nec affluat amplius quidquam, nec repelli, quod in laborante particula cõtinetur, poſsit.

IOCINORIS *in phlegmone, dum adſtringentia minime competere, ſcriptum ab ipſo legimus* 13. *Methodi medendi, capite* 8. *intelligamus adſtringentia ſola, non conuenire, ne compingantur materiæ, maioresq́ inflammationes pariant, cæteris tamen admixta, congrua omnino eſſe fateamur. Quin magis è contrario; in ipſius iocinoris inflammationibus, relaxantibus ſolis nunquam uti debemus, quemadmodum nos docuit in libro Artis medicinalis, ubi de aſperitate, & leuitate verba fecit, ita inquiens. Sed præter ſupradictas; alia eſt indicatio ab hepate ipſo, veluti à venarum principio, nam cùm non tantum ſeipſum, regere natura aptum ſit, vt pleraq́ animalis partes; ſed venis præterea virtutem largiatur, periculum imminet, ne ſi eius vigor madefacientibus, ac relaxantibus cataplaſmatibus fuerit reſolutus, & ipſum, primum ad ſui opus, atque omnes ſubinde venæ, eius ratione, imbecillæ efficiantur; quare in eius curationibus, aliqua ex adſtringentibus medicaminibus, miſcere oportet. Idem pariter, apertiſſime affirmauit circa initia octaui libri de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, inquiens. Oris ventris affectiones, itemq́ iocinoris, adſtringentium complexu, opus habere. Quod etiam alibi frequentiſſime ab eo repetitum eſt. Dicere etiam poſſumus, iocinoris in phlegmone, adſtringentia interius non competere, ne ad anguſtias,*

quas

quas facit ipſa phlegmone, etiam ea, quæ ex adſtringentibus, & lentis ſit rebus, accedat, quemadmodum voluit libro 13. Methodi, capite octauo; exterius vero ſi admoueantur, non modo, nihil nobis eſſe incommodi, quin magis ad modum prodeſſe poſſe oſtendit capite 16. eiuſdem libri, atque in libro Artis medicinalis, necnon & libro de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

LXXVIII.

IOCINORIS ſcyrrhum, protinus hydropẽ ſequi ſolitum eſſe ſcribit libro 5. de Locis affectis, capite 6. & libro 2. de Febribus ad Glauconem, capite de ſplenis ſcyrrho. Quod etiã confirmaſſe illum conſtat, libro 4. de Præſagatione ex pulſibus, docens, meningibus affectis, qui pulſus fiant, atque ita ſcribens. Iam uero admodum duri fiunt pulſus ex ſcyrrho iocinoris, uel lienis; ſed ijs, quibus ad eum modum ſunt duri, nullum conuulſionis periculum eſt; ac cùm inſigni lien ſcyrrho affectus eſſet, frequenter conſpeximus non conſequutam aquam intercutem; iocinori uero ſuccedit neceſſariò. Cuius tamen oppoſitum ſentire uidetur in initio libelli de Attenuanti uictu, hepatis ſcyrrhum, attenuanti uictu, colliquari inquiens; quod ſi attenuari, pariter & curari poteſt; non ſemper itaque iocinoris ſcyrrho hydropem conſequi neceſſe eſt. Amplius & libro 2. ad Glauconem capite de ſple-

nis ſcyrrhis, ipſius iocinoris ſcyrrhum in principio ſe ſanaſſe ſcripſit, cùm uero ad plures dies foret extenſus, neque ipſe ſanare potuit, neque alium ſanantem uidit. Paulus quoque Aegineta libro 3. capite 46. in ſcyrrho iocinoris antiquato ſanguinem miſit; cùm itaque curationem ipſius aggreſsi ſint doctores; curari ipſum poſſe non diffidendum.

SCYRRHVS *duplex eſt, unus incipiens tantum, nec confirmatus, quo preſſo, doloris ſenſus ineſt; alter vero confirmatus, ac exquiſitus, qui omnis doloris, omniſq; ſenſus expers eſt, iocinoriſq; ſcyrrhum, dum ſanari, atque colliquari poſſe aſſeruit, de ipſo dum in generatione adhuc eſt, non autem de iam perfecto, abſolutoq; dictum accipiamus oportet, incurabilis nanque eſt, ipſumq; completum, ac antiquatum, hydrops neceſſario conſequitur; & licet ipſius remedia doceant Galenus, & Paulus, non propterea tamen ipſius ſanitatem pollicentur, atque Paulus, dum iocinoris ſcyrrhoſas obſtructiones curat, ſcyrrhoſos eos tumores ſupponit, qui ex multa copia geniti ſint, & fortaſſe ex retenta aliqua ſanguinis euacuatione, atque idcirco ſanguinis detractione, eorum curationem molitus eſt.*

LXXIX.

IECVR lupi, ad iecorarias diſpoſitiones, nō per qualitates, & temperamenta, ſed à totius ſubſtantiæ proprietate, atque à tota ſpecie operationem ſuam nanciſci opinatus eſt libro

octauo

octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi de confectionibus hepaticis ſecundum Aſclepiadem loquutus eſt, cuius (inquit) abunde experientiam fecit. Idem quoque ſuperius ſenſit libro ſexto. de cruſtis in ore agens, ſecundum Archigenem ibi nanque, dum auxilia plurima ad hunc morbum deſcripſit, huiuſcemodi ſubiunxit. Aut hepatis lupi aridi, cochlearia duo, trita, bibenda præbe; ſubdensq; ait, Horum pharmacorum maximam partem laudo; quod uero ex rhoe conſtat, damno, cùm adſtringentis ſit facultatis, quæ nequaquam cruſtis conueniat. Verum de lupino hepate non habeo, quod dicam; ad hepaticas enim affectiones ſcio hoc pharmacũ, tum per ſe, tum pharmaco ex eupatorio mixtum, bibi: an uero, etiam ad cruſtas in ore, potum conueniat, iuxta aliquam totius ſubſtantiæ proprietatem, per ſolam experientiam iudicare oportet; de qua non eſt quod dicam, ut qui hoc non ſim uſus in huiuſcemodi affectionibus. Oppoſitum attamen fatetur lib. XI. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, de lupino iecore ex profeſſo agens, huiuſcemodiq; lupinum iecur in medicamentum hepaticum, quod ex eupatorio conficitur, ſæpe ſe indidiſſe aſſerens; nec tamen (quod mentione dignum ſit) præſtitiſſe comperit ad illud uidelicet comparans, quod ſine ipſo componitur.

NEMINI *dubium eſt, medicamenta quædam, à tota ſubſtantia operari; quædam vero per manifeſtas qualitates; quædam etiam vtraſque ſortita eſſe vires. Apertum quoque nobis eſſe debet, Galenũ; diuerſam de Medicamentis tractationem aggreſſum fuiſſe, pro diuerſisq́ medicamentorum facultatibus, atque operationibus, diuerſimode de ipſis, diuerſis tractatibus diſſeruiſſe, quemadmodum de ipſo lupino iecore euidentiſſime conſtat, de quo, licet diuerſa, diuerſis tractatibus proſequutus ſit, inter ſe tamen non diſcrepant, cùm gemina proculdubio ea ui polleat; atque pro diuerſa ipſius facultate, diuerſis tractatibus, diuerſimode de ipſo verba fecerit. In libris nempe de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cùm de his loquatur medicamentis, quæ non per qualitates, & temperamenta, ſed à proprietate, ac tota ſpecie operantur; ipſum lupinum iecur à tota ſubſtantia, atque ab occulta qualitate huiuſcemodi vim, atque operationem, nanciſci opinatus eſt. Cùm vero ſecus ſenſiſſe viſus eſt in libro de Simplicium medicamentorum facultatibus; dicendum eſt, ibi, de medicamentorum facultatibus, atque de eorundem operationibus, quæ à qualitatibus fiunt manifeſtis, ſermonem habuiſſe, atque propterea hepaticis medicamentis inditum lupi iecur, nullum præſtitiſſe commodum ſe percepiſſe fatetur; quoniam in eo nulla manifeſta qualitas ſit, quæ iecori conferre valeat.*

Inedia

LXXX.

INEDIA, plenitudinem euacuari affirmauit in libro de ſectione uenæ aduerſus Eraſiſtratum, ita inquiens. Poſtquam igitur euacuationem eſſe, confeſſum iam ſemel eſt ego, eã, omnium facillimam, ac expeditisſimam, uenæ ſectione fieri arbitror, utpote per quam, ipſas etiam inflammationes ſolas celerrime, euacuare posſimus; cùm è diuerſo inediæ, præterquam quod longum requirunt tempus, etiam uniuerſum habitum æqualiter euacuant. Atque paulo inferius adhuc ſic inquit. Nã, quod uel inedia ad plenitudinis euacuationem conferat, ego quoque conſentio, uerum longo tempore, magnoq; cum nocumento illud effi cere dico. Inter auxilia quoque corporis materiã dementia, abſtinentiam poſuit Celſus libro 2. capite octauo, inquiens, Demitur mate ria, ſanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, uomitu, frictione, geſtatione, omnique exercitatione corporis, abſtinentia, ſudore. Contrarium cuius habuit Galenus eodemmet libello de Sectione uenæ, ubi nanque de euacuatione per ſanguinis misſionẽ, atque per balnea uerba fecit, ubi de tertio euacuatiuorũ præſidiorũ genere agit, de diæta uidelicet; ipsã, neque nutrire, neque euacuare, ſed euacuationis, atque nutritionis mediã eſſe fatetur. Amplius etiã paulo inferius inedias ipſas e

uacu are

uacuare minime poſſe ait, niſi hominem exercitari, aut quouis modo calefieri contigerit; quæ euacuatio (inquit) non ex inedia, ſed ex cutis raritate potius aduenit. Quibus locis iam ſatis conſtat, inediam, euacuare nequaquam poſſe.

Inedia, *in eorum profectò continetur genere, quæ per ſumma, corpus exhauriunt, uacuantq́; atque tenuem ſubſtantiam perſpiratu digerunt; immoderata itaque ſi ſit, quoniam pabulo, atque etiã ſuperuacuo humore abſumpto, ipſam quoque partium ſubſtantiam diſſipat, quæ caloris eſt ſedes, corpus tandem refrigerat, uiresq́; comminuit, ac plenitudinem tollit. Poſſumus etiam hoc pacto dicere, inediam plenitudinem euacuare, priuatiue, ſublato nempe cibo, non modo quidquam in corpus, quod nutrimenti uicem gerat, addi non poteſt, quin etiam, quod prius aſſumptum fuerat, conſumi par eſt, atque hoc pacto plenitudo, inedia tollitur. Non modo autem priuatiue, ſublato ſcilicet nutrimento, verũ etiã per uiam reſolutionis, inediam, omnino euacuare poſſe dicamus, licet id non per ſe, ſed per accidens fieri apertum ſit, vt quando aut hominem exercitari, aut alio quouis modo calefieri contigerit, atque ſic per accidens, & ex cutis raritate illud efficiet. atque idcirco Galenus quoque 7. Aphoriſmorum ſectione com. quinquageſimonono, inediam, corpora exſiccare aſſeruit, tum per uiam reſolutionis, conuertens humores in uapores; tum per uiam ſubtra-*

ctionis

ctionis. Quando uero aliàs, inediam, euacuare mi nime poſſe aſſeruit, intelligamus oportet, ipſam non eo modo euacuare, quo, uel pharmacum, uel ipſa ſanguinis detractio, quippè confeſtim hac; illa, per longa temporum interualla euacuare poteſt.

LXXXI.

INSANIAM, mediocre delirium ab Hippocrate dictum eſſe aſſeruit 7. Aphoriſmorum ſectione com. 9. ſic inquiens, Ipſe ſiquidē ſolet, mediocrem inſaniam, delirium nominare. Cuius contrarium ſcripſit libro 1. Prognoſticorum com. 28. inſaniam, uehemens eſſe delirium affirmans, ex ipſo etiam Hippocrate, eodemmet textu, ubi de oculorum crebra motione uerba facit in hæc uerba. Si enim inſtabiles apparent indicatur delirium; uerū, non ſimpliciter hoc loco, ait, fore delirium, ſed inſaniam, uehemens quoddam delirium ex prædictis indiciis adfuturum indicans. Quare inſaniam ipſam, non mediocre, quin magis, uehemens eſſe delirium, aſſeruit. Neque hoc à ratione alienum eſſe uidetur, ex flaua nāque bile, in cerebro exuberante, deliria oriuntur, quæ ſi aduſta ſit, ut iam in atram degeneret, inſaniæ fiunt.

INSANIAM, *dum mediocre delirium eſſe, iuxta Hippocratis ſententiam, ſeptima Aphoriſmorum ſectione com. nono aſſeruit Galenus, de ea deſipientiæ ſpecie, qua cum riſu eſt; ipſum intellexiſſe dicamus,*

mus, de qua & ſectione ſexta, aphoriſmo 53. in hac verba ſcripſit. Deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores; quæ vero cum ſtudio, periculoſiores; atque hæc à græcis παραφροσύνη dicta eſt, nihilq́ aliud indicat, niſi errantem, deprauatumq́ imaginationis motum; quæ mediocre etiam poteſt eſſe delirium, & deſipientia mentisq́ impotentia appellanda potius eſt, quàm inſania. Dum uero, inſaniam, uehemens delirium eſſe, ex eodem Hippocrate uoluit libro 1. Prognoſticorum; de ea deſipientiæ ſpecie, quæ cum ſtudio fit, ipſum intellexiſſe dicendum eſt, ab acribus aduſtisq́ genita ſuccis; atque à calidiori cerebri temperatura, quemadmodum libro 2. de Symptomatum cauſis notauit Galenus, quæ & furens eſt, & μάνια proprie dicitur. Quocirca & in exemplari græco, ita ſe habent illa Galeni uerba ἐνταῦθα οὐχ ἁπλῶς ἔφη παραφρονῆσαι τὸν ἄνθρωπον. ἀλλὰ μανήσεσθαι, σφοδρὰν τίνα παραφροσύνην ἐπὶ τῶν εἰρημένων γενήσεσθαι δηλῶν. quo in loco μανήσεσθαι uerbo uſus eſt, quod non inſania, ſed mania corripi, rectius interpretari debuit. Amplius cùm inſania, geminum habeat ſui ortum, uel enim à bile fit, uel à pituita; dicere poſſumus, eam, quæ à pituita ortum traxerit, mediocre delirium eſſe; uehemens autem, quæ à bile, quod Hippocrates libro 1. de Morbis ad calcem innuere uiſus eſt, dum ſcripſit, delirium, & inſaniam, tanto minores fieri, quanto bilis parcior, atque debilior pituita eſt. Quod etiam in Epiſtolis ſuis, vbi de inſania egit, necnon & libro 1. de Morbo ſa-

cro affirmauit his verbis. Inſania ſi à pituita fiat, laborantes quieti ſunt, & non vociferant, neque tumultuantur; ſi vero à bile, vociferatores ſunt, & malefici, & non quieti, ſemper aliquid intempeſtiuum facientes.

LXXXII.

INTESTINA carnoſa eſſe uoluit 4. Aphoriſmorum ſectione com. 26. ubi Hippocrates habet. A difficultate inteſtinorum habito, ſi ueluti carunculæ exeant, lætale; in cuius cōmenti calce ita Galenus inquit. Quando igitur partes adeo magnæ inteſtinorum excernũtur, in difficultate inteſtinorum, ut poſsimus eas, carnes nominare, lætalē ait eſſe morbum, cùm neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci, in tali exulceratione poſsit. Idem habuit & 6. aphoriſmorum ſectione com. 18. dũ ſcripſit, inteſtina tenuia, & uentriculus, in ſumma parte uulnerata, ſæpius agglutinantur, quin non parum participant carnoſæ ſubſtantiæ. Eodem modo & lib. 14. de Vſu partium; naturam, ueſicarum corpora, dura, & uix patibilia comparaſſe ait, ut quæ tantum excrementa receptura eſſent; inteſtinis uero, ac uētriculo, ut quæ coctionis potius eſſent inſtrumenta, quàm ſuperfluorum receptacula, carnoſa ſubſtantia erat accommodatior. Contrarium tamen huius habere uidetur libro ſexto Methodi medendi, ubi (licet de ieiuno præ

cipue

cipue loqui uideatur) inteſtina cuncta, neruoſa eſſe aſſeruit, his uerbis. At craſſa quidem inteſtina, facilia ſanatu ſunt, difficilia cõtra quæ tenuia ſunt; ieiunum autem, omnino incurabile eſt, tum propter uaſorum magnitudinem multitudinemq́; tum quod tunica eius prætenuis, neruoſaq́; eſt; quibus uerbis apertiſsime tenet, inteſtina craſſa, non quia carnoſa ſint, curatu facilia eſſe, ſed quoniam, licet non tanta, quanta ieiunum, cæteraq́; tenuia poſsident; plurima tamen & ipſa, magnaq́; uaſa ſortita ſunt, quæ difficilem ipſorum curationem pollicentur.

INTESTINA, *quemadmodum teſtatur Galenus lib. 4. de Uſu partium, duobus conſtant tunicis, externa carnoſiore, atque interna membranoſiore. Duplices autem à natura facta ſunt, tum ut excretoria ipſorum facultas ualidior eſſet; tum ut hac ipſa inſtrumenta minus afficiantur. Neruoſa tamen quandoque, quandoque uero carnoſa uniuerſa à Galeno dicta eſſe uidentur; quoniam diuerſis comparata, & carnoſa, atque eadem neruoſa dici poſſunt, quemadmodum & ieiunum ipſum, quod ſi alijs comparetur inteſtinis, neruoſum dicitur, ſi oſſibus, atque membranis, carnoſum omnino erit. Quocirca de inteſtinis, illud nobis dicere ſupereſt, quod de utero ſcripſit ipſe libro 6. de Morbis vulgaribus Com. 1. com. 1. ubi ipſum non proprie neruoſum eſſe dixit; ſed quia exangui conſtat materia, facileq́; diſtenditur,*

ſtenditur, atque contrahitur, quod à nullo carnoſo pingui'ue præſtatur membro, ea de re neruoſum di-ctum eſſe aſſeruit. Haudſecus quoque, inteſtina ipſa, licet aliorum membrorum reſpectu, carnoſa appellari ualeant, exanguia tamen cùm ſint, facileq́; diſtendantur, neruoſa nō abſque ratione, dici quandoque poterunt.

LXXXIII.

INTESTINA uim contentricem non habere opinatus eſt, ſed expultricem tantum, libro 4. de vſu partium, non longe à principio. Quod etiam in eiuſdem libri calce, hiſce uerbis repetitum ab ipſo eſt. Quemadmodum igitur uentriculo, uillos utroſq; ſortito, duabus fuit opus tunicis, contrario inter ſe modo habentibus, ita & inteſtinum quoque, unam ſpeciem motus cùm habeat propultricem, unam pariter tunicæ ſpeciem, in tranſuerſos, atque rotundos uillos, diſſoluendam obtinuit. Idē ſcripſit & 2. Aphoriſmorum ſectione com. 20. ubi de cauſis lubricitatis uentris uerba fecit. Verum, retentricem quoque, & non expultricem tantum, poſuiſſe uiſus eſt 3. Aphoriſmorum ſectione com. 22. in hæc uerba ſcribens. Leuitates uero inteſtinorum, ſunt ueloces, & ſine aliqua tranſmutatione, ciborum excretiones; aut propter exulcerationem, in ſuperficie uentriculi, aut inteſtinorum, quæ eodem modo fit, quo illa, quæ in pueris græco uocabu-

lo ἄφθαι, ideſt oris ulcera nominantur; uel propter potentiæ retentricis imbecillitatem; quibus uerbis, retentricem inteſtinorum uim apertiſsime fatetur; quod etiam ſenſit com. 30. his uerbis. Leuitates uero inteſtinorum oſtenſæ ſunt; hæ quidem à frigida pituita fieri; hæc uero à ſola temperatura, quæ uim alui cōtentricem imbecillem reddit, hæ autem ab ulceroſa diſpoſitione. Quarta quoque ſectione, aphoriſmo 12. in commenti initio in eandem ſententiam ita ſcriptum reliquit. Morbum, in quo, celeriter, ea quæ comeduntur, talia deijciuntur, qualia deuorata fuerint, leuitatem inteſtinorum nominant; fitq́; ex potentiæ retentricis imbecillitate. Amplius & ſectione ſexta, com. 1. de cauſis leuitatis inteſtinorum uerba faciens, ita habet. Quæ autem potentiæ retentiuæ ſequitur imbecillitatem, omnino quidem ex intemperatura fit. Retentricem itaque facultatem omnibus hiſce locis, manifeſtiſsime in inteſtinis eſſe ſtatuit. Adhuc etiam & libro de Criſibus 1. ubi de diabete uerba habet, idē aſſeruit in hæc uerba. Paſsio hæc talis eſt, qualis circa aluum leuitas inteſtinorum, extinctio, ut diceret quiſpiam utriuſque uirtutis & retentricis, & alteratricis. Amplius & libro de Morbis uulgaribus 3. Com. 3. com. 53. ſuper uerbis Hippocratis, quæ ita habent. Quæ ad uentrem attinebant,

nebant, multis, multa incommoda euenerūt; primum teneſmi, multis cum dolore, plurimis uero pueris, omnibusq; impuberibus, quorum plurimi peribant, multi lienterici erant, in eo commento, ita Galenus ſcriptum reliquit. Nam debilitata facultate retentrice fieri lienterias didiciſti. Cuius ſententiæ eſt etiam Auicenna 13. 3. tract. 5. capite 5. & 26. tertii capite primo.

INTESTINA, *vim contentricem non habere meritò dici poſſunt, quoniam, quod in ventriculo redundat alimentum, in inteſtina ſponte protruditur; in ipſisq́; exceptum, confeſtim præterlaberetur, atque expelleretur, ab expultrice facultate, quæ inteſtinis ineſt longe valentiſſima; verum cùm multiplices ſint inteſtinorum anfractus, flexusq́; plurimi, haud ita facile alimentum in ipſa deductum præterfluit, ſed diuturnam contrahit moram; atque hoc pacto inteſtina, contentricem habere vim fateri debemus. Vel etiam dicendum eſt ex Galeno in libro de Motibus manifeſtis, & obſcuris, circa libri medium, vbi de motu vomitus & tranſglutionis egit, vim ipſam expultricem in inteſtinis, veſica, & vtero, manifeſtam inueniri; quæ licet in alijs quoque quibuſue mēbris reperiatur; occulta tamen eſt adeo, vt probatione quandoque indigeat. Quocirca ex his ſubinferri poteſt, quod licet, & retentrix in ipſis reperiatur eſſe facultas, non tamen manifeſta adeo, patensq́;, qualis cæteris ineſt membris; vel etiam quemadmo-*

dum expultrix ipſorum vis apertiſſima, atque valiđiſſima exiſtit.

LXXXIIII.

INTESTINA non unico tantum, ſed multiplici uillorum genere cōſtare arbitratus eſt libro 4. de Vſu partium, ſic inquiens. Quemadmodum igitur uentriculo, uillos utroſque ſortito, duabus fuit opus tunicis, contrario inter ſe modo habentibus, ita & inteſtinū quodque unam ſpeciem motus cùm habeat propultricem unam pariter tunicæ ſpeciem in tranſuerſos & rotundos uillos diſſoluendam obtinuit. Idem uidetur etiam ſentire libro 3. de Facultatibus naturalibus capite nono. Eodem modo & Auicenna 16. 3. tract. 1. capite 1. de anatomia agens, non tranſuerſos modo, atque rotundos uillos in inteſtinis poſuit, uerum etiam oblongos, ſic inquiens. Verum in inteſtino recto iam apparent uilli multum longi, quoniam eſt ex inteſtinis maioris operationis, indigens ad attrahendum illud, quod eſt ſupra ipſum, ut adiuuetur eis ſuper bonitatem expreſsionis, & expulſionis, & egreſsionis. Oppoſitum cuius ſcripſiſſe uidetur Galenus libro 5. de Vſu partium, unicum tantum uillorum genus, ipſa habere affirmans, hiſce uerbis. At inteſtina, ut quibus neque attrahere, neque retinere erat neceſſe, ſed contractis undique

dique prorſum pellere, cùm ſimplici egerent motu, ſimplices quoque uillos habuerunt. Pariter & libro 3. de Facultatibus naturalibus, hoc idem aſſeruit, dicens, à muſculis ad naturalia membra te conferas licet, omnino uidebis ea, per fibras moueri, itaque ſingulis etiã inteſtinis, circulares in utraque tunica fibræ ſunt, contrahuntur enim duntaxat, nec quidquam trahunt. Rurſus & eodem libro, in eandem ſententiam hæc uerba expreſsit. Sola inſtrumentorum omnium, ex duabus tunicis, atque harum utraque ex tranſuerſis conſtante fibris, facta ſunt inteſtina.

QVAMVIS *libro 4. de Vſu partium, dicere videatur Galenus, inteſtinorum tunicam, tranſuerſis, atque rotundis conſtructam eſſe fibris; atque idcirco ex earum diuerſitate inferre liceat: ipſa, diuerſa nobis præſtare officia poſſe; aliud nempe, rectæ fibræ habent obire munus, aliud obliquæ, atque rotundæ aliud. Alibi vero, vnicum tantum fibrarum genus (tranſuerſarum ſcilicet) ipſis ineſſe aſſerat, atque ſingulare ipſarum officium admittat, quo videlicet ocyus, quod in ipſis defluit, propellant; non propterea tamen, ipſum diuerſa ſcripſiſſe dicemus; ſi vnicum tantum inteſtinorum opus, duobus diuerſis fibrarum generibus, perfici poſſe cognouerimus, cùm aliquando fibrarum genus alterum, per ſe nihil efficiat, ſed alterius tantum coadiuuet opus. Singularis profectò, vel manifeſtus ſaltem, atque validus*

(quemadmodum & ſuperiorem Contradictionem declarantes, oſtendimus) expulſionis motus, inteſtinis ineſt; cui, circulares fibræ, actionem hanc molientes, ſatis eſſe potuiſſent, verum, quia validiſſimo expulſionis motu indigent, idcirco & tranſuerſa, rotundis adiectæ fuere, quæ conſtringentes & ipſæ, validiori aliquando expellerent ui; cui inteſtinorum expultrici, quæ valida eſſe debet, non modo variæ ipſorum fibræ auxilio eſſe debent, verum etiam, ipſi abdominis muſculi non modicum præſtare commodi videntur. Quocirca licet geminæ, ab ipſo, quibuſdam locis, attribuantur inteſtinis fibrarum ſpecies, cum tamen vnum eundemq; ſortiantur expulſionis ſcopum, vnico fungantur quandoque officio; vel geminas, vel ſingulares eſſe dicat in ipſis fibras, nihil referre debet, quoniam non ad actiones diuerſas, à natura conſtructæ ſunt, ſed alia fortaſſe ratione, quemadmodum inferius patebit. Adhuc etiam, hoc pacto reſpondere quis poſſet, dicens, geminis fibris licet componantur inteſtinorum tunicæ, quibus non vnicum adamuſſim complere nata ſint officium; tanta nihilominus fuit ſagacis, prouidæq; naturæ benignitas, vt licet eadem tunica, diuerſis contexta fibris, differentes inter ſe actiones efficere deberet; uſu quandoque venit, vt alterum fibrarum genus ab opere ſuo quieſcat, ne alterum impediat, atque unum aliquando ita alterum foueat, vt quod magis neceſſarium in opere ſit, uincat, ac ſuperet, quemadmodum in deglutitione liquidò conſtat; quæ uim ab œſophago

phago

phago fiat, ex diuerſis conſtituto fibris, longis uidelicet, ac in directum porrectis in interna eius tunica; tranſuerſis vero in externa; quando his contractio, illis vero attractio fieri debeat; earum tamen genus alterum, alterius opus quandoque fouet, quandoque vero, licet non admodum opituletur, non ita tamen aduerſum eſt, vt ſuum œſophagus munus non perficiat. Quippè dum inodora, inſuauia, ingrataq́; deuorantur; licet rotundæ fibræ abhorrentes iſta, reſpuenteſq́;, longarum ſubterfugiant opus, attractionem facilem non admittentes, quin potius quoquo pacto contrahentes ſeſe, ac parum quid impedientes, ne ita facile deglutiri queant; non prorſus tamen deglutitionem auferunt; atque ita è contrario; una alteri commodo eſt, dum blanda, odorata, dulcia, atque ſtomacho grata aſſumuntur, ambæ nanque amplexantur, concordeſq́; admittunt, vt facile, atque ocyſſime, quæ deuorantur, in ipſum uentriculum prolabantur. Quod, deglutitionis, ac uomitus exemplo aperte declarauit, libro 3. de Facultatibus naturalibus; deglutire facilius eſſe inquiens, quàm uomere, quod ſcilicet deglutiatur, ambabus uentris tunicis operantibus, interna quidem trahente, unàq́; trudente; uomatur uero, altera tantum, quæ foris eſt agente. Atque hoc idem in inteſtinis ipſis, fieri credendum eſt, diuerſæ nanque, & plures, licet ſint in ipſis fibræ, una tamen quandoque ita alteri opitulatur, vt non modo neceſſarium eius opus non renuat, impediatq́;, quin potius faueat libenter. Amplius,

 licet,

licet, ſingulorum inteſtinorum vtraque tunica, & tranſuerſas, & rotundas ſortita ſit fibras; recti tamen inteſtini, ac coli externa tunica, rectas quoque obtinuit, vt hæ, uelut uinculum circularium fibrarum, efficerentur; ne forte, dum illæ, dura excrementa crebrius protrudunt, inuicem abſcedant, diuellanturq́; atque hac potiſſimum occaſione, recto inteſtino, vt quod ſicciora excrementa amplectatur, eius generis tribuuntur quàm plurimæ; atque non ſolum forſitan, vt tranſuerſas colligent, firmentq́; ſed etiam vt recrementa, alioquin non ualde ſequacia, rectæ illæ fibræ attrahant; atque ambæ ſimul deiectionem coadiuuent.

LXXXV.

IRACVNDOS temperamento frigidiori eſſe aſſeruit ex Hippocrate libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 2. com. 19. in hæc uerba ſcribens. Reliquum eſt de iracundis ut agamus, quos maxime contrarios ait eſſe iratis; magnanimi enim irati ſunt, & humilium rerum contemptores; cõtra, iracundi puſillanimes, quod generoſo, uiriliq; animo non ſint. Qua re iracundi, temperamento frigidiore erunt, uaporesq; digerent difficulter. Hoc uidetur omnino repugnare his, quæ alibi de iracundia ſenſit, quam, à cordis, atque aliorum uiſcerum calore, fieri contendit, ueluti libro 2. de Temperamentis in hæc uerba ſcribens. Gallis enim Germanis, & omni Thracio, & Scythico generi,

neri, frigida, humidaq; eſt cutis; omnis autem naturalis, his, calor, in uiſcera confugit, unà cum ſanguine, ubi dum agitatur, & premitur, feruetq;, iracundi, audaces, & præcipitis conſilij redduntur. Atque idem uoluit in libro Artis medicinalis, ubi de ſignis calidi cordis egit, ſic inquiens. Calidioris igitur cordis, ut admodum qui ei proprius eſt, atque conueniens, indicia quædam ſunt inſeparabilia & propria, magnitudo reſpirationis, & pulſus uelocitas, ac frequentia, & audacia, & actiones natura prompta; quod ſi multum in caliditate exceſſerit, tunc furibunda quædam iracundia, & temeritas adſunt. Eodem modo, atque magis adhuc aperte, calidos temperamento, ipſos eſſe ſtatuit, in calce libri, Quod animi mores, corporis temperaturam ſequantur; quo in loco, iracundiam, innati caloris ſobolem eſſe ſcribit, atque eius uerba ita ſe habent. Complexiones autem ipſæ, primam generationem, & euchymas diætas ſequuntur; & coaugent ſeinuicem hæc, propter calidam enim complexionem, iracundi fientes, hinc rurſus, iracundijs exigniunt innatam caliditatem; è conuerſo autem, qui commoderati ſunt complexionibus, commoderatos habentes motus animæ, & euchymiam iuuantur. Et paulo ſuperius, hæc quoque uerba in eandem ſententiam protulit. Furentes, & iracundos, calo-

caloris abundantia efficit; ſtupidos uero, graues, & pigros, temperaturæ frigiditas. Quod etiam libro quinto de decretis Hippocratis & Platonis his uerbis aſſeruit. Cæterum animæ conſtitutiones, ex diuerſis corporum temperamentis oriuntur, cùm uideamus, ipſorum animalium, quæ calidiora, & lati pectoris ſunt, omnia ſortiri naturam iracundiorem; ut timidiorem, quæ latis coxis, & frigidiora.

GALENVS *libro ſecundo de Temperamentis in calce, & libro quinto de Tuenda ualetudine ad finem, atque in principio ſexti libri, alibiq́ frequentiſſime, redarguere eos ſolitus erat, qui de temperamentis ſermonem habituri, ab una quapiam particula, de totius corporis temperie, iudicabant, neque diſtinguebant, an temperies illa per ſe, uel per accidens ſit; merito ſui, uel merito alterius; cùm iſta non parum inter ſe differant, quemadmodum ipſe de excrementis dicebat, quæ non ſemper membri temperaturam atteſtantur; cùm quandoque non ratione temperamenti, & ſubſtantiæ alicuius membri, talia prouenire poſſint, ſed alterius ratione, quando ſcilicet aliunde in ipſis membris, excrementa deducuntur. Quare nos modo, Galeni præceptum ſequuti in hac enucleanda contradictione, diſtinguamus in iracundis oportet, an de eorum uniuerſali temperatura agat Galenus, dum ualidos, uel frigidos iracundos eſſe ſtatuit, uel de particularis membri temperie, ipſius uidelicet cordis, à quo iracundorum*

rum emergunt operationes; amplius an per ſe, talis in ipſis reperiatur temperatura, vel per accidẽs; & an primario in corde ea adſit; uel propter aliarum partium conſenſum. Quoniam uero iracundos eos dici uoluit Galenus, quandoque, qui iraſci quidem poſſunt, iratos uero, qui iam actu irati ſunt, quemadmodum apertiſſima eſt ſententia ipſius in principio ſtatim ſexti libri de Decretis Hippocratis & Platonis, vbi habet iram actum eſſe iracundiæ, atque paulo inferius, iram in motu iracundiæ eſſe ſcribens; cui aſſenſit Auerrois in principio commenti de ſenſu & ſenſato, & in paraphraſi Rhetoricorũ, capite 2. Nos breuitati ſtudentes, atque his, qui humaniores profitentur literas, diſcrimen hoc omittentes, iratos eos eſſe dicamus, qui calida, & ſicca temperatura ſunt, minus tamen in ſiccitate, quàm in caliditate excedunt; iracundos uero frigida temperatura, cum ſiccitate excedenti; atque idcirco iracundiam eorum eſſe, qui facile, & quauis leui occaſione ſuccenduntur; iram uero, illorum, qui difficile, & propter res tantummodo arduas, & magnas iraſcuntur, quemadmodum apertiſſime aſſeruit loco allegato primi Epidemiorum Tempeſt. 2. com. 19. qua re & iracundi implacabiles erunt; cordis quippè caliditati, cùm excedens quoque ſiccitas ipſis coniuncta ſit, quæ cutis ſtipationem facit; accenſus circa eorum cor, calor, cùm difflari nequeat, implacabilem, ſæuumq́; furorem accendit, tyrannicosq́; mores parit, quemadmodum Galenus

apertiſſime

apertiſſime uoluit 2. Artis medicinalis capite 31. et 33. de his agens, quæ per ſiccum æque excedunt, ac per humidum. Irati uero erunt, quorum profectò calidum cor eſt, non tamen propterea in ſiccitate admodum excedit. quocirca, & latas cutis poroſitates cùm habeant; per ipſas accenſi circa cor uapores, continuò per halitum digeruntur; atque non niſi præſente obiecto iraſcuntur, quamobrem, & humilium rerum contemptores dicti ſunt, quoniam humile, ac uile obiectum, eam non retinet uim, vt igneum in corde, accendere calorem ualeat, quod iracundis euenit; de quorum tantũ temperatura agentes (quia diuerſa de his, ſentire uidetur Galenus) dicamus, iracundos, quos ὀξυθύμους græci appellant, & calidos, & frigidos dici poſſe, atque iuxta diuerſas eorum partes, diuerſa etiam ſortitos eſſe temperamenta; eorum nanque uniuerſalis temperatura, frigida eſt, & ſicca; cor uero, qui ſedes eſt, ſeu inſtrumentum iraſcibilis uirtutis, calidum, & ſiccum dicamus neceſſe eſt; atque tale quidem, non per ſe, ſed per accidens; neque merito ſui, ſed merito alterius, frigidioris uidelicet ambitus temperaturæ. nam, tametſi frigidum eorum cor naturaliter foret, ratione tamen concentrationis plurimorum calidorum uaporum, qui à ſtipatione, in cutis ambitu, diſſlari prohibiti ſunt, calidius vtique ac ſiccius reddi poteſt; atque denſationem eam, prohibita accenſorum uaporum perſpiratio; hanc uero, ignei uaporis continua concentratio conſequitur. Quocirca iracundorum

cor.

cor, continuò accenſo, atque feruido calore, ita foue tur, vt facile huiuſcemodi homines, quacunque leui occaſione excandeſcant, diuq́; iram retineant; præ frigiditate autem totius, puſillanimes cùm ſint, generoſo, uiriliq́; animo eſſe nequeunt. Sic itaque quan do Galenus libro 1. de Morbis uulgaribus iracundos, frigidiori temperamento eſſe ſtatuit; de totius corporis temperamento intelligere dicatur. Dum au tem libro 2. de Temperamentis, atque alibi, auda ces illos, & natiuo calore uigentes eſſe aſſerit, non aliud hiſce verbis inferre uoluit, quàm iracundos calidioris eſſe cordis, ſed per accidens, ob cutis ſcilicet ſtipationem; per ſe autem, frigida totius temperatura, cuius rei, exemplum ponit in Gallis, atque Germanis, qui occidentalem plagam incolunt; quæ cùm frigida ſit, uniuerſum eorum corpus, extrinſecus quidem frigidum reddit, unde concentratus iis calor, & in uiſcera unà cum ſanguine confugiens, ibi agitatur, & feruet; quo fit, vt huiuſcemodi homines promptiſſime in iracundiam labantur, uti dictum eſt; natiuus enim ipſorum calor, ex feruore aſſiduo, agitationeq́; igneus redditus, pronos eos reddit, vt quacumque occaſione excandeſcant, licet tamen, non modo à feruido calore circa cor tales reddi poſſint homines; uerum etiam ab ore uentriculi, in conſenſum ſui affectus, & animam addu cente; tardiores enim ad intelligendum, atque agen dum eos reddit, quo tempore, frigidius ipſum euaerit; è contrario promptiores, atque iraſcentes cùm

magis

magis incaluerit, haud naturali, ſed aduētitio, atque à natura alieno calore; propterea & de his Hippocrates lib. 6. de Morbis uulgaribus ſectione 4. in hūc modum ſcriptum reliquit. Ventriculo calidi, & carne frigidi, & tenues, hi eminentiores uenas habent, & iracundiores ſunt. Qua re autem libro 2. de Temperamentis, iracundos, audaces appellet; in Epidemijs uero puſillanimes; dicamus, Galenum in libro de Temperamētis de magnanimitate, uel puſillanimitate loquutum, non quatenus potentiæ ſunt ipſius animæ; neque quatenus habitus quidam, in nobis ſunt, quibus uel laudari, uel uituperari debeamus; ſed ſolum, quatenus naturales affectus noſtri corporis, ab iraſcibili facultate ſponte emanantes. Tria etenim hæc ſunt, quæ in anima noſtra fiunt, quemadmodum ſcripſit Ariſtoteles libro 2. ſuorum Moralium ad Nicomachum; vel enim affectus ſunt, uel potentiæ, uel habitus. Dicamus itaque rurſus, audaces eo loco, non pro uirtute aliqua accepi, quæ habitus ſit; hi nanque eiuſdem Ariſtotelis teſtimonio Ethicorum libro ſexto, quinque ſunt, uel enim circa neceſſaria, ut intellectus, ſapientia, & ſcientia; uel circa contingentia, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe, ut ars & prudentia; neque pro uirtute accipitur, quæ ſit potentiarum aliqua; ſed pro naturali, ſubito, ac inconſiderato affectu, qui puſillanimitatem potius atteſtetur, quàm audaciam, atque magnanimitatem; quare & Galenus ſeipſum exponens; ſubdidit, audaces, & præcipitis conſilij, quaſi dicat,

dicat, talis eorum audacia, conſilij potius præcipitatio, à puſillanimitate prouenient, nuncupari poteſt. Furibunda nanque, cùm detineantur iracundia, à copia efferueſcentis in corde caloris, corrumpitur ratio, irrationaliſq; motus fit, atque idcirco, audaces ſunt, pericula non timentes. Quod pulcherrime etiam declarauit Ariſtoteles libro tertio Ethicorum capite nono, timidum, audacem, & fortem, circa eadem uerſari oſtendens; ſed aliter, atque aliter ad illa ſe habere; hi nanque excedunt, inquit, atque deficiunt; hic uero mediocritatem tenet, atque vt oportet; & audaces quidem, procliues ſunt, & ualentes ante pericula, ſed cùm pericula adſunt, non ſuſtinent. Sic itaque iracundi frigidiori ſunt, & calidiori temperamento; ſic audaces ijdem, atque puſillanimes intelligendi ſunt.

LXXXVI.

LACTVCAM boni eſſe ſucci ſcripſit libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi de capitis dolore egit ex ebrietate, his uerbis. Cæterum ſomni, ac quietis cura in primis habenda eſt; quod ubi factũ fuerit per totum diem; ad ueſperam, lotum boni ſucci cibis, non tamen calefacientibus nutrire oportet; ſunt autem ptiſanæ ſuccus & ſorbitio ex alica, & panis ex aqua, & oua ſorbilia, abſque garro. Admiſceantur autem eis melle, quantum ad condimentum ſatis fuerit; ſi uero ad mel accipiendum non fuerint, appoſiti,

ſiti, ſales conditorij miſcentor; ex oleribus la ctuca eſt, ut pote boni ſucci, & refrigeratoria, & braſsica, ut quæ uapores reſiccet. Contrariam, uel ſaltem diuerſam, de ipſa, habuit ſententiam libro 2. de Alimentorum facultatibus capite de lactuca; mali quidem ſucci, ipſam non eſſe, non omnino tamen laudabilis aſſerens. Eodem modo, & in libello de Cibis boni, & mali ſucci, ubi de oleraceis agit, inter boni, mali'ue ſucci cibos, ipſam con ſtituit mediam. Quod etiam Oribaſius ſenſit; dum libro 3. Collectorum ſuorum, quæ ca cochyma ſunt, enumerãs, inquit. Ex oleribus, nihil eſt euchymon, ſed media inter cacochymon, & euchymon ſunt, lactuca, & intiba, & poſt hæc malua, & attriplex, & portulaca, & beta, atque lapathum. Idem quoque Aëtius habuit ſermone 2. capite 253. De his, quæ mali ſucci ſunt, agens.

SVCCI, *quæ boni ſunt, habent inter cætera id ſibi peculiare, quod concoctu etiam facilia exiſtunt, minimeq́; excrementoſa; lactuca autem frigidiſſima cùm ſit; atque huiuſce ſuæ frigiditatis ratione, difficulter conficiatur, ueluti libro octauo Methodi medendi ſcriptum ab eo eſt, boni eſſe ſucci minime poterit; debent nempe, quæ celeriter facile'ue concoquuntur, à frigiditatis exceſſu aliena eſſe, quemadmodum in libro de Diſſolutione continua, aperte tradidit. Cùm itaque frigida adeo ſit, ut non rite conficiatur,*

lactuca; non poterit pariter probos generare ſuccos, probó'ue nos alere alimento: quinimo Hippocrates lib. 2. de Diæta, frigidiſſimam adeo lactucam eſſe teſtatus eſt, priuſquam ſuccum habeat, vt non modo vires non augeat, verum etiam debilitatem quandam corpori inducat, quem librum, germanum eſſe Hippocratis Galenus affirmauit libro 1. de Alimentis. Quod autem optimo nos non alat alimento; neque vires, roburq́; corporis adaugere poſſit, inde etiam palam fit; quoniam virium robur, alimenti conſequitur bonitatem; malitiam vero eius, & penuriam, virium exolutio, quemadmodum in libro de Pulſibus ab ipſo ſcriptum eſt. Boni autem, lactucam, non eſſe ſucci ex his apertum ſatis fit, quæ Galenus in libro de Cibis boni, & mali ſucci in vniuerſum de oleribus ſcripſit, Olerum nullum, boni eſſe ſucci, inquiens; atque in libro de Diſſolutione continua, olera omnia, propter excrementorum copiam, ac nutrimenti, quod exhibent, paucitatem, mali eſſe ſucci affirmans. Rurſus vero & idem aſſeruit libro 2. de Alimentorum facultatibus, vbi de plantis loquutus, ita nobis ſcriptum reliquit. Conſtat, hæc omnia, præterquam quod exiguam corpori alimoniam præbent, praui quoque ſucci ſunt; & paulo inferius ſubdidit, Olera omnia leuiſſimum alimentum, & humidum, ac tenue exhibere iam antea diximus. Quibus aperte conſtat, lactucam ipſam, & exiguo nobis alimento, & boni eſſe ſucci nequaquam poſſe. Verum, quo Galeni tueamur dicta, & paradoxon

hoc dilucidemus, lactucam, boni ſucci eſſe, hoc pacto dicamus; quoniam inter reliqua olera, ſanguinis plurimum, qui bonus ſuccus eſt, aliorum autem ſuccorum, minimum quid generat. Sectione nanque Aphoriſmorum quinta, com. 64. de his, quæ bonum ſuccum generant, ita diſſeruit ipſe. Nam in vniuerſum, bonum ſuccum generare dicimus, quæcunque poſt coctionem, ad bonum humorem tranſmutantur, hoc eſt ad ſanguinem, hic enim humor, amicus nobis eſt. Bonum itaque lactuca generabit ſuccum, quoniam in bonum tranſmutatur humorem. Amplius, quoniam in libro de Alimentorum facultatibus, atque in libro de Cibis boni, & mali ſucci, ipſam inter boni, & mali ſucci cibos, ſtatuit mediam; dicendum eſt, ipſam, boni quidem ſucci cibis, longe inferiorem eſſe; mali vero ſucci cibos tanto ſuperare, quanto ab oppoſitis diſtat. Licet nanque ipſa, pro optimorum ciborum ratione, temperata non ſit, quando per frigidum longe à temperamento recedat; cibaria tamen plurima ſunt, lactuca adhuc longe frigidiora. Poſſumus quoque & paucis ita dicere, lactucam licet non ſimpliciter; vt olus tamen, boni eſſe ſucci, atque bonum gignere ſanguinem poſſe.

LXXXVII.

LAC, quoniam aceſcit facile, frigidum potius quàm calidum eſſe aſſeruit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 17. in hæc uerba ſcribens. Cæterum lac, etſi guſtu ſit dulce, ex ſeſe tamen, nunquam amarum

amarum efficitur; uincitur enim in eo à frigore, magis caliditas, quàm ipſa uincat, proinde etiam repoſitum aceſcit. Ex tribus nanque ſubſtantijs, qualitate diſsidentibus, cùm componatur, prima quidem craſſa, ex qua caſeus conficitur; altera pingui, ex qua butirum; & tertia aquea, quod ſerum nuncupamus; atque ex hiſce, pinguis, uel maxime temperata eſt, craſſa uero, paululum ab ea declinat; at excrementum illud ſeroſum, & frigidum, & humidum eſt; quare lac uniuerſum, à modicæ caliditatis corpore, longo interuallo relinquitur; quapropter ex ſe aceſcit, potius quàm amareſcit. Amplius & quinta Aphoriſmorum ſectione com. 40. lac, tanto frigidius ſanguine eſſe ſcripſit, quanto adenes, hepatis carne; uerum adenes, hepatis carne, longe frigidiores ſunt, lac itaque longe frigidius erit ſanguine. Alibi tamen, non frigidum, ſed temperatum eſſe lac aſſeruit, quin etiam ad calidum magis uergere quàm ad frigidum, libro nanque de Simplicium medicamentorum quinto, ubi agit, quod lac generantium, aut ſemen prouocantium facultas, moderate ſit calida, & humida, alimentorum uero in totius eſſentiæ cõſiſtat ſimilitudine, lac ipſum, tepide calidum dixit, atque inter pituitam, ſanguinemq; medium, quo ad calorem poſuit, non tamen (inquit) æque ab utroque abeſt; ſed longius à pi-

tuita; propius accedit ad ſanguinem. Ea itaque ratione, uel temperatum, uel calidum potius quàm frigidum eſt tenendum. Cæterum calidum etiam ipſum, apertiſsime faſſus eſt, dum à ſero, calidam, acremq́; qualitatem; ac facultatem retinere ſcripſit libro 3. de Alimentorum facultatibus, ubi de acido lacte uerba fecit. Lac itaque à ſero non ſeparatum, calidum dicendum potius eſt, quàm frigidum.

L A C, *aliorum calidorum reſpectu, ipſius videlicet ſanguinis, frigidum potius quàm calidum, iure ac meritò à Galeno aſſeritur libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus. Qua re & quinta Aphoriſmorum ſectione, lac, tanto frigidius ſanguine eſſe affirmauit, quanto adenes, hepatis carne; neque id abſque ratione quidem; à glandoſa quippe mammillarum carne elaboratur, quàm frigidam, humidamq́; eſſe certo ſcimus; atque ea de cauſa frigiditatis, potius quàm caliditatis particeps eſſe debet. Quod ſi quandoque calidum illud ſtatuat Galenus, quemadmodum & libro de Alimentorum facultatibus tertio, & libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, non propter ſe quidem, ſed propter calidas admixtas ſibi partes, ſeroſa videlicet, ac pingui, huiuſce qualitatis, ipſum particeps eſſe conſtat.*

LXXXVIII.

A C T I S ſerum, frigidum, atque humidũ eſſe ſcripſit libro 4. de Simplicium medicamentorum

mentorum facultatibus capite 17. his uerbis. Ex tribus enim ſubſtantijs, qualitate diſsiden tibus (ueluti quoque ſuperius dictum eſt) cõſtat lac, prima quidem craſſa, ex qua caſeus conficitur; altera pingui, ex qua butirum; & tertia, aquea, quod ſerum nuncupamus. uerum ex hiſce, pinguis quidem, uel maxime tẽperata eſt; craſſa uero paululum ab ea declinat; at excrementum illud ſeroſum, & frigidum, & humidum eſt. Eandem de ipſo ſententiam habuiſſe uiſus eſt libro 7. Therapeutices methodi, ubi malam uentris temperaturam calidam curans, lactis ſerum exhibet; frigidum nanque ibi, apertiſsime ſupponit, ſi contraria contrariorum ſunt remedia. Oppoſitum tamen de ipſo ſenſit, libro de Simplicibus medicamentis 10. & lib. 3. de Alimentis cap. de lacte; ſerum ipſum, etiam abſque coagulo acrimoniam habere ſcribens, cuius ratione, potius quàm humiditatis abhorrẽt medici in alui fluore, ex qua acrimonia, caloris cuiuſdã particeps eſſe uidetur. Eodem pariter libro, ubi de oxigalacte, hoc eſt acido lacte, uerba fecit, idem ſenſit, dum ſcripſit, neque enim amplius calidam, acremq; qualitatem, ac facultatem retinet, quam lac à ſero habet, neque pinguem. Cuius etiam ſententiæ eſt Aëtius, qui ſermone 2. capite 98. eademmet uerba ex Galeno retulit, quæ etiam capite centeſimo-

nonageſimonono comprobata fuere, dum inter ea, quæ ordine primo calefaciunt, ſerum lactis repoſuit.

LACTIS *ſerum, cum ex varijs, atque eterogeneis conſtet partibus, haud ſecus ac alia plurima huiuſcemodi, quæ iuxta qualitatem cæteris præualentem vel calida dicuntur, vel frigida; atque frigida quidem, non quod caliditatis penitus expertia ſint; eodem modo & calida, non quia frigidis partibus prorſus deſtituta, ſed quod vel caliditatem præ frigiditate habeant perexiguam; vel hanc, illa; eodem modo & ſerum frigidum omnino tenendum eſt cum Hippocrate, & Galeno, & libro* 4. *de Simplicium medicamentorum facultatibus, & libro* 7. *Therapeutices Methodi; ſi namque calidum eſſet, quo ſeroſius eſſet lac, eo calidius eſſet; cum tamen aſininum, quod maxime ſeroſum eſt, multum ſit frigidum, alioqui præ cæteris, in hectica non eligeretur; quod etiam exigua ipſius dulcedo, ob quam aceſcit potius quàm amareſcit, id nobis apertum facere poteſt. Si quando vero, calidum ipſum, acriſq; qualitatis particeps, ſtatuere videatur; propter admixtas ſibi huiuſcemodi partes, atque non ſua ipſius ratione, tale eſſe dicamus; ſed quia ab his forſitan, quibus lac coagulatur, caleſcat; à coagulo quippe, huiuſcemodi'ue calidioribus, calorem quendam ſibi adſciſſit, atque in alienam ſibi, non naturalem temperiem deducitur. Amplius, quoniam libro* 3. *de Alimentis, vbi de oxigalacte, hoc eſt acido lacte verba*

facit,

facit, dum calida ipſum, acriq́; qualitate, ac facultate, quàm à ſero, lac non acetoſum habet, deſtitutum eſſe ſcribit, ſerum calidum poſuiſſe videtur, dicatur, ibi, comparationem non fieri, ipſius ſeroſitatis lactis; ad aliud vllum temperata complexionis, ſed ad ipſummet acetoſum lac; cuius profectò comparatione, calidum eſſe ſerum, dicere fas eſt.

LXXXIX.

LAC camelorum, omnium liquidiſsimum, ac minime pingue eſſe aſſeruit libro 3. de Alimentorum facultatibus capite de lacte in hunc modum ſcribens. Si quidem boum, lac craſsiſsimum eſt, ac pinguiſsimum; liquidiſſimum autem, ac minime pingue, camelorum; mox equarum, deinde aſinarum. Quod etiam ſentire uidetur Ariſtoteles lib. 3. de natura animalium cap. 20. tenuiſsmum inquiens cameli eſt, mox equæ, tum aſinæ, craſsiſsimum bubolum. Contrarium cuius apertiſsimis uerbis ſenſit Galenus, atque aſininum omnium tenuius eſſe teſtatus eſt in libro de Diſſolutione continua, ubi de cibis multi nutrimenti agens, atque de lacte ipſo ſermonem habens, in hæc uerba ſcripſit. Et ſubtilius eſt lac aſinæ, lacte camelæ, & lac capræ eſt medium inter iſta. Tenuius quoque alijs omnibus, aſininum credidit, libro ſexto de Tuenda ualetudine ad libri calcem, ubi de gracilibus corpore, qui calculum in renibs gignunt, uerba fecit, quo

rum uictus ratio (inquit) media ſit oportet inter extenuantem, impinguantemq́;, atque ita ait. Lac uero ſic affectis, reliquorum quidem animalium eſt prohibendum; unum uero aſininum, concedendum, propterea quod, cæteris omnibus eſt tenuius. Quod etiam libro 4. de ratione uictus in morbis acutis com. 110. de cholera agens, his uerbis aſſeruit. Lacte aſinæ utendum præcipit, quod purgantia inter medicamenta omnia, mitius, tranquilliusq́ue exiſtit; id quoque & lacte omni humidius eſt, & uentrem magis ſubducit. Amplius & libro 10. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite de lacte; homines (ſcripſit) experientia doctos, caprino, ouilo, bubuloq́; uti lacte, & caſeos ex eis conficere, aſinino excepto, nam id planè tenue eſt, & plenum ſeroſi humoris.

LAC *camelorum, dum omnium liquidiſſimum eſſe aſſeruit libro 3. de Alimentorum facultatibus; Ariſtotelis ſententiam ſequutus eſt, qui libro pariter tertio de Natura animalium, capite 20. de ipſo ita ſcriptum reliquit. Eorum autem, quæ vtrinque dentata ſunt, lac coire non poteſt, ſicuti nec pingue, dulceq́; eſt; tenuiſſimum cameli eſt, mox equæ, tum aſinæ, craſſiſſimum bubulum. Verum quia diuerſam habuit de ipſo ſententiam Galenus in libro de Diſſolutione continua, & libro 6. de Tuenda valetudine, ac libro 4. de ratione victus acutorum, atque libro*

10. de

10. *de Simplicium medicamentorum facultatibus, non camelinum, ſed aſininum, omnium tenuius affirmans; ne eius dicta ſibimet aduerſa credantur, dicendum eſt; ſi græca verba, pro verò eorum ſenſu interpretentur, perpendanturq́;, nullum ineſſe dictis diſcrimen. Libro nanque de Alimentorum facultatibus tertio; græca verba ita habent.* τὸ μὲν γὰρ τῶν βοῶν παχύτατον ἐϛὶ, καὶ λιπαρώτατον, ὑγρότατον δὲ, καὶ ἥκιϛα λιπαρώτατον τὸ τῆς καμήλυ; καὶ μετὰ ταῦθ᾽ ἵππυ, μετὰ δὲ ταῦθ᾽ ὄνου. σύμμετρον δὲ τῇ σιϛάσει τὸ τῆς αἰγὸς ἐϛὶ γάλα. τὸ δε τῦ προβάτυ παχύτερον τύτυ. *quibus verbis, ſic habentibus, animaduertendũ eſt Galenum hoc loco uerbo uſum eſſe* ὑγρότατον, *quod aquoſiſſimum, non liquidiſſimum uerti debet. Sexto autem de Tuenda ualetudine, & libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis, atque libro 10. de Simpliciũ medicamentorum facultatibus* λεπτομερέϛατον *ſcripſit; quæ diuerſa profectò quoquo pacto nobis ſignificant.* ὑγρότατον *nãque, quemadmodum dictum eſt, liquidiſſimum, atque aquoſiſſimum ſignificat;* λεπτομερέϛατον *uero, tenuium partium, & tenuiſſimum: Et licet quod aquoſum eſt, idem quoque tenue ſit, & liquidum; non tamen quidquid tenue eſt, itidem & aquoſum eſſe debet; cum aquoſum, eo quod tenue tãtum ſit, frigidius etiam exiſtat. Dictio itaque illa* ὑγρότατον *poſita libro 3. de Alimentorum facultatibus, non proprie liquidiſſimum, ueluti Galeni interpres, vel tenuiſſimum, vti Ariſtotelis traductor, uerti, iudicio meo, debuit; ſed humidiſſimum potius,*

tius atque aquoſiſſimũ; alud autem eſt dicere liquidiſſimum, tenuiſſimumq́; atque alud aquoſiſſimum, quod plurima humiditate, atque aquea, frigida'ue facultate pollet. Qua re libro ſexto de Tuenda ualetudine, alijsq́; adductis locis λεπτομερέστατον *aſininum lac dum ſcriptum eſt, nil aliud ſonat, quàm ſi diceremus tenuium partium, atque lacte omni tenuius; idque à ueritate alienum non eſt. Verum quoque & illud exiſtit, dum camelinum* παντῶν ὑγρότατον *eſſe aſſeruit, hoc eſt reliquorum aquoſiſſimum, quod etiam frigidiſſimum indicat. Atque hoc pacto, nulla erit in dictis ipſius controuerſia.*

XC.

LIENEM, melancholico humore, qui ſanguinis eſt fex, nutriri ſcribit 4. Aphoriſmorum ſectione com. 21. hepar expurgans, prius quàm bilis nigra, exquiſitaq́; fiat. Et quam (inquit) ipſa fecerit ſuperfluitatem, totam expellit ad uentrem unà cum aliis ſuperfluitatibus excernendam. Idem habuit & libro 6. de Locis affectis, ſtatim ab initio, in hunc modum ſcribens. Nam, quod ad coloris ratio nem pertinet, uniuerſum corpus, ubi ſplen imbecillitate affectus eſt, magis nigricare uidetur; nam hoc ei natura officium dedit, ut melancholicum ſanguinem ex hepate ad ſeſe attrahat, quo, ipſum ali, iam demonſtratum eſt. Craſſiſsimo quoque ſanguine, & eo longe craſsiori, quo nutritur hepar, ali affirmauit

uit lib. 13. methodi medendi cap. 10. in hæc uerba ſcribens. Lienis uero rarior eſt ſubſtantia, quàm iocinoris, cæterum crebrius ſcyrrhoſis uitijs affligitur, propter nutrimẽti, quo utitur ſpeciem; monſtratum nanque eſt, quod craſſo nutritur ſanguine, qui ueluti limus purioris eſt, facillimeq; nigra bilis efficitur, ĩdeoque ipſum, melancholicum, ſiue atrum excrementum uocamus. Et paulo poſt ita quoque ſubdidit. Nam, quale medicamentum eſt abſinthium iocinori, tale eſt lieni ſcolopendrium, ſi quidem ſimilia genere medicamenta, ambo uiſcera poſtulant; cæterum tanto ualentiora lien, quanto craſsiore utitur alimẽto. Contrariæ tamen uidetur eſſe ſententiæ libro 4. de Vſu partium. Vbi non craſſo ſ ngui ne, ſed tenuiori quàm hepar, nigro tamen, enutriri aſſeruit, cuius rationem reddens, inquit. quia ſplenis corpus, cùm tãto rarius iecore ſit, quanto craſsius eſt pulmone, merito ex tenuiore parte ſanguinis nutritur; qui nanque ad ſplenem attrahitur, craſsior eſt eo, qui in iocinore eſt; at quia elaboratus ab arteriis, quæ illhic habentur, atque à uenis denſiorem tunicã habentibus, quàm quæ inſeruiunt iecori; non affatim, neque craſſus, ſed tenuis, & paulatim, carni ſplenis immittitur; ob id quidem, huius uiſceris caro rarior, ac leuior eſt, quàm iocinoris, non tamen rubicundior, aut flauior.

Quod

Quod etiam paulò inferius his uerbis repeti tum ab ipſo eſt. Hepar quidem ex rubicundo, & craſſo ſanguine; ſplen autẽ ex ſubtili, ſed nigro; pulmo ex elaborato ad unguẽ, flauo, ſubtili; ſpirituoſo ac puro ſumit alimentum.

Lienem, *melancholico, craſſoq́ ſucco, licet pluribus in locis enutriri ſcripſerit; aliàs vero non craſſo ſanguine, ſed tenuiori quàm iecur ali affirmet; non propterea tamen, diuerſa ſentire dicatur; quoniam is, qui in ſplenem attrahitur, ſanguis, licet eum, qui in iocinore continetur, craſſitudine longe ſuperet; venis tamen in ipſis, atque arterijs elaboratus dum fuerit; non amplius craſſus vniuerſus remanet, neque totus quidem, craſſior'ue illius portio, ſed tenuior duntaxat, lienis fit alimentum, atque in eius carnem ſenſim immittitur; craſſior autem illa, melancholici humoris portio, quæ lienis ui, atque actione, conçoqui, elaborariq́ minime potuit; tanquam ad nutriendum inepta, in os uentriculi recurrit, vt eius actio, ex adſtrictione, ab auſtera, acerbaq́ huiuſce ſucci qualitate, firmior, ualidiorq́ ſit. Et licet non ruber ſit is, quo lien nutritur ſanguis, ſed ſubniger, lienis colore, tenuis tamen ſatis eſt, quẽadmodum è contrario, is, qui iecur alit, & craſſus, & ruber exiſtit.*

XCI.

Lienosorum potus, (inquit) ſit aqua, in qua ignitum ferrum extinctum ſit; non febrientibus cum uino; febricitantibus uero aqua

qua ſola libro 9. de Compoſitione medicamen torum ſecundum locos, ubi de lienis affectioni bus egit. Celſusque auctor eſt, potui data aqua, à ferrario fabro, in qua candens ferrum ſubinde tinctum ſit, præcipue lienem coercere; quod animaduerſum eſt in his animalibus, quæ apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Cuius oppoſitum dicendum eſt, lienoſi nempe, cum ij dicātur, quibus lien tumet, atque obſtructus eſt; chalibeataq; utamur aqua, tanquam adſtringenti, fluoribus in quibuſcunque; ea propter, eiuſcemodi aqua, obſtructiones aperire, minime poterimus, cùm potius adſtringat, fluoresq; compeſcat, atque cohibeat.

HVMIDO *maxime gaudet lien, fouetur q; aqua, quemadmodum teſtatur Hippocrates in initio ſtatim libri quarti de Morbis, ubi docet, quomodo, & cur aqua copioſior, generetur in corpore à potu, & quomodo ſplen trahit ipſam. Et libro de Morbis muliebribus, dum inquit, ſplenem aquoſum fieri, abſtrahens à membro ad ſeipſum, aquam, ut qui rarus eſt, & ſpongioſus, & ſecūdum uentrem ſitus. Quo fit etiam, ut qui aquoſa inhabitant loca, lienoſi ut plurimum ſint. Qua autem ratione, aquam, quæ ex ſui natura, lienem tumidum reddit, chalybeataq; ſi ſit, adſtringere etiam ualet, lienoſis conferri queat. dicamus, animaduertendum eſſe, chalybeatam aquam, duo in corporibus noſtris, operar*

rari poſſe, adſtringere uidelicet, ratione extincti in ipſa, igniti chalybis; poſſe & exſiccare. Licet itaque in ipſius lienis tumoribus, obſtructionibusq́, chalybeata aqua, quatenus adſtringens eſt, minime competat; ſua tamen exſiccationis ratione, prodeſſe poterit. qua etiam fortaſſe ui, potius quàm adſtrictione, uentris fluores compeſcere ualet; atque idcirco libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 36. Galenus aſſeruit perperam Herodotum, ac Dioſcoridem cenſere, quæcunque aut profluuijs, aut diſenterijs mederentur, adſtringentia eſſe; quaſi innuere ex dictis uoluerit, non adſtringentia, ſed ſiccantia fluores diſentericos ſanare. Lienem itaque ad ipſum cùm libenter deducatur aqua, eaq́, lien frui exoptet, chalybeata ſi extiterit, exſiccanti prædita erit ui. Quocirca non abs re, tumentem vt exſiccet, conſumatq́, lienem, à Galeno, alijsq́, medicis conceditur.

XCII.

LVMBORVM dolore affectis, teſtiumq; ex poplitibus, & tibijs interioribus, ſanguinem mittendum eſſe aſſeruit libro 2. de Natura humana com. 12. ex uerbis Hippocratis eodem loco, & lib. de natura oſsium. Cuius oppoſitum nobis ſuaſit, libro 4. de Tuenda ualetudine, ubi de phlegmonoſa laſsitudine uerba faciens, in male affectis lumbis, ex baſilica ſanguinem miſit, hæc autem ſunt eius uerba. Porrò æſtimare diligenter oportet, qui ſangui-

nem

nem ſunt miſsuri, in thorace ne, dorſo, & lũbis tenſio, pulſansq; dolor figatur, an in capite potius, & collo; his enim affectis, humeralem uenam incides, maxime ſi repletum caput, & calidum ſentiunt; illis uero internam. Quibus apertiſsime conſtat, Galenum hoc loco, de ſecanda uena tali, poplitis ue, lumborum in affectibus, ne uerbum quidem feciſſe, internam tantum ſecandam præcipiens, axillarem intelligens.

Lumborum in affectionibus, aliquando ex poplitibus, atque interioribus tibijs; aliquando uero ex interna cubiti uena, ſanguinem mittendum eſſe ſuadet; quæ licet diuerſa inter ſe eſſe uideantur; id tamen ea ratione factum ab ipſo eſt, quoniam, uenæ apertionem ex brachio præcipiens, uniuerſalem corporis euacuationem exequendam hortatur; ex interioribus uero tibijs, atque ex poplitibus uenam ſecans; uniuerſali iam euacuatione ſuppoſita, per ſectam cubiti uenam, deriuationem per eas molitur à membro affecto euacuationem imperans. Animaduertendum præterea eſt, fluxionibus in omnibus, duobus modis nos ſuccurrere poſſe, vel reuulſione, vel deriuatione; reuulſione autem vtimur, quando vehementer irruunt humores, & recens eſt fluxio, doloremq́; parit; deriuationis vero vſus eſt, in leuioribus, & inueteratis fluxionibus, quæque ſine dolore, aut certe quàm minimo dolore infeſtant, licet ſatius quoque in his ſit prius reuulſiones tentare. Cùm itaque

que

que lumborum, teſtiumq́, in doloribus, atque inflam mationibus, vehementer fluxio vrget, ea ſiſti nequaquam poterit, niſi addiſtantiſſima reuelatur; ſiç enim Galenus non modo libro 4. de Tuenda valetudine, in affectis lumbis ex baſilica ſanguinem detraxit, verum etiam 11. Methodi ſcripſit, incipientibus inflammationibus reuulſione vtendum eſſe ad quàm maxime remotiſſimas partes; cùm vero iam fluxus deſiit, & inflammationi tantum ſuccurrere uolumus, nec propinquiſſima, nec diſtantiſſima vena quærenda eſt; ſed quæ, ob mediocrem diſtantiam, & propinquitatem, mediocriter reuellere; & affectæ parti ſuccurrere poteſt. Sunt enim profectò diſtincta remedia fluxionum, & ipſarum inflammationũ; nec ſemper ſoli inflammationi, vel ſoli fluxioni reluctandum eſt; ſed quandoque fluxioni ſoli, cùm illa ſcilicet vehementer vrget; quandoque uero inflammationi ſoli, cùm iam fluxionis impetus reſtitit; non nunquam vero vtrique pariter medendum, cùm vtrunque æqualiter infeſtat; aliter perperam Galenus iuberet in libris ad Glauconem, fluxiones irruentes, ad genua, excitanteſq́, inflammationes, ſanguinis miſſione à cubito coercendas eſſe; cùm eodem auctore receptum quoque ſit libro 13. Methodi medendi, laborante vno crure, in alio venam tundendam eſſe. Amplius animaduertendum hoc loco eſt Ariſtotelem libro 3. de Hiſtoria animalium capite 3. ex Polybio, affectibus in hiſce non ex internis malleolis, ſed externis, ſanguinem mittendum ſuaſiſſe; quam con-

controuerſiam aliàs examinabimus, dum antitheſeis auctorum pertractabimus; hæc tantum, modo ſatis ſint.

XCIII.

MEDICAMENTA, humores noſtros immutare ſcribit in initio libri de Purgantium medicamentorum facultate, ubi inter euacuantia pharmaca, atque ſanguinis miſsionē, diſcrimen poſuit, inquiens. Atqui hac una in ſe ſolum diſtat purgare aliquem tali medicamento, & eidem ſanguinem mittere; quod, aperta uena, quale prius inerat, euocatur; purgante autem medicamento, non ſolum colore, ſed etiam natura immutatum educitur; etenim & quæ aquam purgant, omnia humida, & tenuia reddunt, quæ in uenis attigerint, etiã ſi craſsiſsima prius fuiſſent; & quæ nigram bilem euacuant craſſa, ac ſolida, quamuis antea tenuiſsima. Cuius oppoſitum diuerſis rationibus probauit in libro de Theriaca ad Piſonem, Aſclepiadem Bithinum arguens, his uerbis. Non enim fidem Aſclepiadi Bithino medico adhibemus, cuius ſententia eſt, cùm homo iam purgatur, tunc etiam humores hos, ſtatim quandam ſubire mutationem, quippe quoniam auctor fuit hypotheſeos, atomorum coaceruatione, & meatibus contentæ, naturæ opera de medio tollens, neceſſariò conſentaneum erat, & hunc de humoribus ſermonē,

CC ipſum

ipſum dicere, tanquam id, quod ab eo adducitur, à ratione ſit alienum, & omnino fieri nequeat; quis enim ſanæ mentis crediderit tam ſubito, quàm medicamentum corpus attigegerit humoris, qui excernetur ſubſtantiam generari? quis contra non facile ſibi perſuaſerit, humores hoſce, prius quoque ſecundum naturam corporibus ineſſe? cùm uideat arquato morbo laborantem, eo tempore, quo, medicamentum, bilioſum humorem purgans, cœpit; & bilem ſubito copioſam excernere, & affectu expedite liberari? Quod etiam manifeſtum nobis ex his ſit, quæ 2. Aphoriſmorum ſectione com. 37. ſcripſit, ubi in textu habet Hippocrates. Qui bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes; rationem reddens in commento Galenus, quare difficulter medicationes ferant, inquit, nam & uertigines, & tormina patiuntur, & difficulter his purgatio procedit, & præterea celerius exoluuntur; fiunt autem hæc omnia purgante medicamento, proprium quidem humorem attrahere appetente, uel flauam bilem, uel atram, uel pituitam, uel aquoſam ſuperfluitatem; quia uero iſti non adſunt, ſanguinem colliquat, ac carnes, ut ex ipſis proprium attrahat humorem. Quod etiam repetitum ab eo eſt 4. Aphoriſmorum ſectione com. 2. ſuper uerbis Hippocratis. In medicationibus talia educere, qualia

lia & ſponte prodeuntia, utile; quæ uero contrario modò procedunt, cohibere oportet. Quod ſi medicamenta humores immutarent, nulla in ipſis euacuationibus daretur uiolentia.

LICET *attractio, aliàs caloris, aliàs vacui, & inanitionum vi, aliàs totius ſubſtantiæ ſimilitudine fiat; à medicamentis tamen purgantibus quæ fit, vna ſimilitudinis proprietate còmpletur. Atque Auerrois in hac re iudicio meo valde hallucinatus eſt, dum libro quinto Collectorum ſuorum capite 21. vnicum medicamenti genus, ſola, pro vacuandi ratione, quantitate, mutatum, ſatis fore humoribus omnibus expurgandis, ſtatuit; tenuesq́, quia purgationi aptiores, prius quàm craſſos prolici arbitratus eſt; atque ſi medicamentum (inquit) infirmum, atque inualidum ſit, nihil præter ſerum, vacuat; ſin validius, cum hoc, etiam bilem flauam; ſin valentiſſimum, tum pituitam, tum bilem atram; non animaduertens rhabarbarum, agaricum, atque ſenam, etiam ex hydropico corpore, non aquam, ſed craſſos humores; ſcammonium vero, & iridem, non craſſos, ſed tenues & ſeroſos vel ex corpore ſano elicere. Si nanque vacuationis ordine, tenuia ſemper cæteris antecederent, cur non & ſanguis, prius quàm bilis atra defluit? quæ, multo tenuiorem eſſe conſtat. Purgantia itaque medicamenta, humores attrahere naturæ ſuæ accommodatos, pluribus in locis, aduerſus Aſclepiadem declarauit Galenus, atque oſten*

dit, libro nimirum de Elementis 2. & libro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 24. & libro quinto eiuſdem, capite 17. atque in libello de Purgantium medicamentorum facultatibus, alibiq; frequentiſſime. Totius itaque eſſentiæ, atque ſubſtantiæ ſimilitudine, humores trahunt medicamenta, quemadmodum & ſtirpes ſuccum è terra ſibi idoneum, & unaquæque corporis particula id quod in ſanguine, ſibi familiare, & conueniens eſt, & lapis heraclius ferrum; & ſuccinum paleas prolicit. Hæc autem ſimilitudo, non temperamentorum, ſed ſubſtantiarum eſt, quandoquidem nullum medicamentum, pituitæ trahendæ eſſet idoneum, cùm illa frigida, vniuerſum vero purgantium medicamentorum genus calidum habeatur; quædam enim ſimilitudo, atque affinitas, vt idem, libro 3. citati iam operis capite 24. ait, vtriſque ſubſtantijs ineſſe debet, eius videlicet quod purgat, & eius quod purgatur. Atque medicamenta, humores noſtros immutare veriſimile non eſt, quandoquidem ſequeretur, quod pharmacum bilem euacuans, nunquam ab ea euacuanda deſiſteret, donec cuncti in corpore ſucci in bilim tranſmigrarent, atque educerentur, quod falſum eſſe, atque impoſſibile ex ipſomet habemus libro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite penultimo, ſcribente. Pharmacum per ſimilitudinem euacuans, dum bilim exempli gratia euacuare intendit; bilem quidem primo, mox pituitam educit, demum melancholiam, vltimo & ſanguinem.

Quod ſi in bilim ſinguli commutarentur, bilim continuo educerent, non pituitam, non atram bilem; non etiam ſanguinem ipſum attraherent; quod Hippocrates quoque in libro de Natura hominis hiſce uerbis explicauit. Pharmacum, vbi corpus intrauerit, primum quidem educit id, quod ex omnibus in corpore exiſtentibus, ſibi maxime ſecundum naturam familiare fuerit, deinde vero etiam alia attrahit, ac purgat, quemadmodum ex terra naſcentia, & in ipſam plantata, ac ſeminata, vbi in terram peruenerint, vnumquodque trahit id, quod naturæ ſuæ familiare in terra exiſtit; ineſt autem in terra & acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum, & omnigenum; atque fruſtra com. 27. ſecundæ Aphoriſmorum ſectionis, ſcripſiſſet, tormina, & vertigines pati, celeriterq́; exolui, atque euacuationes difficulter ferre, qui purgantur, & corporis ſalubritatem habent; fiunt nanque (inquit) hæc omnia, purgante medicamento, proprium quidem humorem attrahere appetente, vel flauam bilem, vel atram, vel pituitam, vel aquoſam ſuperfluitatem, quia vero iſti non adſunt, ſanguinem colliquat, ac carnes, vt ex ipſis proprium attrahat humorem: Dum itaque medicamentum humores immutare ſcribit; dicamus Galenum, intelligere forſitan eo loco, per immutare, ſecernere, atque alium ab alio ſucco ſeparare; quod ſanguinis miſſio facere minime poteſt; hæc quippe confuſos omnes, atque ſimul commixtos educit, pharmacum vero, vel hunc, vel alium, prout opus fuerit,

 euacuat.

euacuat. Vel etiam hoc pacto dicere poſſumus, medicamenta humores immutare noſtros, non quia ſubiectum immutent, neque quia vnus in alterum tranſmigret, & ex pituita exempli gratia, vel flaua, vel atra efficiatur bilis, neque ex his alterum quoduis; verum, quos euacuant, eoſdem conſiſtentia, atque ſubſtantia ſua immutare dicuntur; craſſos nempe, tenues reddens, tenuesq́; craſſos; atque in alijs qualitatibus eodem modo; ſic nanque & græca verba ſonare videntur, quæ ita habent. καὶ μὴν ταύτῃ μόνον ἄρα διαλλάττει τὸ καθῆραι τινὰ τοιούτῳ φαρμάκῳ τοῦ τέμνοντα φλέβα κενῶσαι τὸ αἷμα. καθόσον ἐν μὲν ταῖς φλεβοτομίαις οἷον περ ἔμπροσθεν ἐνυπάρχει ἐκκρίνεται. κατὰ δὲ τὰς καθάρσεις ἐξαλλαττόμενον, ἐστὶν οὐ τῇ χρόᾳ μόνον. ἀλλὰ καὶ τῇ συστάσει. *Quæ dictio σύστασις, non naturam, quemadmodum ab interpretibus latine verſa eſt, ſed conſiſtentiam, atque ſubſtantiam indicat. Talis proinde erit verborum ſenſus. Sanguinis miſſio, ſuccos educit, quales prius erant, neque colore, neque ſubſtantia (tenuitate nempe, vel craſſitie) immutatos; medicamenta vero non modo colore, ſed etiam ſubſtantia diuerſos, euacuant. Videntur etenim pharmaca, eos, qui ſunt humores trahere; non autem, eos, qui non ſunt, procreare.*

XCIIII.

MELANCHOLIA in ipſa, ubi eſt per eſſentiam in capite, ſanguinem non neceſſariò detrahendum eſſe ſuadet libro 3. de Locis affectis capite ſexto, ubi de melancholia pertractat,

ctat ſic inquiens. Atque hæc doctrina, non paruum habet in curatione momentum, ſi quidem ubi uniuerſum corpus, ſanguinem melancholicum continet curationem, à uenæ ſectione incipere oportet; ubi uero ſolum cerebrum, infirmus, quod ad hanc diſpoſitionem attinet, ſanguinis detractione non indiget, quamuis ob aliam quampiam cauſam ſanguis mitti poſsit. Quod etiam in libello de Atra bile ex Ruffo, & Poſsidonio ijſdem ferè uerbis repetitum ab ipſo eſt. Cùm autẽ (inquit) ſolum cerebrum,melancholia affectum eſt,ſanguinis miſsione non eget æger, modo plurimo non abundet ſanguine,& præſeruandi cauſa, ſanguinem detrahere nolimus. Cuius contrarium paſsim ab eo ſcriptum eſt, & tanquam axioma poſitum. Morbo in quocunque magno, ſectionem uenæ conuenire inquiens. Morbus autem magnus appellatur, quẽadmodum idem auctor eſt, libro 4. Methodi medendi cap. ſexto, uel propter affectæ partis præſtãtiam, uel propter affectus magnitudinẽ,uel propterea quod ſit cacoethe. Cùm autem cerebrum læſum ſit (nobiliſsima noſtri corporis pars,atque præſtantiſsima) ſi ullo in morbo uenæ ſectio congrua eſſe debet, in affectibus cerebri maxime competere deberet.

GRAVIORIBVS *quibuſlibet morbis, venæ ſectionem competere perſpicuum eſt. Grauiores autẽ,*

atque ingentes eſſe cognoſcuntur, tum ex læſæ actionis præſtantia; tum ex propria affectus eſſentia, vel etiam ex facultate, quæ læſum regit corpus, Galeni teſtimonio libro 4. Therapeu. Methodi capite 6. & libro 7. capite 12. Idcirco melancholia in ipſa, vbi eſt per eſſentiam in capite, affecti membri ratione, magnus mehercle uidetur eſſe morbus, & cui venæ ſectio debeatur prorſus. Verum, quoniam, & ipſam non competere aſſeruit libro 4. de Affectorum locorum notitia, atque in libello de Atra bile, ea de cauſa non conuenire dicatur, quia morbus magnus non ſit, licet mala ipſa affectio, in præſtantiſſima corporis parte, cerebri videlicet in intemperie, reperiatur; non enim, quiuis illius membri lapſus, ingentem conſtituere morbum ualet, ſed qui excedens, atque intenſus ſit. Hac itaque de cauſa licet melancholia, principalis membri affectio exiſtat, quia tamen intemperies tantum eſt, & leuis morbus, idcirco ſanguinem, non neceſſariò mittendum eſſe ſuadet, niſi ob alias conditiones detrahere ipſum conueniat. In hac nempe intemperie, quæ frigida ac ſicca eſt, nil aliud exequi debemus, quàm quod in eiuſdem frigida, atque humida craſi; à qua deſtillationes, (non malignæ tamen) ortum habent, fieri ſolet; in hac nempe ſiccare, ac calefacere debemus; in illa, calefacere atque humectare.

XCV.

MENSIBVS fluentibus, uel hæmorrhoidibus, ſanguinem, & ipſe detrahit libro

nono

nono Methodi medendi, capite quinto, ubi habet &c.

De *hac ſuperius actum eſt. Ubi Contradictionem declarauimus, Euacuandum eſſe quandoque à nobis, natura etiam euacuante &c.*

XCVI.

Menses cùm exeunt, ſi tunc crura fortius ligentur, ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahi ſcribit libro 1. ad Glauconem capite de curatione febris cum accidentibus, ubi defectus animi curat ex accidentibus. Quod deſumptum eſt ab Hippocrate 5. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo quinquageſimo ſic habente, Mulieri, ſi uelis menſtrua cohibere, cucurbitulam quàm maximã ad mammas appone. Contraria huic Galeni præcepto, communis eſt modernorum medicorum ſententia, qui in ſiſtendo ſuperfluorum menſium fluxu, ualidiores ligaturas etiam cruribus imperant, cucurbitulasq; cute inciſa inguinibus admouent; auctoritati Hippocratis fortaſſe innixi, in initio libri ſecundi de Morbis muliebribus, ita ſcribentis. Menſtrua ſi ſuperflue purgentur, cucurbitulæ inguinibus admotæ, remedio ſunt. Quod etiam Corn. Celſus aſſeruit libro 4. capite 20. Quibus & Fuchſius quoque, plurimiq; alij moderni ſcriptores, in ſuis de medicina praxibus ſubſcripſere.

Conciliata *pariter eſt Contradictio hac*

in

in his, quæ in Hippocraticis ſcripta ſunt, atque expoſita in dictione Menſes, ſi ſuperfluè purgentur, cucurbitulas inguinibus admotas, remedio eſſe, quæ re ibi requiras, quæ hoc loco deſiderari poſſent.

XCVII.

MENSTRVO ex ſanguine, omnes animalium particulas generari aſſeruit libro 2. de Elementis in principio, his uerbis. Quod quidem igitur ex ſanguine matris, omnes animalium ſanguineorũ partes ſint generatæ, cuilibet eſt manifeſtum, cùm uero hic ſanguis participet & pituitam, & geminam bilem, non abſque ratione, hic eſt orta diſcordia, non nullis ex ſolo ſanguine, nos eſſe genitos, nonnullis uero ex quatuor humoribus aſſeuerãtibus. Idem etiam uoluit libro 3. de Facultatibus naturalibus nõ longe à principio, ubi oſtendens, quo modo artis, & naturæ opera differant, inquit. Imo Phidias ex cera efficere ebur, aurum'ue non poteſt, ſed nec ex auro, ceram; ſi quidem horum quodque manens id, quod à principio erat, foris tantum ſpeciem, figuram que artis adeptum, perfecta fit ſtatua: natura, nullius materiæ ueterem formam ſeruat; quippè ita, ſanguis eſſent cunctæ animalis particulæ, is ſcilicet, qui ad matrem confluit ad ſemẽ una, uniuſque formæ, materia, ceræ uice artifici ſubiecta. Hoc proprio contradicit dogmati, in initio nanque libri decimiquarti de

Vſu

Vſu partium, habet, menſtruum ſanguinem, propriam non eſſe, & primam gignendi animalis materiam, ſed humiditatem ſeminis, ita ſcribens. Sed cùm ſeminis humiditas à calore inſito incitata, matricum tunicis inciderit, non ſecus ac pinguedo, facile agglutinatur, cùm ipſa uiſcoſa ſit, corporibusq; aſperis inciderit. Amplius & lib. 1. de Semine ĩ primis ſtatim uerbis, eiuſdem cum Ariſtotele, uidetur eſſe ſententiæ, qui libro 1. de Generatione animalium, menſtruo ex ſanguine, licet motionis principium inferatur, non tamen formari animal ex ipſo concedit. Quinimo & Hippocrates huic opinioni fauet, dum in lib. de Genitura. Mulierem cõceptus diem certò ſcire poſſe ſcripſit, ſi partus perita ſit, & cognouerit, quãdo genitura non exciderit, ſed intus manſerit. Quibus inferre licet, cùm mulier ſe prægnantem cognoſcat, quando genitura non excidit, ab ipſa itaque genitura, & non à ſanguine menſtruo, generationis principium eſſe fatendum eſt. Adhuc, eodem quoque loco ſcripſit ſemen uiri, atque mulieris cõmiſceri cùm conceptura eſt mulier, nullam de menſtruo ſanguine mentionem faciens; à ſemine itaque, & non à ſanguine menſtruo principium generationis noſtræ eſſe uoluit.

DVO *profectò ſunt principia corpus noſtrum cõſtituentia, materiale ſcilicet, atque efficiens. Effectiuum*

ctiuum principium, ſemen ipſum eſt; materiale uero, ſanguis menſtruus, quemadmodum ſcriptum ab eo eſt libro 2. de Facultatibus naturalibus. Eorum itaque primum, ſemen uidelicet, eſt tanquam efficiens cauſa; quod opificis fungitur officio; cuius plures ſunt actiones, quarum prima eſt, menſtruum ſanguinem, qui ſibi familiaris exiſtit, attrahere. Familiaris uero, competensq́ʒ is eſſe creditur, qui tenuis adeo, halituoſusq́ʒ eſt, vt cùm in omnem ſeminis partem, ueluti ros, eſt attractus, nuſquam ſui ſpeciem repræſentet; ita nanque fit, vt & facile eum uincat, ſemen, & celeriter aſſimilet, & ſibi nutrimentum faciat. Mox etiam ſecundo attrahit, & tertio, quo ſcilicet molem ſibi, magnitudinemq́ʒ, iuſtam, ex nutritione adiiciat. Qua re & ſemen, & naturam, idem eſſe cum Eraſiſtrato, tenet quoque Galenus; quod nanque ſemen prius erat, id, cùm primum & gignit, & format animal, natura quædam fit; quemadmodum enim Phidias, habuit prius facultates artis, quàm materiam attigit, uſus autem eſt ipſis in materia (omnis enim facultas, ſi competens deſit materia, ocioſa eſt) ita maris ſemen, facultates quidem in ſeipſo poſſidet; actionem uerò non didicit à materia, ſed circa hanc obiuit. Alterum uero principium (vti diximus) menſtruus ſanguis eſt, qui materies quædam apta eſt, concinnaq́ʒ, & opifici ad quiduis ſequax, quemadmodum in initio libri primi de Tuenda valetudine ſcriptum eſt. Duo itaque cùm ſint noſtri corporis principia; materiale

le videlicet, atque efficiens, Quando menſtruo è ſanguine omnes animalium particulas generari aſſeruit libro 2. de Alimẽtis, de ſanguine menſtruo, materialiq; principio intellexit, à quo carnoſa omnis ſubſtantia conſtituitur; abſque quo principio ocioſum ſemen eſſet. Quando uero, ſemen tantum, videtur principium ponere; de efficiente principio, à quo ſolida membra, & quæ ex ijs conſtituuntur, uerba eum fecisse par eſt. Duo nanque hæc omnino debent poni principia, carnoſa ſcilicet ſimilarium partium ſubſtantia, quæ à ſanguine, tanquam materia, ortum habet; & ſolida membra, quidquid'ue in eorum compoſitione ineſt, ſiue humidum radicale, ſiue ſpiritus, ſiue inſitus calor; quæ à ſemine procreantur, atque formantur Galeni teſtimonio libro 1. de ſemine, ubi ſic ſcriptum reliquit. Arteria, uena, os, item & membrana, ſemine fabricantur. Quod etiam apertiſſimis hiſce uerbis ab eo repetitum eſt 1. Aphoriſmorum ſectione com. 15. quæ ſic habent. Tria autem erant corpora, quæ primæ noſtræ naturæ ſubſtantiam compleuerunt, ſpiritus, ſanguis, & ſeminalis humiditas, ex qua in primo ortu, veluti in libris de Semine diximus, fiunt partes animalis ſolidiores, mox uero augmentum in ipſis perficitur. Duorum autem horum principiorum, hoc pacto unio emergit; prima nanque fœtus conformatione, dum ſimilariũ partium procreatio fit, corpus ipſum ſeminis, in quadam rudimenta, primum ſeſe extendit, deinde uero in exactam ſpeciem; atque dum rudimenta ca

fiunt,

ſunt, ſeminis corpus, imaginem, formamq́ quandam partium ſimilarium, lineamentis ſuis demonſtrat, quæ quaſi fibræ ſunt, & ſtamina, filis quibuſdam tenuiſſimis contexta, araneorum ſimilibus; atque hæc eſt uere, ſolida partium ſimilarium ſubſtantia, ex puro ſemine concreta; ad quam demum ſanguis menſtruus, maternusq́, ſenſim influens, uillis, ſtaminibusq́ undequaque ſe circumuoluens, illic concreſcit, atque carnoſa ſubſtantia fit. Hoc itaque pacto, duo erunt principia corpus noſtrum conſtituentia.

XCVIII.

MVSCVLIS intercoſtalibus externis, maximam inſpirationem; internis uero maximam expirationem fieri credidit libro 2. de Muſculorum motu in calce, his uerbis. Efflationis enim, muſculi omnes, qui intus ad coſtas ſunt, opifices exiſtunt, & hoc rurſus, opus thoracis, ſimile eſt, prius nominatæ quidem in toto corpore reclinationi, depoſitioni uero in ſingulis partibus. Cùm autem expirationis, contraria ſit inſpiratio; efflationi vero uehemens inſpiratio (nomine enim proprio caret) priorem quidem oppoſitionem ſolæ phrenes efficiunt, alteram vero intercoſtales cum muſculis, qui ad thoracem perueniunt, ex ſcapulis, & collo, indigent autem ipſa, maxime quidem tibicines, & tubicines, ac precones, cùm nuncupatum πόδα, ideſt pedem, decantaturi ſunt;

ſunt; præcipue uero & qui utres inflant, uel aliud eius generis inſtrumentum; & ut ſimpliciter dicam, qui plurimum thoracem transmutare, dilatando, ac contrahendo ipſum uolunt; quare iuſtius utique quiſpiam muſculos thoracis externos, his, qui coſtarum parte interna ſunt, oppoſitos dixerit eſſe non phrenibus, ſi quidem maxima quidem inſpiratio per externos, maxima uero expiratio per internos intercoſtales efficitur. Oppoſitum tamen in libello de cauſis repirationis faſſus eſt, inquiens. Eorum uero, qui circa coſtas ſunt, ut exacte dilatent, & contrahant, qui cùm duplices ſint, externi, exſpirationem, interni inſpirationem perficiunt. In qua materia, obſcurius quid adhuc ſcripſiſſe uiſus eſt, atque duobus iam antea ſcriptis locis, minime conſonũ; libro nempe 4. de Locis affectis capite 7. Expirationem, ſcripſit, uniuerſos, thoracem contrahentes, muſculos, efficere; exufflationem, quæ vehemens inſpiratio eſt, intercoſtales maxime; quo in loco expirationem non ab externis, neque ab internis tantum, eodem modo & inſpirationem neque ab his, neque ab illis, ſed ab omnibus ſimul, fieri, manifeſtiſsime probauit. Quod etiam libro octauo de Adminiſtrationibus anatomicis innuere uiſus eſt; reſpirationibus in paruis, ſolius diaphragmatis eſſe uſum; in magnis autem, & intercoſtales muſcu-

muſculos, plurimum ſubuenire ſcribens.

MVSCVLI *inter coſtas poſiti, ſunt vtrinque duo & uiginti, in ſingulis nempe illarum interuallis, duo; licet quidam ex fibrarum uarietate, quatuor hos eſſe prodiderint. Verum hæc committentes, atque Galeni contradictionem diluentes, dicamus ipſum libro 2. de motu muſculorum, muſculos interco ſtales externos, qui uillos à ſuperioribus, in inferiores coſtarum partes, procedentes habent, maximam inſpirationem efficere uoluiſſe, quod eſt coſtas ab inuicem abducere, dilatareq́ꝫ, atque ampliorem thoracis cauitatem efficere; internos uero, maximam expirationem, quod eſt coſtas ſimul abducere, thoracemq́ꝫ comprimere, atque contrahere; cuius tamen oppoſitum, quemadmodum dictum eſt alibi, apertiſſi me ſenſit. Ego uero, (pace tanti uiri dixerim) ex anathomica ſpeculatione colligo, ipſum neque in libro de motu muſculorum, neque in libro de cauſis re ſpirationis uera loquutum de ipſis eſſe, quippe ad con ſtringendum vtroſque, atque ad expirationem; nullum uero ad thoracis dilatationem, atque ad inſpirationem facere opinor; coſtarum nanque dilatatione inſpiratio perficitur; quoniam horum muſculorum ſitus, figura, fibræ, aliaq́ꝫ omnia, ad eorundem fabricam ſpectantia, dilucidius hos muſculos inuicem coſtas adducere, quàm laxare ſuadent; neque profectò à ratione alienum eſt, ad expirationem, thoracisq́ꝫ arctationem, naturam, omnes intercoſta les muſculos produxiſſe, cùm fortiori motu, impetuq́ꝫ*

ad

ad efflationem, vocem, tuſſim, ſternutationem, fecum excretionem, ad partum facilius excludendum; atque breuiter, ad thoracis compreſſionem; magis quàm ad inſpirationem, thoracis'ue dilatationem indigeamus. atque idcirco & Galenus ipſe libro quinto de Vſu partium ad calcem, ſcriptum reliquit, intercoſtales muſculos, non alia de cauſa à natura conſtructos eſſe, quàm ad ipſius diaphragmatis ſubſidium, cuius verba ſic habent. At certe hoc etiam nomine, ea in primis eſt admirabilis, quod cùm omnia rectiſſime conſtituat, ſimul etiam prouidet, ne quod exitium ſubſequatur; quemadmodum enim nō ſatis habuit, ſolum muſculos octo epigaſtrij, qui ſubiecta omnia premere ad vnguem, & cogere intrò poſſent, effeciſſe, ſed etiam phrenas ipſis ſubiecit obliquas, ne quid vnquam ſurſum ad ſtomachum remearet; ita & in ipſarum phrenum ſubſidium, muſculos, quos intercoſtales appellamus, conſtruxit. Nam, cùm vnicus (inquit) eſſet hic muſculus; ab octo epigaſtrij, futurum erat, vt paruo negotio ſua ſede dimoueretur, in amplumq́; thoracis ſinum euerteretur. quo caſu, vim omnem compreſſionis exolueret; ne igitur id accideret, omnes, qui in coſtis ſunt, muſculos, qui thoracem ipſum contendere, atque intrò contrahere poſſent, comparauit, vt ſuperiore ſinu vndique coarctato, diaphragma ipſum, nullum habeat receptum, ſed immotum, ac ſtabile maneat. Quod etiam libro 4. de Locis affectis capite quintò confirmaſſe ipſum conſtat, his verbis. Ex commen-

tario de Spirationis cauſis docti ſumus, liberam ſpirationem, à ſolo fieri ſepto tranſuerſo, accedente ad hanc, intercoſtalium quoque muſculorum actione, vbi videlicet, vehementiori opus eſt ſpiratione; quod ſi vehementiſſima ſpiratione indiguerimus, ſuperiores etiam muſculos concurrere oportet. Quod etiam paulo inferius, his verbis repetitum ab eo eſt. Nam dum quieſcit animans, liberam ſpirationem, ſolum ſeptum tranſuerſum, modo valeant vires, efficere ſolet; vbi vero ob infirmitatem, ſpirandi munus perficere non valet, tum intercoſtalium muſculorum concurrit auxilium; quod ſi præterea maiori animal ſpiratione egeat, tunc ſuperni muſculi omnes, quorum maximi, ſcapulas ſecum manifeſte mouent ad ſpirandi actionem requiruntur. Quibus aperte ſatis conſtat, ad conſtringendum, non ad relaxandum, dilatandum'ue thoracem, atque diaphragma, compoſitos vtroſque eſſe: Contradictionem hanc profectò in hoc volumine inſerere nolebam, in quo mihi Illuſtrium medicorum propoſitiones tueri, earumq́; ambiguitates diluere propoſitum eſt. Verum cùm calamus me iam incautum deprehenderit, vt hanc papiro cum reliquis dederim; eam ab alijs ſecernere piguit, eo tamen animo, vt licet diuerticula quædam non deſint modo, quibus, auctoris verba, concordia reddere poſſem, ſi quando tamen maturiori ſtudio, veriorem explicationem, & quæ obiectionem nullam recipiat, vel ex me, vel ex alijs reperire licebit, eximium medicinæ parentem, his meis ſcriptis à fal-

ſo fortaſſe crimine, læto animo me vendicaturum pollicear.

XCIX.

NYCTALOPEM eſſe aſſerit, in Introductorio medicorum, cùm quis die obtuſius uidet, ſole occiduo acrius, nocte magis adhuc. Quam ſententiam uidetur etiam habere Hippocrates libro 2. Prædictionum, ita ſcribens, qui nocte uident, quos ſanè nyctalopas uocamus, hi morbo corripiuntur iuuenes, aut pueri, aut etiam adoleſcentes, & liberantur ſua ſponte; aliqui in quadraginta diebus, aliqui ſeptimo menſe, quibuſdam uero & per totum annum permanſit. Cuius oppoſitum manifeſtiſsime ſcripſit Galenus libro 3. Therapeutices methodi, ubi habet, quod quamuis perpauca ſint nomina, quæ nec locum affectũ nomine repræſentet, nec, quæ, eos efficit, cauſam; ueritatis tamen ſtudioſi, ad eam, quam nomina imaginationem faciunt, recedere, & ad ipſam rerum ſubſtantiam ſe conferre, eamque inſpicere debent, & ait. Cùm ergo tam impar nominum impoſitio, ueteribus fuerit, multoq; etiam magis cùm epinyctida, & acrochordona, ideſt penſilem uerrucam, & nyctilopa dicant; primum, quod noctu eſt enatum; alterum, quod ſummam occupat cutim; tertium, quod noctu uiſum aufert. Quibus manifeſtum ſatis fit ipſum ſentire, nyctalope de-

DD 2 tentos,

tentos, noctu nihil uidere. Cuius ſententiæ eſt etiam Celſus libro 6. capite 6. atque Paulus Aegineta libro 3. capite 22. nictalopem eſſe ſcribentes, cùm quis interdiu bene uidet ueſpere, & occidente Sole, minus, atque obtuſius; noctu poſtremo nihil; unde Plinius, cæterique latini, malum ipſum, nocturnam cæcitudinem uocauere.

MANIFESTA *eſt contradictionis enodatio, tum ex Celſi, atque Æginetæ ſententia, ſcribentium, nyctalopem eſſe, cùm quis interdiu bene uidet, ueſpere, & occidente Sole, minus, atque obtuſius, noctu poſtremo nihil; tum etiam magis ex ipſa nominis etymologia νύκταλωψ etenim dictio deriuata, atque deducta eſt παρὰ τὸ ἐν τῇ νυκτὶ ἀλάσθαι, hoc eſt, quia in nocte obcæcatio fiat, ab α. priuatoria particula, & λάειν, quod eſt uidere, & νύξ νυκτὸς, quod nox ſonat, ita vt totum hoc ſignificet, noctu non uidere. Quocirca deprauatum Galeni textum affirmare cogimur in libro Introductorij; quippè qui textum eo pacto ſcriptum reperit, in margine forſitan ea uerba adnotauit, quæ demum in textu repoſita fuere, quæ hoc pacto habent; vel contra, die parum, ueſperi, aut nocte, prorſus nihil. Quare & verbis Hippocratis in libris Prædictionum, dictionem, non, ſuperaddendam eſſe, neceſſariò cenſemus.*

C.

OBSTRVCTIONEM, atque putredinem, ſanguinis miſsione curari nequaquã poſſe,

ſe, his uerbis aſſeruit Galenus libro XI. Therapeutices Methodi cap. 14. docens, quæ ſint illa, quæ ſanguinis miſsionem ſuadeant, prohibeantq́;. Verum quoniam (inquit) nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſsionem poſſunt, ut quæ alia remedia (ceu prius eſt monſtratum) deſiderent, reponi ſanguinis aliquid, ad curationis ſpacium debebit, quo minus intempeſtiue nutrire, neceſsitate ulla cogamur. Cuius oppoſitum præcedenti libro, capite ſecundo, his uerbis expreſsit. Iam uero obſtructionum ipſarum alia eſt, quæ ex abundantia, alia, quæ ex qualitate ſuccorũ; qui ſcilicet aut lenti, aut craſsi ſint, incidit; præferretur autem inter remedia, in ea, quam copia facit, ſanguinis miſsio; in ea, quæ ex humorum qualitate conſiſtit, attenuantium uſus. Aliqua itaque obſtructio, ut quæ ex ſuccorum copia facta eſt, ſanguinis miſsione tollitur, atque curatur, quemadmodum ab ipſo 6. Aphoriſmorum ſectione com. 47. apertiſsime traditum eſt; ſanguinis miſsionem plenitudines tollere affirmans. Idem etiam uoluit libro 9. Therapeutices methodi, capite quarto dum inquit, eos, qui ſynocho, ex ſola putredine laborant, ſanguine miſſo in putridam non incidere. Neque ſecus quoque de ſanguine in obſtructione mittendo & Trallianus, & omnes ferè doctores ſentiunt.

AETIVS *pulcherrime, atque doctiſſime, huic contradictioni ſatisfecit, cùm ſermone 5. capite 71. de venæ ſectione verba faciens, obſtructionem, atque putrefactionem ipſam, per ſolam venæ ſectionem curari minime poſſe dixit, vt quæ alia quoque remedia deſiderent, obſtructio nempe, detergentia, atque incidentia; putredo vero liberam ſpirationem præcipue, cæteraq; quæ eam prohibeant auxilia; non itaque per ſolam ſanguinis detractionem, obſtructio tolli poteſt. Dicendum præterea eſt, duplex cùm ſit obſtructio Galeno auctore, libro 10. Methodi medendi; altera enim ex copia; ex ſuccorum qualitate altera; quam copia efficit, ſanguinis miſſione tollere poſſumus, quemadmodum ibi docuit; quæ vere ex ſuccorum qualitate, craſſitie, lentore'ue prouenit, attenuantibus, detergentibusq; indiget.*

CI.

OCVLORVM glaucedinem, ſiccitatem eſſe, ſcribit, immodicamq; humoris criſtallini concretionem libro 10. de Vſu partium capite 6. Eodem modo & 3. Aphoriſmorum ſectione, com. ultimo, glaucedines ipſas propter immodicam inſtrumentorum ſiccitatem, accidere aſſeruit. Quod etiam tenere uidetur Ariſtoteles libro 5. de Generatione animaliũ capite 1. Secus tamen de ipſa ſenſit in Introductorio medicorum, ita inquiens γλαύκωσις, eſt humoris, quem græci κρυςαλλοειδῆ uocant, in album, atque aqueum colorem mutatio;

ubi non ſiccitatem, neque immodicam humoris criſtallini, ipſorum'ue inſtrumentorum cõcretionem, ſed humoris ipſius in album, aqueumque colorem, mutationem eſſe uoluit.

Ocvlorvm *glaucedinem, quæ* γλαύκωμα, *καὶ ἀμαύρωσις græce dicitur, ſiccitatem profectò, immodicamq́ criſtallini humoris concretionem eſſe conſtat, quemadmodum & libro* 10. *de Uſu partium, &* 3. *Aphoriſmorum ſectione, ſcriptum reliquit. Quod etiam Ariſtoteles confirmauit libro* 5. *de Generatione animalium capite* 1. *glaucedinem, oculorum ſiccitatem, atque imbecillitatem eſſe aſſeuerans, quandoquidem (inquit) & ſeneſcentibus magis euenit, quoniam oculi, haud ſecus ac reliquum corpus, ſenectute ſicceſcunt. Et licet diuerſam ſententiam in Introductorio medicorũ habuiſſe videatur Galenus, glaucedinem, criſtallini humoris mutationem in album, atque aqueum humorem eſſe ſcribens, non propterea tamen diuerſa ſenſit, neque criſtallinum humorem alienam induere ſubſtantiam; atque aquoſiorem, humidioremq́, vel liquidiorem ſeipſo fieri voluit, ſed qualitatem tantum, hoc eſt colorem, propter ſui concretionem, ariditatemq́ euariare aſſeruit, candidioremq́, quàm prius erat propter ſiccitatem reddi; concreſcit quippe, ſicciorq́ redditur in glaucedine, qui criſtallinum ipſum & continet, & alit humor. Amplius glaucedines ipſæ Aëtio teſte libro* 7. *capite quinquageſimo, bifariam accipiuntur; proprie videlicet, & improprie; atque proprie qui-*

dem, nil aliud glaucedinem eſſe voluit; niſi criſtallini humoris ad glaucum colorem tranſmutationem, arefactionem atque concretionem. Improprie vero, glaucedo eſt (inquit) quæ ex præcedenti fit ſuffuſione, humore ſcilicet in pupilla vehementiſſime concreto, & arefacto, quare dicere poſſumus, ipſum, de glaucedine proprie dicta in libris de Uſu partium, atque in Aphoriſmis ſermonem habuiſſe, quæ criſtallini ipſius humoris arefactio eſt, atque concretio; de ea vero, quæ improprie glaucedo eſt, & quæ ex præcedenti ſuffuſione fit in libro Introductorij. Rurſus, duplicem quoque Galenus conſtituit oculorum glaucedinem libro 1. de Locis affectis. alteram arefacto immodice humore, quem criſtalloidem vocant, quæ perſeuerãs eſt noxa, & eſſentiæ ipſius proprius affectus; alteram, cùm craſſus humor in pupilla conſtiterit, in qua eſſentia quidem nondum læditur, verum accidentis cauſa in oculo ipſo continetur; propterea incongruum non eſt, neque abſurdum, Galenum, diuerſimode de ipſa quandoque diuerſis in locis loquutum fuiſſe.

CII.

OCVLOS nigros habentes, frigidos eſſe tẽperamẽto autumat libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 2. com. 19. ſic inquiens. Nanque glabros, & qui cute ſunt albida, item qui capillis rectis, capillis nigris, nigris oculis, & qui domi in ocio, inertem uitam egerunt, oſtendimus cùm in alijs commentarijs,

tijs, tum in his, quæ de Temperamentis conſcripſimus, minus digerere habitum, quod frigidiore ſint temperamento. Cuius contrarium aſſeruit libro 3. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 70. oculorum colores, temperaturam totius, minime indicare poſſe affirmãs, his uerbis. Præterea de cæſiis, ſemelq; de oculorum coloribus, in commentarijs de Temperamentis didiciſti, non eſſe exiſtimandum pro certo, ex tali ſigno, de totius temperatura corporis, niſi ſolorum oculorum: id autem ſcriptum ab eo fuit libro 2. de Temperamentis. Dum etenim ibi, quoſdam argueret, qui ex unius particulæ temperamento, de omnibus pronũtiare auſi fuere, plurimaq; de oculis ſcripſerit; hæc demum ſubdidit. Præſtat igitur, ſi quidem de ſolo agitur naſo, ut ex eo reſimo, humiditatem; ex eo adunco ſiccitatem coniectes, nec de totius animantis temperie, ex his particulis pronunties. Pari modo oculorum, & alterius cuiuſlibet partis, proprium temperamentum, ex propriis indiciis æſtimare eſt ſatius; non de totius corporis temperie ab una quapiam particula indicium ſumi: nam ſiue humoris uincentis, ſiue caloris, ſiue etiam amborum, cæſios oculos indicium ſtatuere oportet, utique illorum proprium ſic, non omnium totius corporis partium temperamenti, documentum erunt. Quocirca ex oculorum

rum colore, de uniuerſi corporis temperata, nequaquam arguere fas eſt; licet ex ipſorum robore, totius corporis robur ſignificare ualeamus, quemadmodum teſtatur Hippocrates libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 4. textu 28.

GALENVS *libro 2. de Temperamentis, ineundam nobis de temperamẽtis conſiderationem eſſe docet, vnamquanque particulam ſeorſum perpendentibus, non auſis ex vna, de omnibus pronuntiare; quod vtique (ait) nonnulli fecere, qui reſimos humidos; aduncos, ſiccos eſſe dixerunt; & quibus parui ſunt oculi, ſiccos, quibus magni, humidos. Quæ re licet Galenus libro 4. de Tuenda valetudine, non longe à principio, atque alibi frequentiſſime colorem corporis, à ſucco ſuperante fieri uoluerit; oculorum tamen colores, quemadmodum & magnitudo, & paruitas, totius corporis temperaturam uere, ac perfecte non declarant; ſed ipſorum tantum oculorum, quemadmodum libro 3. de Morbis uulgaribus aperte teſtatus eſt. Verum enimuero contingit aliquando, vt qui frigido ſunt temperamento, nigros oculos habeant, atque capillos nigros, cæteraq; quæ ibi Galenus commemorat; idcirco propoſitio 1. Epidemiorum libro ſcripta, ita potius intelligenda eſt, vt frigida corporis temperies, nigros reddat oculos; non è contrario, nigros qui habent oculos, frigidiori ſint temperamento, quemadmodum Ariſtoteles apertiſſime oſtendit 10. Problematum ſectione, problemate*

blemate 13. quærens; cur albi tam homines, quàm equi, oculis magna ex parte cæſiis ſint, atque reſpondet; quia oculi colores, corporis totius colorem, conſequuntur. Quod etiam affirmauit libro 2. de hiſtoria animalium capite XI. Licet itaque oculorum colores, nos, de uniuerſi temperatura corporis, non uere admoneant; contingit tamen frequentius, vt ex ipſorum coloribus, ipſorum quoque robur, infirmitasq́;, atque cum ipſis ſimul etiam totius corporis robur eluceſcat; qui nanque ſquallidi, decoloresq́; ſunt, imbecillitatem ſuam arguunt; quemadmodum, qui florido colore uigent, ſplendidoq́; humore affluunt, robur. Et qui bene colorati ſunt, totum corpus bene ſe habere ſignificant, turpi autem aliquo colore inquinati, illico, & vniuerſum ipſum, læſum eſſe indicant; celerius nempe in ipſis, quàm in cæteris partibus colorum mutatio, ab affecto aliquo modo corpore, ob eorum munditiam, nitoremq́; conſpicitur. Robur itaque, imbecillitatemq́; corporis, non temperamentum indicabunt oculorum colores. Quare fortaſſe & Hippocrates libro 6. Epidemiorum Com. 4. tract. 28. Oculi, vt valent (ſcripſit) ita etiam corpus; & color in deterius aut melius labitur.

CIII.

OCVLORVM quattuor tantum eſſe motus ſcripſit libro 10. de Vſu partium, circa libri medium. Libro tamen 4. de Locis affectis capite 1. ſex ipſorum motus poſuit. Quod etiam

etiam in libro de anatomia oculorum ſenſiſſe uiſus eſt; atque in libello de anatomia uiuorũ, ubi de oculorum anatome agens, oculorum ſex muſculos, qui ſex ipſorum motibus inſeruire debent, enumerauit. Amplius quoque, ipſos muſculos oculorum, non ſenario tantum numero, ſed ſeptenario deſcripſit libro 10. de Vſu partium, atque in libello de oculis. Quare cùm muſculi, motus inſtrumenta ſint, ſeptemq; ponantur oculorum muſculi, totidem etiam, non quatuor tantum eorum motus, ex eius placitis recenſendi, credendique à nobis erunt.

QVATVOR *proculdubio ſunt, vel etiam ſex, ſeptem'ue adhuc eſſe poſſunt oculorum motus; quatuor tamen ſoli dicantur eſſe, quemadmodum ſcriptum reliquit libro 10. de Vſu partium, ſi rectos tantum ipſorum motus, intelligamus: quemadmodum ab ipſo declaratum eſt in libro de muſculorum motu, ubi ita habet. Oculorum motus ſunt quatuor, & quatuor rectos obtinent motus; uerum quia & diſtorqueri, atque in girum uerti poſſunt, & ſurſum, ac deorſum moueri, idcirco & ſex, ſeptem'ue merito eſſe poſſunt, veluti diuerſis aſſeruit locis. Quatuor itaque tantum erunt, recti oculorum motus muſculiq́; quatuor, his ſubſeruientes; quorum uis eſt, ſurſum mouere, deorſum, ad maiorem, minorẽ'ue angulum. Duo praeterea oblique poſiti, qui oculum circumferunt; & ſeptimus praeter hos, qui obticum*

obuoluit

obuoluit neruum, ne qui tener, & mollis eſt, uehementer concuſſus; laxetur, atque fortaſſe decidat, quod in illius paralyſi obuenire frequentius ſolet.

CIIII.

OLEVM ſimplex, conuulſionibus non magnopere uel prodeſſe, uel nocumento eſſe poſſe ſcripſit libro 2. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 22. ubi oſtendit, oleum ex eorum eſſe numero, quæ nos ex æquo excalfaciunt, inquiens. Proinde mihi uiſum eſt, neque conuulſiones, neque tremores, neque ſenſum, tum difficilem, tum deperditum magnopere aut iuuare, aut lædere. Contraria huic dicto communis eſt ſententia, & uſus, cùm oleo, conuulſionibus in ipſis, magno ægrotantium utamur commodo, tum partes fouendo, tum ipſos etiã quandoque ægros, in uaſe olei pleno, immergentes.

GALENI *ſententia, ne ambigua, paradoxosq́; nobis uideatur, ita ipſius uerba ex libro 2. de Simplici medicina, intelligenda ſunt, vt oleum ſimplex, conuulſiones eas, non magnopere iuuare dicatur, quæ à neruorum ortæ ſunt repletione, impinguat nẽpe oleum, nouoq́; humore neruos replet; quæ autem ex repletione ortæ ſunt cõuulſiones, ſiccitate, atque euacuatione curantur. Neque pariter tremoribus, partibus'ue his, quæ vel difficilem, vel etiam deperditum obtinent ſenſum, ualde prodeſſe poteſt oleum; ſuccorum quippè humorisq́; copia, neruoſis imbibita, infixaq́;*

fixaq́ partibus, ſenſum aboleuit. Quod contrario, commodi aliquid his præſtare poterit, qui à ſiccitate, vel etiam ab inanitione, conuulſionibus detinentur. Conuulſiones itaque illas, non magnopere iuuabit oleum, quæ à repletione ſunt; non lædet pariter eas, quæ à ſiccitate, vel inanitione ortum traxerint.

CV.

OLEVM adſtringens, hebetando acrimoniam, ijs, qui acria, ac mordacia per aluum excernunt, prodeſſe ſcribit lib. 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 36. ubi agit, quod perperam Herodotus, ac Dioſcorides, quæcunque aut profluuijs, aut dyſenterijs mederentur, adſtringentia cenſerent. Cuius tamen contrarium habet lib. ſecundo eiuſdem capite XI. ubi agens, quod ut quis de olei facultate probè ratiocinetur, debeat etiam affectionem hominis æſtimare, & de oleo quale ſit præfinire; in huiuſcemodiq; acribus excretionibus, non adſtringens oleũ, ſed quàm dulciſsimum eſſe oportere aſſeruit.

VIDE *pro hac Contradictione, quæ ſuperius ſcripta ſunt. ubi expoſitum eſt. Excernentibus acria, mordaciaq́, &c.*

CVI.

OSSA parua, nullam habere medullam aſſeruit libro XI. de uſu partium, ubi de oſſe inferioris maxillæ loquutus eſt, his uerbis. Ordien-

Ordiendum igitur nobis ab eo eſt, quod euidentiſsime in omnibus animalibus conſpicitur, quod nullum paruum os medullam habet, quod, ſinum nullum habeat commemorabilē, ac magnum, ſed cauernulas duntaxat, easque exiles, atque anguſtas. Cuius contrarium poſuit libro 3. de Facultatibus naturalibus in calce, oſſa parua, cauernulas habere ſcribens, in quibus medulla, qua nutriuntur, continetur. Quod etiam facillime ex eiuſdemmet uerbis 5. Aphoriſmorum ſectione com. 39. elicere poſſumus, quibus habet illud, oſsium alimentum eſſe, quod in cauernis paruorum continetur, uel medulla in magnis. Quare, & libro de inæquali intemperie, capite 2. & libro 3. de Facultatibus naturalibus in calce ſcriptū nobis reliquit talē eſſe medullam oſsibus, qualis eſt carnibus, ſanguis.

Si fidem Galeno hoc ipſo loco, libro uidelcet 11. de Vſu partium, atque Ariſtoteli pluribus in locis praſtare uoluerimus; oſſa parua nullam vtique medullam habere, dicendum eſſet. Ariſtoteles nanque libro 3. de hiſtoria animalium capite ſeptimo, & uigeſimo; & libro 2. de Partibus animalium capite quinto, medullam ſingulis oſſibus, nequaquam ineſſe, apertiſſime ſcripſit, leonis exemplo, qui ſolidis adeo conſtat oſſibus, durisq; adeo, vt ex ipſis concuſſis, ignis, velut à ſalice elidatur. Quam ſententiam Auicenna quoque amplexus eſt prima primi doct. 6. ca-

6. capite de anatomia digitorum; digitorum oſſa, dura, ab ipſa natura creata eſſe aſſerens, ſolidaq́ꝫ, & abſque concauitate, ac medulla; quo in ſuis motibus ualidiora, & leuiora eſſent. Verum cum Galenus, ipſorum quædam; quandoque, medulla deſtituta eſſe ſcribat; quandoque medulloſa cuncta eſſe aſſerat; quo uerborum ſuorum tollatur contradictio dicamus, duplicem in oſſibus reperiri medullam, quarum altera craſſior eſt, tenuior altera; illa, oſſium alimentum exiſtit; hac, ea potiſſimum de cauſa à natura facta fuit, vt oſſa humectarentur, ne cōtinuo exſiccarentur motu. Dum itaque libro 11. de Vſu partium, parua oſſa, medulla, carere ſcripſit, intelligamus, exigua oſſa, medullam, non qualem, magna in ſe continere, quippe quæ notabili, amplaq́ꝫ cauitate deſtituta ſint; talem tamen, tantamq́ꝫ ijs etiam largitam eſſe naturam, quæ ſatis ſibi pro ſui nutrimento ſit; materies etenim quædam in ipſis conſpicitur, quæ liquidi humoris ſpeciem oſtendit; à ſanguine enim primo deducitur, mox ab illius natura deficit; ſenſimq́ꝫ mutata, in oſſium naturā tandem cō uertitur; quæ vero, maiores implet oſſium cauitates, quamquam ſolidior ſit, alimentum tamen oſſium eſt, à natura, ipſis ab initio congenitum; propter ea quod oſſis ſolitas non facile ſinit aliud extrinſecus commeare; quæ longo tempore præparationem accipiens, con creſcit, atque albeſcit, quemadmodum declarat ipſe libro 3. de Facultatibus naturalibus, in calce, ita ſcribens. Qualis carnibus ſanguis; talis, oſſibus,

eſt

eſt medulla, in iis ſcilicet, quæ parua ſunt, ſinusq́ ex-pertia, cauernulis eorum inſperſa; in magnis uero, & in quibus ſinus ſunt, utique in ipſis collecta. Oſſa itaque quæuis, tam exigua, quàm magna, medullam eam, qua nutriuntur, habere, atque medulloſa cunćta eſſe fateamur oportet, paruo illo oſſiculo excepto, quod ſub talo eſt, quodq́ Arabes in die iudicij, ſeruari incorruptum dicunt, ipſisq́ aurium oſſibus. Nam leonis etiam oſſa, licet aliorum animalium cõparatione, robuſta, ac maxima ſolida eſſe dicantur; atque medulla deſtituta eſſe uideantur; exiguam tamen & ipſa, atque perobſcuram continent, Ariſtotelis teſtimonio libro 2. de Partibus animalium capite ſexto.

CVII.

PHLEGMONIBVS in ipſis, ſanguinem mittendum eſſe ſuadet, ſi uires ualidæ ſint; ſin autẽ ſanguinis miſsionẽ timeat, uel imbecillis ſit æger, tum in diuerſa reuellendum, tum per propinqua deriuandum eſſe ſcribit libro 12. Methodi medendi capite octauo. Secus tamen ſentiendum uidetur, quandoquidem reuulſio ipſa, licet per cucurbitularum appoſitionem, abſque ſanguinis detractione, quoquo pacto fieri ualeat; qua tamen ratione, deriuatio per propinqua, abſque ipſa ſanguinis miſsione, fieri poſsit, neſcio. Quod ſi abſque ea perfici, atque adimpleri minime queat, ſi ſanguinis miſsionem uerentur ægri; neque de

tentos, noctu nihil uidere. Cuius ſententiæ eſt etiam Celſus libro 6. capite 6. atque Paulus Aegineta libro 3. capite 22. nictalopem eſſe ſcribentes, cùm quis interdiu bene uidet ueſpere, & occidente Sole, minus, atque obtuſius; noctu poſtremo nihil; unde Plinius, cæterique latini, malum ipſum, nocturnam cæcitudinem uocauere.

Manifesta *eſt contradictionis enodatio, tum ex Celſi, atque Æginetæ ſententia, ſcribentium, nyctalopem eſſe, cùm quis interdiu bene uidet, ueſpere, & occidente Sole, minus, atque obtuſius, noctu poſtremo nihil; tum etiam magis ex ipſa nominis etymologia νύκταλωψ etenim dictio deriuata, atque deducta eſt παρὰ τὸ ἐν τῇ νυκτὶ ἀλάεσθαι, hoc eſt, quia in nocte obcæcatio fiat, ab α. priuatoria particula, & λάειν, quod eſt uidere, & νύξ νυκτὸς, quod nox ſonat, ita ut totum hoc ſignificet, noctu non uidere. Quocirca deprauatum Galeni textum affirmare cogimur in libro Introductorij; quippè qui textum eo pacto ſcriptum reperit, in margine forſitan ea uerba adnotauit, quæ demum in textu repoſita fuere, quæ hoc pacto habent; vel contra, die parum, veſperi, aut nocte, prorſus nihil. Quare & verbis Hippocratis in libris Prædictionum, dictionem, non, ſuperaddendam eſſe, neceſſariò cenſemus.*

C.

OBSTRVCTIONEM, atque putredinem, ſanguinis miſsione curari nequaquã poſſe,

ſe, his uerbis aſſeruit Galenus libro XI. Therapeutices Methodi cap. 14. docens, quæ ſint illa, quæ ſanguinis miſsionem ſuadeant, prohibeantq;. Verum quoniam (inquit) nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſsionem poſſunt, ut quæ alia remedia (ceu prius eſt monſtratum) deſiderent, reponi ſanguinis aliquid, ad curationis ſpacium debebit, quo minus intempeſtiue nutrire, neceſsitate ulla cogamur. Cuius oppoſitum præcedenti libro, capite ſecundo, his uerbis expreſsit. Iam uero obſtructionum ipſarum alia eſt, quæ ex abundantia, alia, quæ ex qualitate ſuccorũ; qui ſcilicet aut lenti, aut craſsi ſint, incidit; præferretur autem inter remedia, in ea, quam copia facit, ſanguinis miſsio; in ea, quæ ex humorum qualitate conſiſtit, attenuantium uſus. Aliqua itaque obſtructio, ut quæ ex ſuccorum copia facta eſt, ſanguinis miſsione tollitur, atque curatur, quemadmodum ab ipſo 6. Aphoriſmorum ſectione com. 47. apertiſsime traditum eſt; ſanguinis miſsionem plenitudines tollere affirmans. Idem etiam uoluit libro 9. Therapeutices methodi, capite quarto dum inquit, eos, qui ſynocho, ex ſola putredine laborant, ſanguine miſſo in putridam non incidere. Neque ſecus quoque de ſanguine in obſtructione mittendo & Trallianus, & omnes ferè doctores ſentiunt.

AETIVS pulcherrime, atque doctiſſime, huic contradictioni ſatisficit, cum ſermone 5. capite 71. de venæ ſectione verba faciens, obſtructionem, atque putrefactionem ipſam, per ſolam venæ ſectionem curari minime poſſe dixit, vt quæ alia quoque remedia deſiderent, obſtructio nempe, detergentia, atque incidentia; putredo vero liberam ſpirationem præcipue, cæteraq; quæ eam prohibeant auxilia; non itaque per ſolam ſanguinis detractionem, obſtructio tolli poteſt. Dicendum præterea eſt, duplex cum ſit obſtructio Galeno auctore, libro 10. Methodi medendi; altera enim ex copia; ex ſuccorum qualitate altera; quam copia efficit, ſanguinis miſſione tollere poſſumus, quemadmodum ibi docuit, quæ vere ex ſuccorum qualitate, craſſitie, lentore'ue prouenit, attenuantibus, detergentibusq; indiget.

CI.

OCVLORVM glaucedinem, ſiccitatem eſſe, ſcribit, immodicamq; humoris criſtallini concretionem libro 10. de Vſu partium capite 6. Eodem modo & 3. Aphoriſmorum ſectione, com. ultimo, glaucedines ipſas propter immodicam inſtrumentorum ſiccitatem, accidere aſſeruit. Quod etiam tenere uidetur Ariſtoteles libro 5. de Generatione animaliũ capite 1. Secus tamen de ipſa ſenſit in Introductorio medicorum, ita inquiens γλαύκωσις, eſt humoris, quem græci κρυσαλλοιδῆ uocant, in album, atque aqueum colorem mutatio; ubi

ubi non ſiccitatem, neque immodicam humoris criſtallini, ipſorum'ue inſtrumentorum cõcretionem, ſed humoris ipſius in album, aqueumque colorem, mutationem eſſe uoluit.

OCVLORVM *glaucedinem, quæ* γλαύκωμα, *καὶ ἀμαύρωσις græce dicitur, ſiccitatem profectò, immodicamq; criſtallini humoris concretionem eſſe conſtat, quemadmodum & libro* 10. *de Uſu partium, &* 3. *Aphoriſmorum ſectione, ſcriptum reliquit. Quod etiam Ariſtoteles confirmauit libro* 5. *de Generatione animalium capite* 1. *glaucedinem, oculorum ſiccitatem, atque imbecillitatem eſſe aſſeuerans, quandoquidem (inquit) & ſeneſcentibus magis euenit, quoniam oculi, haud ſecus ac reliquum corpus, ſenectute ſicceſcunt. Et licet diuerſam ſententiam in Introductorio medicorũ habuiſſe videatur Galenus, glaucedinem, criſtallini humoris mutationem in album, atque aqueum humorem eſſe ſcribens, non propterea tamen diuerſa ſenſit, neque criſtallinum humorem alienam induere ſubſtantiam; atque aquoſiorem, humidioremq;, vel liquidiorem ſeipſo fieri voluit, ſed qualitatem tantum, hoc eſt colorem, propter ſui concretionem, ariditatemq; euariare aſſeruit, candidioremq;, quàm prius erat propter ſiccitatem reddi; concreſcit quippe, ſicciorq; redditur in glaucedine, qui criſtallinum ipſum & continet, & alit humor. Amplius glaucedines ipſæ Aëtio teſte libro* 7. *capite quinquageſimo, bifariam accipiuntur; proprie videlicet, & improprie; atque proprie qui-*

dem, nil aliud glaucedinem eſſe voluit, niſi criſtallini humoris ad glaucum colorem tranſmutationem, arefactionem atque concretionem. Improprie vero, glaucedo eſt (inquit) quæ ex præcedenti fit ſuffuſione, humore ſcilicet in pupilla vehementiſſime concreto, & arefacto, quare dicere poſſumus, ipſum, de glaucedine proprie dicta in libris de Uſu partium, atque in Aphoriſmis ſermonem habuiſſe, quæ criſtallini ipſius humoris arefactio eſt, atque concretio; de ea vero, quæ improprie glaucedo eſt, & quæ ex præcedenti ſuffuſione fit in libro Introductorij. Rurſus, duplicem quoque Galenus conſtituit oculorum glaucedinem libro 1. de Locis affectis. alteram arefacto immodice humore, quem criſtalloidem vocant, quæ perſeuerãs eſt noxa, & eſſentiæ ipſius proprius affectus; alteram, cùm craſſus humor in pupilla conſtiterit, in qua eſſentia quidem nondum læditur, verum accidentis cauſa in oculo ipſo continetur; propterea incongruum non eſt, neque abſurdum, Galenum, diuerſimode de ipſa quandoque diuerſis in locis loquutum fuiſſe.

CII.

OCVLOS nigros habentes, frigidos eſſe tẽperamẽto autumat libro 1. de Morbis uulgaribus Com. 2. com. 19. ſic inquiens. Nanque glabros, & qui cute ſunt albida, item qui capillis rectis, capillis nigris, nigris oculis, & qui domi in ocio, inertem uitam egerunt, oſtendimus cùm in alijs commentarijs,

rijs, tum in his, quæ de Temperamentis conſcripſimus, minus digerere habitum, quod frigidiore ſint temperamento. Cuius contrarium aſſeruit libro 3. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 70. oculorum colores, temperaturam totius, minime indicare poſſe affirmās, his uerbis. Præterea de cæſiis, ſemelq; de oculorum coloribus, in commentarijs de Temperamentis didiciſti, non eſſe exiſtimandum pro certo, ex tali ſigno, de totius temperatura corporis, niſi ſolorum oculorum: id autem ſcriptum ab eo fuit libro 2. de Temperamentis. Dum etenim ibi, quoſdam argueret, qui ex unius particulæ temperamento, de omnibus pronūtiare auſi fuere, plurimaq; de oculis ſcripſerit; hæc demum ſubdidit. Præſtat igitur, ſi quidem de ſolo agitur naſo, ut ex eo reſimo, humiditatem; ex eo adunco ſiccitatem coniectes, nec de totius animantis temperie, ex his particulis pronunties. Pari modo oculorum, & alterius cuiuſlibet partis, proprium temperamentum, ex propriis indiciis æſtimare eſt ſatius; non de totius corporis temperie ab una quapiam particula indicium ſumi: nam ſiue humoris uincentis, ſiue caloris, ſiue etiam amborum, cæſios oculos indicium ſtatuere oportet, utique illorum proprium ſic, non omnium totius corporis partium temperamenti, documentum erunt. Quocirca ex oculorum

rum colore, de uniuerſi corporis temperata, nequaquam arguere fas eſt; licet ex ipſorum robore, totius corporis robur ſignificare ualeamus, quemadmodum teſtatur Hippocrates libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 4. textu 28.

11 GALENVS *libro 2. de Temperamentis, ineundam nobis de temperamētis conſiderationem eſſe docet, vnamquanque particulam ſeorſum perpendentibus, non auſis ex vna, de omnibus pronuntiare; quod vtique (ait) nonnulli fecere, qui reſimos humidos; aduncos, ſiccos eſſe dixerunt; & quibus parui ſunt oculi, ſiccos, quibus magni, humidos. Qua re licet Galenus libro 4. de Tuenda valetudine, non longe à principio, atque alibi frequentiſſime colorem corporis, à ſucco ſuperante fieri uoluerit; oculorum tamen colores, quemadmodum & magnitudo, & paruitas, totius corporis temperaturam uere, ac perfectè non declarant; ſed ipſorum tantum oculorum, quemadmodum libro 3. de Morbis uulgaribus aperte teſtatus eſt. Verum enimuero contingit aliquando, vt qui frigido ſunt temperamento, nigros oculos habeant, atque capillos nigros, cæteraq; quæ ibi Galenus commemorat; idcirco propoſitio 1. Epidemiorum libro ſcripta, ita potius intelligenda eſt, vt frigida corporis temperies, nigros reddat oculos; non è contrario, nigros qui habent oculos, frigidiori ſint temperamento, quemadmodum Ariſtoteles apertiſſime oſtendit 10. Problematum ſectione, pro-*

blemate

blemate 13. quærens; cur albi tam homines, quàm equi, oculis magna ex parte cæſiis ſint, atque reſpondet; quia oculi colores, corporis totius colorem, conſequuntur. Quod etiam affirmauit libro 2. de hiſtoria animalium capite XI. Licet itaque oculorum colores, nos, de uniuerſi temperatura corporis, non uere admoneant; contingit tamen frequentius, vt ex ipſorum coloribus, ipſorum quoque robur, infirmitasq́; atque cum ipſis ſimul etiam totius corporis robur elucefcat; qui nanque ſquallidi, decoloresq́; ſunt, imbecillitatem ſuam arguunt; quemadmodum, qui florido colore uigent, ſplendidoq́; humore affluunt, robur. Et qui bene colorati ſunt, totum corpus bene ſe habere ſignificant, turpi autem aliquo colore inquinati, illico, & vniuerſum ipſum, læſum eſſe indicant; celerius nempe in ipſis, quàm in cæteris partibus colorum mutatio, ab affecto aliquo modo corpore, ob eorum munditiam, nitoremq́; conſpicitur. Robur itaque, imbecillitatemq́; corporis, non temperamentum indicabunt oculorum colores. Quare fortaſſe & Hippocrates libro 6. Epidemiorum Com. 4. tract. 28. Oculi, vt valent (ſcripſit) ita etiam corpus; & color in deterius aut melius labitur.

CIII.

OCVLORVM quattuor tantum eſſe motus ſcripſit libro 10. de Vſu partium, circa librimedium. Libro tamen 4. de Locis affectis capite 1. ſex ipſorum motus poſuit. Quod

etiam in libro de anatomia oculorum ſenſiſſe uiſus eſt; atque in libello de anatomia uiuorũ, ubi de oculorum anatome agens, oculorum ſex muſculos, qui ſex ipſorum motibus inſeruire debent, enumerauit. Amplius quoque, ipſos muſculos oculorum, non ſenario tantum numero, ſed ſeptenario deſcripſit libro 10. de Vſu partium, atque in libello de oculis. Quare cùm muſculi, motus inſtrumenta ſint, ſeptemq́; ponantur oculorum muſculi, totidem etiam, non quatuor tantum eorum motus, ex eius placitis recenſendi, credendique à nobis erunt.

QVATVOR *proculdubio ſunt, vel etiam ſex, ſeptem'ue adhuc eſſe poſſunt oculorum motus; quatuor tamen ſoli dicantur eſſe, quemadmodum ſcriptum reliquit libro* 10. *de Vſu partium, ſi rectos tantum ipſorum motus, intelligamus: quemadmodum ab ipſo declaratum eſt in libro de muſculorum motu, ubi ita habet. Oculorum motus ſunt quatuor, & quatuor rectos obtinent motus; uerum quia & diſtorqueri, atque in girum uerti poſſunt, & ſurſum, ac deorſum moueri, idcirco & ſex, ſeptem'ue meritò eſſe poſſunt, veluti diuerſis aſſeruit locis. Quatuor itaque tantum erunt, recti oculorum motus muſculiq́; quatuor, his ſubſeruientes; quorum uis eſt, ſurſum mouere, deorſum, ad maiorem, minorē'ue angulum. Duo præterea obliquè poſiti, qui oculum circumferunt; & ſeptimus præter hos, qui obticum*

obuoluit

obuoluit neruum, ne qui tener, & mollis eſt, uehementer concuſſus, laxetur, atque fortaſſe decidat, quod in illius paralyſi obuenire frequentius ſolet.

CIIII.

OLEVM ſimplex, conuulſionibus non magnopere uel prodeſſe, uel nocumento eſſe poſſe ſcripſit libro 2. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 22. ubi oſtendit, oleum ex eorum eſſe numero, quæ nos ex æquo excalfaciunt, inquiens. Proinde mihi uiſum eſt, neque conuulſiones, neque tremores, neque ſenſum, tum difficilem, tum deperditum magnopere aut iuuare, aut lædere. Contraria huic dicto communis eſt ſententia, & uſus, cùm oleo, conuulſionibus in ipſis, magno ægrotantium utamur commodo, tum partes fouendo, tum ipſos etiã quandoque ægros, in uaſe olei pleno, immergentes.

GALENI *ſententia, ne ambigua, paradoxosq́ nobis uideatur, ita ipſius uerba ex libro 2. de Simplici medicina, intelligenda ſunt, vt oleum ſimplex, conuulſiones eas, non magnopere iuuare dicatur, quæ à neruorum ortæ ſunt repletione, impinguat nẽpe oleum, nouoq́ humore neruos replet; quæ autem ex repletione ortæ ſunt cõuulſiones, ſiccitate, atque euacuatione curantur. Neque pariter tremoribus, partibus'ue his, quæ vel difficilem, vel etiam deperditum obtinent ſenſum, ualde prodeſſe poteſt oleum; ſuccorum quippè humorisq́ copia, neruoſis imbibita, infixaq́*

fixaq; partibus, ſenſum aboleuit. Quod contrario, commodi aliquid his præſtare poterit, qui à ſiccitate, vel etiam ab inanitione, conuulſionibus detinentur. Conuulſiones itaque illas, non magnopere iuuabit oleum, quæ à repletione ſunt; non lædet pariter eas, quæ à ſiccitate, vel inanitione ortum traxerint.

CV.

OLEVM adſtringens, hebetando acrimoniam, ijs, qui acria, ac mordacia per aluum excernunt, prodeſſe ſcribit lib. 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 36. ubi agit, quod perperam Herodotus, ac Dioſcorides, quæcunque aut profluuijs, aut dyſenterijs mederentur, adſtringentia cenſerent. Cuius tamen contrarium habet lib. ſecundo eiuſdem capite XI. ubi agens, quod ut quis de olei facultate probè ratiocinetur, debeat etiam affectionem hominis æſtimare, & de oleo quale ſit præfinire; in huiuſcemodiq; acribus excretionibus, non adſtringens oleũ, ſed quàm dulciſsimum eſſe oportere aſſeruit.

VIDE *pro hac Contradictione, quæ ſuperius ſcripta ſunt. ubi expoſitum eſt. Excernentibus acria, mordaciaq; &c.*

CVI.

OSSA parua, nullam habere medullam aſſeruit libro XI. de uſu partium, ubi de oſſe inferioris maxillæ loquutus eſt, his uerbis.

Ordien-

Ordiendum igitur nobis ab eo eſt, quod euidentiſsime in omnibus animalibus conſpicitur, quod nullum paruum os medullam habet, quod, ſinum nullum habeat commemorabilē, ac magnum, ſed cauernulas duntaxat, easque exiles, atque anguſtas. Cuius contrarium poſuit libro 3. de Facultatibus naturalibus in calce, oſſa parua, cauernulas habere ſcribens, in quibus medulla, qua nutriuntur, continetur. Quod etiam facillime ex eiuſdemmet uerbis 5. Aphoriſmorum ſectione com. 39. elicere poſſumus, quibus habet illud, oſsium alimentum eſſe, quod in cauernis paruorum continetur, uel medulla in magnis. Quare, & libro de inæquali intemperie, capite 2. & libro 3. de Facultatibus naturalibus in calce ſcriptū nobis reliquit talē eſſe medullam oſsibus, qualis eſt carnibus, ſanguis.

S i *fidem Galeno hoc ipſo loco, libro uidelcet* 11. *de Uſu partium, atque Ariſtoteli pluribus in locis praſtare uoluerimus; oſſa parua nullam vtique medullam habere, dicendum eſſet. Ariſtoteles nanque libro* 3. *de hiſtoria animalium capite ſeptimo, & uigeſimo; & libro* 2. *de Partibus animalium capite quinto, medullam ſingulis oſſibus, nequaquam ineſſe, apertiſſime ſcripſit, leonis exemplo, qui ſolidis adeo conſtat oſſibus, durisq; adeo, vt ex ipſis concuſſis, ignis, velut à ſalice elidatur. Quam ſententiam Auicenna quoque amplexus eſt prima primi doct.*

6. ca-

eſt medulla, in iis ſcilicet, quæ parua ſunt, ſinusq́ expertia, cauernulis eorum inſperſa; in magnis uero, & in quibus ſinus ſunt, utique in ipſis collecta. Oſſa itaque quæuis, tam exigua, quàm magna, medullam eam, qua nutriuntur, habere, atque medulloſa cuncta eſſe fateamur oportet, paruo illo oſſiculo excepto, quod ſub talo eſt, quodq́ Arabes in die iudicii, ſeruari incorruptum dicunt, ipſisq́ aurium oſſibus. Nam leonis etiam oſſa, licet aliorum animalium cõparatione, robuſta, ac maxima ſolida eſſe dicantur; atque medulla deſtituta eſſe uideantur; exiguam tamen & ipſa, atque perobſcuram continent, Ariſtotelis teſtimonio libro 2. de Partibus animalium capite ſexto.

CVII.

PHLEGMONIBVS in ipſis, ſanguinem mittendum eſſe ſuadet, ſi uires ualidæ ſint; ſin autẽ ſanguinis miſsionẽ timeat, uel imbecillis ſit æger, tum in diuerſa reuellendum, tum per propinqua deriuandum eſſe ſcribit libro 12. Methodi medendi capite octauo. Secus tamen ſentiendum uidetur, quandoquidem reuulſio ipſa, licet per cucurbitularum appoſitionem, abſque ſanguinis detractione, quoquo pacto fieri ualeat; qua tamen ratione, deriuatio per propinqua, abſque ipſa ſanguinis miſsione, fieri poſsit, neſcio. Quod ſi abſque ea perfici, atque adimpleri minime queat, ſi ſanguinis miſsionem uerentur ægri; neque de

riuatio ijs facienda eſt, cùm hæc quoque non abſque ſanguinis miſsione fieri ualeat.

GALENVS *libro quinto de Tuenda valetudine in calce, vbi de calidis & humidis naturis verba facit, aliam profectò, quàm libro duodecimo Methodi, habuit ſententiam; illos nanque, qui quoquo pacto phlegmone tenentur, ſanguinisq; miſſionem timent, non per reuulſionem ad diuerſa, neque per deriuationem ad propinqua, ſed venæ ſectione cõmiſſa, per pharmaca euacuandos eſſe, inquit, his verbis. Itaque, & vere tales naturæ, maxime ijs morbis patent, qui ex plenitudine oriuntur, quales ſunt ſynanchæ, cynanchæ, ſanguinis profluuia, articulares morbi, ophthalmiæ, peripneumoniæ, laterum compunctiones, & reliqui denique omnes, quorum genus eſt phlegmone. Qua re etiam occupare per veris initia, ſanguinis detractionem oportet, aut per inciſam venam, aut ſacrificandis malleolis; quod ſi ita inanire recuſent, purgandi medicamento ſunt non ſimplicis facultatis, ſed quod trahere & flauam bilem, & pituitam, & ſeroſa excrementa, poſſit. Quod ſuperiore quoque libro, declarans, quæ in mittendo in laſſitudinibus ſanguine, animaduertenda ſint, ſentire videtur; hæc ſcribens. Si bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus vero ſuccus plurimus, vtique in his abſtinendum à detractione ſanguinis eſt; ſin is quidem exiguus, ſanguis vero copioſus, audacter incidenda vena eſt, dein deijcere (vti dictum eſt) aluum oportet, ratione habita, de redundantis ſucci copia, pariter*

ac

ac ſpecie. Quod ſi quis vel propter ætatem, vel timiditatem, permittere ſe medico, ad ſanguinem ullo modo detrahendum nolit, huic deijcienda largius aluus eſt; aut ſi id quoque ſuſpectum habet, alia ratione educendum ſuperuacuum eſt. Quare, quò paradoxon hoc facilius diſcutiamus, animaduertendum eſt, alium eſſe in libris de Tuenda valetudine medendi ſcopum, atque alium in libris Methodi; in ijs nanque quo pacto ſanos conſeruet, edocuit, imminentesq́; compeſcat morbos; in his, qua ratione morbis detentos curet: atque propterea dicamus Galenum libro quinto de Tuenda valetudine de his loqui, quibus phlegmonoſi affectus periculum impendet, nondum autē morbo aliquo ex multitudine detenti ſunt, horumq́; ſuccorum copiam, vel ſanguinis miſſione, vel ſi hanc abhorreant, pharmaco, præpollentem ſuccum educente, vtcunque libuerit, tolli poſſe ſcripſit. Libro pariter 4. eiuſdem, de hiſce affectibus loqui videtur, quibus nulla adeſt phlegmone, neque ſanguis plurimus; ſed ſola quandoque alterius cuiuſpiam ſucci ſpecies, quibus nihil refert, ſi, educente proprium ſuccum pharmaco, quando ſanguinis miſſionem renuant, opem feramus. In libris vero Therapeutices methodi, de ijs (vti dixi) loquitur, quos iam actu phlegmone detinet, quos non præcauere, ſed curare proponit; hi etenim, tum propter ſuccorum omnium, ſanguinisq́; copiam, tum propter dolorem affectæ phlegmones particulæ, tum etiam & propter febrem phlegmonas concomitantem, ſanguinis omni

no detractionem expoſcunt; quibus, ſi copioſam, atque, vt ita dixerim, euacuatiuam facere minime liceat, reuulſiuam ſaltem, atque deriuatiuam, non omittendam hortatur. Quapropter omittentes iam ea, quæ in alijs libris, qui ad curandi artem, minime ſpectant, diſſeruit, atque propoſitum in libris Methodi locum exponentes, atque enucleantes, dicamus, ipſum, dum phlegmonibus in ipſis, ſi vires validæ ſint, ſanguinem mittendum eſſe ſuadet de copioſa ſanguinis miſſione, quæ vniuerſum euacuet corpus, verba facere; quando vero ſanguinis detractionem verentur ægri (copioſam ſcilicet) vel etiam imbecilles ſint, ſolam illis deriuationem, ac reuulſionem, ſatis eſſe poſſe credidiſſe; quæ duo, non adeo copioſa ſanguinis detractione perficiuntur; neque reuulſionem, uel deriuationem, eo loco præcipit, vt ſanguinis miſſio, uel ſecta in aliqua parte uena, uel ſcarificatis malleolis prorſus omittatur, eiusq́; uice pharmacum exhibeatur, ſed, vt copioſa cum fieri nequeat, exigua ſaltem in phlegmonibus, in quibus, pluribus rationibus maxime competit, nullo pacto dimittatur. Qua re non aliud hiſce uerbis inferre uoluit Galenus, quam ſuadere nobis, phlegmonibus in ipſis ſecandam eſſe omnino uenam, uel copioſam euacuationem per ipſam molientes, ſi uires ualidæ ſint, ægeŕq; ſanguinis miſſionem non timeat; uel reuulſionem ſaltem, aut deriuationem, prout æger, aut uires ipſæ poſtulabunt.

Piſces

CVIII.

PISCES comedere, uictum eſſe plenum aſſeuerauit 1. Aphoriſmorum ſectione, com. 4. ſic inquiens. Quod ſi naturæ robori non ſatis fidamus, ptiſanæ utemur ſucco, rationabiliterq; huiuſcemodi uictus, tenuis diceretur, ſicuti qui per ptiſanam hordeaceam, non eſt quidem tenuis exquiſite, niſi omnino pauca aſſumpta fuerit, non tamen propterea plenus, qualis fit per oua, & alicam, & piſces, atque alia huiuſcemodi. Cuius oppoſitum docuit lib. 3. de Alimentorum facultatibus, capite de lupo, ſeu laurace, in hunc modum ſcribens. Alimentum ſanè, quod tum ex hoc, tum ex aliis piſcibus prouenit, ſanguinem gignit conſiſtentia tenuiorem, quàm qui ex pedeſtribus animalibus ſumitur, adeo ut non affluenter nutriat, & celerius diſcutiatur. Quod etiam libro de Tuenda ualetudine ſexto comprobauit, docens, quibus cibis frigidæ naturæ, quæ redundantiam colligunt, nutriendæ ſint, his uerbis. De qualitate demitur, cùm exigui nutrimenti cibus apponitur, ſi quidem non pauci, ſuilla nutriti, celerrime copiam aceruant; illis igitur olera, & legumina, quæ non multum corpori adijciant; præterea piſces, & aues, quæ multum item nõ nutriant, exhibenda ſunt. Quod etiam ex Hippocrate confirmatur in libro de Affectionibus, ſcribente piſces leue

edulium eſſe. piſces itaque cùm exigui ſint nutrimenti, uictum plenum eſſe nequaquam poterunt; plenus nanque cibus, ab eo, qui modici eſt nutrimenti longe admodum diſtat.

DICENDVM *eſt piſces, haud ſecus fortaſſe ac oua, atque alicam pleureticis uictum eſſe plenum, quippe qui tenuiſſimo uictu regi debent, exigui uero nutrimenti erunt, ſi his ipſis ſani cibentur, qui uberiori, ac pleno indigent uictu. Atque idcirco, dum modici nutrimenti, piſces eſſe aſſerit, Galenus, non de ægrotantium, quibus uel tenuis, uel etiam tenuiſſima competit diæta; ſed de ſanorum cibatione, uerba ipſum feciſſe dicamus, quemadmodum ex adductis locis conſtat aperte; cùm etenim exigui alimenti cibum eſſe, piſces aſſeruit, id, uel in libris de Alimentis, uel etiam in his, quos de Tuenda ualetudine conſcripſit, dictum ab eo eſt; quibus libris de his, quibus ſani ueſcuntur, ſermonem habet. Hippocrates uerò, dum in libro de Affectionibus, leue edulium eſſe pronuntiauit; vel leuis, faciliſq; concoctionis intellexit; vel aliarum plurimarum rerum reſpectu, modice nos alere, tenuioremq; ſanguinem, quàm qui ex pedeſtribus ſumitur animalibus gignere inſinuauit.*

CIX.

PITVITAM ex corpore noſtro, ſeu ex membrorum temperatura, nequaquam fieri, ſed ex cibis tantum, affirmat lib. 2. de Temperamentis ferè in calce, quoſdam arguens, qui ab

excrementorum natura, indefinite de Temperamentis pronuntiant,ac inquiens,illud uſquequaque uerum non eſſe; ſed fieri interim poſſe,ut pituitoſa excrementa colligantur,nec tamen humida ſit particula,imo frigida omnino, humida uero non omnino,quippè cùm ſiccam quoque eſſe liceat. Quod autem eis impoſuit, facile animaduertitur; non enim norunt, quod ex cibis, nequaquam ex ipſo corpore noſtro, pituita fit. ex quibus inferre licet, quod tametſi humida, imbecillia'ue,quantum fieri poteſt, uentriculus, inteſtina,atque hepar fuerint, ſi cibi pituitoſi non ſint, pituita nequaquam generabitur. Quod etiam in libello de Atra bile, ferè in calce, his uerbis confirmauit. Porrò à nobis demonſtratum eſt, pituitoſum humorem, ex pituitoſis cibis, in prima, hoc eſt uentriculi cōcoctione fieri, ut bilioſũ, & melancholicum in iocinore. Cuius tamen cōtrarium ſcripſit lib. 5. de Vſu partium; pituitam, non ex cibis, ſed ex uentriculo, inteſtinisq; ipſis generari aſſerens. Eodem modo & libro 2. de Facultatibus naturalibus in calce, & libro 2. de Locis affectis, pariter ad libri calcem. Neceſſariam quinimo ipſius generationem in uentrculo eſſe contendit lib. 5. de Vſu partium non longe à principio, hominis hiſtoriam recenſens,cui ſtomachus pituita refertus erat, ob quam, ciborum boni ſucci eſum

auerſabatur, & abſtinentia ſeſe conficiebat, ob eius tamen copiam, multa perpetiebatur incō moda; quam quidem pituitam, non ex ciborum copia, ingurgitationeq; genitam fuiſſe perſpicuum eſt, quoniam abſtinentia (inquit) ſeſe conficiebat, ac macerabat; pituta autem non ex parciori, ſed uberiori procreatur cibatione. Quare ex uentriculi intemperie procreando pituitoſo ſucco idonea, genitam fuiſſe pituitam dicamus. quam, non in uentriculo modo, quin etiam in iocinore, ex ipſius frigida intemperie gigni manifeſte probat libro 2. de Facultatibus naturalibus, & in libro Artis paruæ, ubi de ſignis frigidioris iocinoris loquitur; in quo quidem membro, cùm nullus conficiatur cibus, ſed ex eo ipſo in chylum iam commutato, reliqui generentur ſucci, pro ipſius membri temperie diſsidentes; uel enim bilioſi, ſi ſuperflue calidum, uel pituitoſi, inconcoctiq;, ſi frigidum. Reliquum eſt itaque ut nō ex cibis, ſed ex ipſorū mēbrorū inconcoctione, propter frigidam humidamq; ipſorum intemperiem, pituitam gigni, nemini dubium ſit.

PITVITA, *cùm duplex ſit, ſuperuacua altera, quæ mucco è naribus manāti; uel lentæ, craſſæq; pituitæ ſimilis exiſtit; quam in ventre, inteſtiniſq; ipſis neceſſariò gigni perhibent doctores; quæ ne ſuccus quidem dicitur, ſed concoctionis primæ cruditas eſt, quæ euinci non potuit, uel ex cibi craſſa, ac tena-*

ci

ci natura, vel ex uentriculi, inteſtinorumq́; imbecillitate, concreſcens, & ſuperuacua, vti dixi, eſt. Cuius quatuor ſunt differentiæ; una tenuis, & aquea, qualis aqua modo è naribus, aut è cerebro ſtillat, in plurimasq́; corporis partes illabitur; altera cenſetur mucco ſimilis, quam corporis calor, ex illa tenui, ob modicum lentorem, cuius particeps eſt, ad mucci conſiſtentiam coegit; quæ ſi caloris ui, & appulſu, tantam adipiſcatur craſſitudinem, vt iam partibus concluſa, poſſit adhæreſcere, uitreatum appellabitur, & eſt tertium pituitæ ſuperuacuæ genus; atque hæc cùm ex concretione, iam durior eſt reddita, vt à lapidis, uel gipſi duricia non procul abſit; fit quartũ pituitæ huius genus, quæ gipſea appellatur. Altera uero pituita eſt, quæ ſuperuacua quidem non exiſtit, atque in iocinore ſolo gignitur, ſuccusq́; alimẽtarius eſt, ac totius ſanguinis portio crudior, & in ſanguine, à quo vtraque bilis, ſecreta iam eſt, permiſcetur; cui per purgandæ, nullum natura inſtrumentum deſignauit; quoniam ſegregari, excludiq́; non debet, cùm ſit quaſi dimidio coctum alimentum, quod in corpore permanens, unà cum ſanguine rapitur in venas, tũ vt partes frigidas & humidas (cuius modi cerebrũ eſt) alat; tum, vt per inedias, ac cibi penuriam, tempore mutetur, atque integre coquatur, fiatq́; ſanguis; atque hæc quidem alimentaria pituita, dulcis exiſtit; ex qua aliæ duæ præter naturam emergunt, acida videlicet, quæ ſumme cruda eſt, & quæ præter primam ventriculi confectionem, vix vllam,

lam, aut minimam in iecore, atque venis accepit, altera ſalſa apppellatur, ex dulci putreſcente nata; quando ſcilicet portiones eius quadam, ui putredinis aſſa, reliqua dulci ſubſtantia permiſcentur. Prima itaque, qua ſuperuacua eſt prorſus; & mucco è naribus mananti ſimilis, de qua in Cōtradictione hac, nullus habetur ſermo, quemadmodum dictum eſt, nullo pacto à cibis, ſed ſolum à membris generatur, à ventre ſcilicet, atque inteſtinis. Secunda vero, de qua hoc loco ſpeculatio eſt, licet à ciborum qualitate generationem ſortiri poſſe videatur, vti libro 2. de Temperamentis aſſeruit; aliquando tamen, & ea ipſa ex corpore noſtro, & ex membris ipſis ortum nanciſcitur ſuum; aliter Galenus fruſtra in libro Artis parua, inter indicia frigidioris iocinoris, copioſam pituitam recenſeret, quoniam haud ſecus profectò ſe habere debet iocinoris frigiditas ad pituita generationem, quemadmodum ad procreationem bilis, caliditas eius; aucta etenim ſupra temperamentum caliditas flauam parit bilem, frigiditas uero, pituitam. Poteſt itaque pituita & ex cibis ipſis, & ex membrorum diminuta concoctione prouenire, ac pracipue iocinoris alteratrice potentia ad frigidius temperamentum mutata. Sed neque iocinoris modo, uerum etiam ventriculi Galeni teſtimonio, ita ſcribentis libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 5. Inter intia itaque pituitoſi vomitus fiunt, huiuſmodi enim ſuccus in ventriculo creatur, plerūque ex ciborum multitudine; ac multo magis, ſi iſti craſſi,

ſi, naturaq́ pituitoſiores extiterint. Quibus uerbis planum ſit, duo hæc ſimul ad ipſius generationem cõcurrere, ipſam uidelicet ciborum qualitatem, membrorumq́ intemperiem. Quod etiam apertiſſime declarauit libro 2. de Facultatibus naturalibus, ubi bilis, aliorumq́ ſuccorum, generationem, medico, noſcendam eſſe probauit, ſic inquiens. Atqui non poteſt idem cibus, alijs uerti in bilem, alijs in ſanguinem, niſi intra corpus eorum generatio peragatur. Succi itaque intra corpus, ex cibis uarijs, à calore uario, uarij gigni poſſunt, qui etiam prius non erant in cibis; quoniam ſi in unoquoque homine, calor uniuſmodi eſſet, & ſimplex, unicus duntaxat humor proferretur; & cui, acrior ille obtigerit, ex quouis ſine diſcrimine tum calido, tum frigido alimento, nihil præter bilem gignet; contra uero, cui natura, aut ætate iam acta, decurſaq́, calor torpeſceret, tametſi calidiora alimenta eſſent, meram pituitam procrearet. Pariter & cibi uarij, ſuccorum uarietatem gignere poſſunt; quando maxime à naturæ interpretibus proditum ſit, ab efficiente cauſa ſimplici, complura, diuerſaq́ gigni, ob eam, quæ in materia eſt, diſſimilitudinem.

CX.

PITVITA in ipſa ſalſa, euacuandum eſſe docet, atque in ipſa bili, nulla expectata uera, & perfecta &c.

HAEC *ſuperius declarata eſt, ubi contradictionem examinauimus, quæ habet. Bile in ipſa, ſalſa'ue*

ſalſa'ue in pituita &c. quare ibi requiras, quæ loco hoc ſubiiciuntur.

CXI.

PLEVRETICIS piſces ſaxatiles concedit, maximeq; idoneos eſſe fatetur, aqua, marrubio, anetho, & ſale paratos libro 1. de Ratione uictus in morbis acutis com. 27. Contraria huic eſt, communis ſententia; ſalis nanque uſum in pleureſi, communis deteſtatur experientia.

QVA *ratione pleureticis, ſaxatiles piſces concedat, dicere poſſumus, ad ægrotantium delitias, aquam mulſam, ptiſanamq; reſpuentium, Galenum, ipſos concedere; qui licet ſuapte natura, ſanguinem mediocris conſiſtentiæ generent; pleureticisq; minime conueniant; oximelite tamẽ prius exhibito; in ipſisq; marrubio, atque anetho incoctis, quæ detergenti & attenuanti facultate pollent, idonei redduntur; ipſosq; etiam in declinatione fortaſſe morbi exhibet. Salis pariter modicum adijci debere ſuaſit, quò fortaſſe, à ueloci corruptione piſces ſeruaret; & licet ſalis vſum in pleureſi, communis deteſtetur experientia, vt quod adſtringendi ui præditum ſit, pectoriq; pleuritide affecto noxium, quod medicamenta exoptat relaxantia; exigua tamen ipſius portio, tantam adſtringendi vim obtinere non poteſt, quæ ab aqua non obtundatur, remoueaturq; cæteris, quæ in ipſa decoquuntur, condimentis. Sal præterea, auctore Galeno, in libro de Attenuanti victus ratione,*

ratione, non adſtringente modo ui pollet, verum attenuante quoque, atque detergente, quando itaque pleureticis ſputamina craſſa fuerint, viſcidaq́; corpore vniuerſim euacuato, ſi tunc & ſalis modicum coctis piſcibus inyciatur, pleureticis forſan prorſus aduerſum non erit, cùm & detergere, & ſuccorum craſſitiem attenuare valeat: qua etiam ratione ab Aëtio ſerm. 8. capite 68. exhibitum fuiſſe perſpicuum eſt: integra ptiſanæ bene colatæ, vel mica panis inditum, ſi aquam mulſam abhorreat æger. Diſcutit præterea ſal cum modica adſtrictione, eodem Galeno auctore in libro de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos; quæ ipſius facultas pleuritidi, nequaquam aduerſa eſt; licet nanque modicum quid adſtrictionis habeat; ea tamen, læſis membris, imbecillioribuſq́; redditis, robur quandoque addere poteſt, morboq́; ita opitulari.

CXII.

PLEVRESI in qua cruenta eijciuntur ſputa (quia mitis eſt) ſanguinem non neceſſariò mittendum eſſe inquit libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. ultimo, ſuper uerbis Hippocratis in textu ſcribentis. Impedimentum in cruenta ſpuentibus, tempus anni, morbus lateralis, bilis. Mitem autem eſſe huiuſcemodi pleuritidem cum cruentis ſputis ex uerbis ipſius Hippocratis perſpicuum ſit, ſcribentis libro 1. de Morbis, pleureſim ſanguineam, in qua ſubcruenta reiiciuntur, biliosa

mitiorem

mitiorem eſſe, ſi non ruptiones æger habeat. Quod etiam ex Galeno elicere poſſumus libro 2. Prognoſticorum com. 46. ubi habet, inflā mationes indulgentiores, ac maleficentiores euadere pro diſcrimine exuperantiū ſuccorū. ſanguineæ etenim ac pituitoſæ, modeſtiores haberi uoluit, à flaua uero bile, & atra, maleficentiores. Atque ſuperius quoque eodem lib. com. 27. ſanguinis exuperantiam, abſque periculo eſſe ſcripſit, rationemq; reddens, quare ſubrubra urina, cum ſubrubro, & leui ſedimento, diuturniorem quidem morbum, ſed ſalutarem denotet, inquit, exuperantiam etenim ſanguinis indicat, non exquiſita ratione confecti humorisq; integerrimi, quoniam exuperantia eſt, idcirco abſque periculo eſt. Cuius tamen oppoſitum, & experientia, & ratione ipſa tenendum uidetur; ſi nanque inflammatione in aliqua, ſanguis mitti debet, in ea maxime competit, in qua ſanguis exuperat; pleuritis uero, in qua cruenta apparent ſputa, à prædominanti ſanguine fit; in hac itaque magis quàm in alia quacunque mittendus ſanguis eſt, atque illud in praxi, à doctiſsimis medicis inuiolabiliter obſeruatur.

QVONIAM *Hippocrates in textu ſcripſit hoc loco, & libro de Humoribus ad calcem. Cruenta ſpuentibus impedimento eſt tempus anni, morbus lateralis, bilis; quæ verba repetita quoque ab ipſo*

ſunt

ſunt in calce libelli de Humoribus; ea occaſione Galenus, hoc loco, pleureſim à ſanguine genitam illi non comparando, quæ ab alijs procreatur ſucci; ſed lateralem morbum cum ſanguinis ſputo coniungens, ait, In hoc laterali morbo ſanguinis miſſionem, nequaquam competere, quoniam, is, ſanguinis ſputo ſi æquiparetur, mitis adeo eſt, vt curationem ad ſe non trahat, quia ei, quod magis vrget, magis addicti eſſe debemus. Quod ſi in hiſce coniunctis affectibus detrahi ſanguis oporteat, propter ſanguinis reiectationem, quæ magis vrget, non propter lateralem morbum detrahere ipſum conuenit; qui tamen, cùm morbus & ipſe magnus ſit, ſi, quæ eam requirunt, conditiones adſint, ſanguinis detractionem expoſcit vtique; atque iuxta conditiones, pro curatione pleureſis requiſitas, tractandus eſt. Sanguinis itaque detractionem in pleureſi cum cruenta ſputione, non renuit Galenus; verum, dum ſimul vtraque coniunguntur, & morbus lateralis, & ſanguinis ſputum; quoniam ſanguinis reiectatio non mitior modo, ſed grauior morbus, pleuritide eſt; propter ſanguinis ſputum, quia magis urget, non propter lateralem morbum, ſanguinis miſſionem faciendā eſſe ſuadet. Amplius cùm de complicatis affectibus Hippocratis ſermo videatur eſſe; quorum alter quandoque, curationi alterius, impedimento eſſe poteſt, quemadmodum verba ipſius in textu, teſtantur aperte, dicamus, dictionem illam, quia mitis eſt, ſuperadditam eſſe, & merito expungendam; quandoque etenim

num, quod in margine ſcribitur, in textu imprimitur, atque ita libri incorrecti remanent, quemadmodum Galenus ſcriptum reliquit libro 1. de Morbis vulgaribus Com. 1. com. 35. Quod ſi ea particula à textu deleatur, haud difficilis erit difficultatis enodatio, dicentes, cruenta ſpuentium curationem, à morbo laterali impediri, cùm adſtringentibus alter morborum indigeat, relaxantibus alter. Atque hanc eſſe germanam auctoris ſententiam, liquidò ex his conſtat, quæ de hac ipſa re, idem met explicauit 1. Aphoriſmorum ſectione, com. 16. his verbis. Quod autem de aqua intercutem, & ſimul febre laborantibus meminere, non eſt abſimile morbo laterali, in quo ſanguinis expuitur. nam, & in his, contrarias exigunt morbi curationes, deiectio ſanguinis, & paſſio lateralis, quæ, ubi cuipiam ſimul contigere, ad id, quod magis vrget, obuiare oportet, non omnino poſt habita alterius curatione. Quibus manifeſte conſtat, de complicatis affectibus ſermonem ipſi eſſe; & dictionem illam, quia mitis eſt, expungi fortaſſe debere, quemadmodum dictum eſt, quò auctoris mens, magis eluceſcat.

CXIII.

PLEVRITIDE in ipſa, à bile facta, ſanguinis miſsionem, nequaquam cõpetere ſcribit, libro 6. Epidemiarum Com. 3. com. ultimo. Cuius tamen oppoſitum credidit libro 2. de Ratione uictus in morbis acutis cõ. 11. ubi admonet nos, pleuritide in ipſa, ſemper

per uitanda potius pharmaca, quàm ſectionẽ uenæ, etiam ſi dolor deſcendat. Pleuritide itaque in ipſa, uel à bile, uel ab alio quouis ſucco ſit, ſanguinis miſsio competit. Cuius ſententiæ eſt etiam Paulus libro tertio capite 33. dum inquit; pleureticis, ſanguinis miſsionem omnes imperant, non pharmacum exhibent, purgationum turbationem, ac moleſtiam formidantes.

P L E V R I T I D E *in ipſa à bile facta, non abſque ratione vitanda eſt venæ ſectio, ne acrior reddatur bilis, magisq́; ferueat, atque grauiores inde dolores, periculaq́; adferat. Quando vero libro 2. de ratione victus in morbis acutis, pharmaca in pleuritide, potius quàm ſectionem venæ, vitanda eſſe admonet; id, pleuritide in illa faciundum eſſe intelligit, in qua, aliqua eſt tentanda euacuatio; non autem in ea, quæ à bile fit, in qua, non ſectionem venæ modo, ſed & ipſam quoque pharmaci exhibitionem cauere debemus, cùm materia acris ſit, exacerbari, atque exacui facilis.*

CXIIII.

PLEVRITIDIS, atque diſenteriæ ſigna ſcientifica demonſtratiua, certaq; eſſe pluribus locis aſſeruit, ac præcipue libro 12. Therapeutices methodi, capite 7. his uerbis. Ergo ne requiras in omni affectu eiuſmodi notas quales in pleuritide, uel diſenteria apparent; quippè ſcientifica eſt, morborum id genus cognitio,

Plevritidis, atque diſenteriæ ſigna pathognomonica, certa, atque demonſtratiua eſſe non it inficias Galenus; clariſſima nempe eſt ipſius ſententia 12. Methodi, atque ſi quis hoc negaret, grauiſſimorum omnium doctorum auctoritates, ipſeq; ſenſus de medio tollerentur. Qua re dum libro 2. de ratione victus in morbis acutis, pleuritidis indicia non ſcientifica, ac certa, ſed coniecturalia eſſe, dixiſſe viſus eſt; iam non pleuritidis ipſius cognitionẽ, incertam eſſe innuit; ſed à quo fiat ſucco, non certam nobis eſſe probat, ſcientificamq; notitiam, ſed coniecturalem tantum; ruffa quippe ſputamina, non ſanguineam ſemper oſtendunt pleureſim, ſed bilioſam quandoque, quemadmodum pluribus locis apertiſſime tradidit, ac præcipue 2. Aphoriſmorum ſectione com. 33. atque alibi; liuida pariter, non atram bilem, frigidos'ue ſuccos, cùm à ſanguine etiam, huiuſcemodi ſputamina fieri poſſe auctor ſit Hippocrates lib. 1. de Morbis ad calcem, ſi modicus, ad multam ſaliuam admixtus fuerit, & non ſtatim ſpuatur, ſed ſemiputrefactum, & effæminatum in corpore maneat; atque quod de eiuſcemodi ſputis dictum eſt, de alijs quoque pari modo dictum putato; atque idcirco, ipſius affectus firmiſſimam habemus cognitionem; à quo uero fiat ſucco, coniecturalis nobis eſt, non certa, conſtanſq; notitia.

CXV.

Prvnis damaſcenis aluum moueri ſcripſit in libro de Attenuanti uictus ratione his

 uerbis.

potius, ipſam fluentem, ſiſtere poterunt. In eandem ſententiam ſcripſit quoque de eis Aëtius ſerm. 1. cap. de prunis; atque Alexander Trallianus libro octauo, diſenteriæ reumaticæ, ex uentris profluuio excitatæ, curationem pertractans, ubi de eorum cibi faſtidio uerba facit, in hunc modum inquit. Qui uero male affecti, cibum faſtidiunt, pulteſq; auerſantur; iis dato alicam, aut orizam ex aqua paratam, in qua prius palmulam, aut pruna damaſcena, aut ſorba, aut meſpila, aut ſiliquas, aut mala cotonea, aut pira immatura decoxeris. Eodem modo & Dioſcorides, ita de eis ſcripſit. Syriaca præſertim in Damaſco genita, ſiccata pruna, ſtomacho accommodata ſunt, & aluum cohibent.

PRVNA *damaſcena, omnium doctorum ſententia, aluum ſubducere conſtat, experientia id comprobante; adſtringere tamen dicuntur, Hiſpanorũ reſpectu, quippe quæ magis quàm damaſce aluum mouere poſſunt, Galeni teſtimonio pluribus in locis, ac præcipue libro 5. de Tuenda ualetudine, ubi docet, quibus uentres ſenum humectare, ac lubricos reddere poſſimus. aluum itaque mouent ſemper damaſcena ipſa; Hiſpanorum tamen reſpectu, quæ uentrem magis quàm illa fluidam reddunt, adſtringere dicuntur.*

quibus nulla ſunt arteria)pulſare, ſeu pulſatorium dolorem recipere, rationi conſonum eſt. Duas tamen cùm alibi dixerit eſſe primas doloris ſpecies, altera cùm affatim temperies alteratur; altera vero cùm ſoluitur continuitas; cùm diſtenſa pulmonis mẽbrana, neque ob continui ſolutionem doleat, neque acris humoris percipiat eroſionem, idcirco proprie non dolere dicitur.

CXVII.

PVLSVM uirorum, tardiorem eſſe quàm mulierum ſcripſit libro 3. de cauſis pulſuum, de uirorum pulſibus agens, ex eiuſdemmet ſententia in libro de Pulſibus ad Tyrones, ubi pariter de pulſuum cauſis pertractans, hæc uerba habuit. Viri, mulieribus, pulſum habent ferè tum maiorem, tum uehementiorem, paulo tardiorem, ſatisq; rariorem. Opinioni huic fauet fortaſſe quod ab Hippocrate ſcriptum eſt in libro de Morbis muliebribus, mulierem ſcilicet, uiro calidiorem eſſe. Quod ſi ita foret, ex minori uiri calore, tardiores quàm mulieribus ipſis, pulſus fieri par eſſet, à maiori etenim calore, aucta neceſsitate, pulſus neceſſariò & crebriores, & celeriores fieri debent. Cuius tamen oppoſitum, ratione atque experientia id comprobantibus, dicendum eſt, quatenus nanque infirmior facultas mulierum eſt, quàm uirorum, & calor parcior, ex ipſomet Galeno libro 14. de Vſu partium, eatenus de-

idcirco non validior modo, verum etiam maior, non tamen propterea frequentior. Hac itaque ratione Galenus in libello de Pulſibus ad Tyrones, uiros, mulieribus, pulſum habere tum maiorem, tum uehementiorem ſcripſit, paulo uero tardiorem, ſatisq; rariorem, quod etiam repetitum ab eodem eſt libro 3. de Pulſuum cauſis. Poſſumus etiam dicere, quod licet, quo ad naturalem temperaturam, virorum pulſus, velocior ſemper, quàm fœminarum exiſtat; ratione tamen non naturalis, ſed aduentitiæ temperaturæ, ex ſex rerum non naturalium vſu conſurgentis (ceu ſi mulieris alicuius victus ratio ad calidum declinet, maris vero ad frigidum) mulierum quarundam pulſus, marium pulſu, validior eſſe poterit.

CXVIII.

PVRGATIONEM à ſanguinis miſsione in hac re ſolum diſtare ſcripſit, in principio libri, de purgantium medicamentorum facultate, aperta quippe uena, quale prius inerat, euocatur; purgante autem medicamento, non ſolum colore, ſed etiam natura immutatum, uenis educitur; etenim & quæ aquam purgant, omnia tenuia, & humida reddunt, quæ in uenis attigerint, etiam ſi craſsiſsima prius fuiſſent; & quæ nigram bilem euacuant, craſſa ac ſolida, quamuis antea tenuiſsima. Cõtrarium iſtius, apertiſsmis uerbis tenet in lib. de Theriaca ad Piſonem in hunc modum ſcribens.

quæ de putredine à Galeno dicuntur, ipſam videlicet ex prohibita tranſpiratione fieri; cùm ex repletione hac, copia'ue gignatur; copia autem ipſa, plethoraq́; ſanguinis miſſione tollatur; ſequitur quod ablata per ſanguinis miſſionem copia, quæ prohibitæ tranſpirationis eſt cauſa, & prohibita tranſpiratio remoueatur; à qua demum & putredinem de medio tolli neceſſe eſt. Reliqua, vti dictum eſt, requiras ubi de obſtructione uerba fecimus; atque ex Aëtio oſtendimus Obſtructionem, putrefactionemq́;, per ſolam ſanguinis miſſionem curari nequaquam poſſe.

CXX.

QVIETE à longa, haud ſecus ac à latebris, corpus refrigerari ſcripſit libro 1. de Præſagio ex pulſibus, ubi de pulſuum commutatione in paruitatem egit. Refrigerare quoque ipſam uoluit in lib. de Morborum cauſis; enumerãs ea à quibus intemperies frigida procreetur. Auicenna præterea 2. 1. doctrina 2. capite 12. idem ſenſit, ſic inquiens: Quies ſemper eſt infrigidans propter priuationem uiuificationis caloris, & propter conſtrictionem; quæ eſt ſuffocans. Ipſam pariter non refrigerare modo, uerum etiam humectare aſſeruit libro 2. de Temperamentis, corporis craſsitudinem, & gracilitatem, temperamenta ſequi docens, atque ſic inquiens. Multos ſiquidem, qui natura graciles fuerant, pingues redditos uidi, contraq́;, qui pingues fuerant, graciles; illis

ſagio ex pulſibus; mediocrem vero, de qua in Apho riſmis meminit, in eodem ſtatu conſeruare. Humectare vero, quietem ipſam dicamus, non per ſe quidem, ſed per accidens, quoniam, eam, quæ ex cibo prouenit humiditatem, non exſiccat, quemadmodum aſſeruit Hippocrates libro 2. de Dieta. Ocium corpus humectare, atque debile efficere aſſerens, quo niam anima quieſcens, humiditatem ex corpore non conſumit; quod etiam voluit Galenus 4. Aphoriſmorum ſectione com. 13. vbi Hippocrates, corpora præ humectari aſſeruit plurimo alimento, atque quiete; in quo commento Galenus hæc verba habuit; ac de quiete quidem clarum eſt; ſicuti enim exercitia apta ſunt natura exſiccare, ſic & requies, (quæ ocium eſt, atque ab exercitatione vacatio) humiditatem ſeruat, quo in loco animaduertendum eſt ipſum dixiſſe quietem non humectare, ſed humiditatem ſerua re, quæ longe diuerſa inter ſe ſunt. Amplius etiam dicta ipſius in Aphoriſmis ita forſitan intelligenda ſunt; vt dum quietem in eodem ſtatu conſeruare aſſerit, non quo ad frigiditatem, humiditatem'ue intelligamus, ſed quo ad euacuationem peragendam; motus nempe, euacuationem auget, quies in eodem ſtatu conſeruat; ſi nanque euacuatio fieri debet, mo ueri corpus operaprecium eſt; quieſcere vero, vbi euacuare minime volumus; quod etiam ibidem Hippocrates ſenſiſſe viſus eſt, dum ſcripſit. Cum biberit quis helleborum, admotiones quidem ducere, corpo ra magis, ad ſomnos vero, atque quietem, minus, ind-

modiſsime exhibeantur, quarum humor attenuatione indiget, nequaquam craſſos ſuccos gignere credendum eſt. Amplius & aquoſa cùm admodum ſint, tenuiq; ſatis humiditate ſcateant, craſſos ipſa generare ſuccos, non ita facile nobis perſuaderi poteſt.

PARADOXON *hoc, ita diſcutiendum eſt, atque dicendum, quædam profectò reperiri poſſe, quæ licèt craſſum generent ſuccum; propter aliquam tamen caliditatem, acuitatemq́; in eis cōprehenſam; eadem & craſſitiem attenuare poſſe, cuiuſmodi, & rapa ſunt, de quibus ita Galenus habet in libro de Diſſolutione continua, vbi attenuantium ciborum ſecundū genus commemorat. Sunt aliqua (inquit) quæ ſubtiliunt, quod inueniunt ex re craſſa, propter id, quod eſt in eis de caliditate, & acuitate, ſed ipſa ſunt in ſubſtantia ſua craſſa, craſſum humorem generantia, ſicuti paſtinacæ, cæpe, raphanus, & rapa, & quod ſimilatur iſtis. Nec valet ratio hæc, aquoſa plurimum ſunt rapa, aquoſitatemq́; plurimam, ſanguini impartiri poſſunt, craſſos itaque ſuccos generare minime valent; quoniam & cucurbitæ ipſæ, quas humidas ſatis, atque aquoſas eſſe cognoſci mus, viſcidos, frigidos, atque craſſos ſuccos procrea re teſtatur ipſe in Conſilio pro puero epileptico; craſſum itaque nutrimentum exhibent rapa, quemadmo dum in libro de Diſſolutione continua à Galeno traditum eſt.*

Renum

dicationem, non magis eſſe utilitatis, quàm noxæ cauſam; ſi quidem, quod uacuandum ſit, id, communis indicatio eſt; unde autem, aut quomodo uacuatio ſit facienda, id æger ipſe docet locus. Videtur tamen aliquando ab hoc propoſito diſſentire, cùm in ipſorum renum affectibus, & uaria, atque inter ſe diſcrepantia, diuerſis in locis conſcripſerit; quandoque etenim non à pede, ſed à brachio ſanguinem miſit, ſic etiam quandoque neque ab una, neque ab alia parte, ſed purgatione uſus eſt. In libro nanque de Curādi ratione per ſanguinis miſsionem, inquit. At renes, cui parti adſcribi debeant, ambigunt ſi quidem inferiores ſunt, his, quas prius recenſuimus; ſuperiores uero, quàm eæ, quas ſecundo loco; itaque ſi recens fuerit phlegmone, & copia ſanguinis adfuerit, miſſo ex cubito ſanguine, interdum auſcultant; quibus uero affectio ineſt, quam proprie nephritim nominant, eam, quæ in poplite eſt, ſecare conuenit, aut certe, quæ in malleolis ſunt. Eademque fermè uerba ab ipſo ſunt etiam repetita in libello de Præſagio, experientia confirmato. Ab his uero diuerſa ſcripſiſſe uiſus eſt libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 1. com. 5. inquiens. Renibus affectis ſi diſpoſitio recens ſit, & ſanguis multus, aut craſſus in uenis abundet, uenam poplitis ſeca, ſi inueterata; ueratro purgato. quo in lo-

pe de ipſorum calculo quandoque; quandoque vero de phlegmone, atque hac, vel recenti, in qua humores ad huc confluunt; vel de iam perfecta, abſolutaq́; cum imbecilli, vel valida virtute verba ipſum feciſſe conſtat. Cùm itaque phlegmone affectos renes recenſet, ſi ipſa recens ſit, ſanguinisq́; copia fuerit, fluxionem reſpiciens, reuellendum eſſe ad ſuperiora ſanguinem, aperta brachij vena ſuadet, communi precepto de reuulſione, ad diſtantiſſimas partes, inchoantibus inflammationibus facienda, ne ad loca laſa exuperans ſanguis deducatur, phlegmonemq́; maiorem pariat. Cùm vero non immodica plenitudo premit, tutius, validiusq́; ex inferioribus detrahere licet; atque eas, quæ è directo ſunt, ſecandas eſſe voluit, quæ videlicet vel in poplitibus exiſtunt, aut illas, quæ in malleolis, quemadmodum in libello de Curãdi ratione per ſanguinis miſſionem teſtatur. In nephritide vero, renum affectione, quæ phlegmone vacat, & in qua calculi gignuntur, cùm virtus valida eſt, ſanguisq́; multus, aut craſſus in venis abundat; ſi affectio recens ſit, venam poplitis, vel malleoli ſecandam eſſe precipit, quoniam craſſum illum ſanguinem, ad ſuperna reuocare, promptum non eſt; quod ſi virtus imbecillis foret, recensq́; pariter affectio, ex brachio reuulſio fieri debet; ſi nanque virtute debili exiſtente, infra euacuaremus, retentrix facultas quæ imbecillis eſt, non retineret, ſed vniuerſa in præceps raperentur, & aſſiduo influxu partem impeterent, ſuccis videlicet in locum imbe-

cillem perpetuò procumbentibus. quodſi inueterata admodum ſit affectio, in qua, iam non amplius, ſanguinis copia adſit; & materia, ex qua lapis generatur, craſſa exiſtat; craſſamq́; materiam ſurſum reuellere, promptum non ſit; ad ipſius lationem ſpectantes iam non ſectione venæ, neque ex brachio, neque ex talo; ſed purgante pharmaco, deorſum euacuare ipſam expedit; ob id, veratro, ceu vectibus, extrudendam eſſe præcipit; quo, in valde antiquatis affectibus, non Galenus modo, verum etiam cæteri omnes antiquiores medici, vtebantur. Quando itaque Galenus libro ſexto Epidemiorum, Com. 5. com. 1. vniuerſalem eam regulam poſuiſſe viſus eſt; vt renibus affectis, ſi diſpoſitio recens ſit, & ſanguis multus, aut craſſus in venis abundet, vena poplitis ſecanda ſit, ſi inueterata, veratro purgandam eſſe, non de renum phlegmone, ſed de ipſis calculo affectis, verba ipſum feciſſe conſtat, cùm Hippocratem interpretetur, ſic in textu ſcribentem. In renem dolor grauis cùm cibo impleti ſunt, vomuntq́; pituitam.

CXXIII.

RESPIRATIONEM, naturale opus eſſe, non animale, & uoluntarium, habemus ex lib. octauo de Adminiſtrationibus anathomicis in initio, quam (inquit) ſeptum tranſuerſum duntaxat ſuppeditat; quod non modo ſubſtantia, ſed etiam uſu, muſculus eſt. Neque diuerſum ab hoc ſenſit Com. 3. in librum de officina medica com. 36. Idem quoque infer-

re

re uidetur, dum 3. Aphoriſmorum ſectione com. 23. ſcripſit, neminem poſſe anhelitum cohibere. Contrarium tamen apertiſsime aſſeruit libro 2. de Motu muſculorum reſpirationem, inquiens, motum animalem eſſe, & uoluntarium, barbari cuiuſdam ſerui exemplo, qui reſpirationem continuit donec morte correptus fuit. Inter animalia quoque opera, reſpirationem recenſuit libro 4. de Difficultate reſpirationis, in hæc uerba ſcribens. Si reſpiratio inter opera uitalia cenſeatur, conſimilem habebit arterijs motus proportionem; ſi uero inter animalia ad crurum ſimilitudinem mouebitur; ſed mouetur ad crurum ſimilitudinē (inquit) animale ergo opus eſt.

QVONIAM *reſpirationem excitare poſſumus, cùm volumus, atque eandem crebriorem, aut rariorem, tardiorem, velociorem'ue reddere; contraq́, ſedare, ac cohibere cùm lubet, aperte hoc commonſtrat, ipſam, motum eſſe voluntarium, noſtroq́, ſubijci arbitrio. Verum, quia motuum voluntariorū, alij prorſus liberi ſunt, quos, quoties, & quantum volumus, ex nobiſmet ipſis perficimus, nulla ad id nos vrgente neceſſitate; alij liberi quidem, ſed à quibuſdam corporis affectibus incitati, ac laceſſiti, quod genus ſunt reſpiratio; vrina, ac excrementorum alui retentio; fiunt nanque hi, ab animali facultate, ſed muſculorum beneficio, vnde & à natura, & ab arbitrio noſtro ac voluntarie fieri dicuntur. Quo-*

niam vero multa plerunque actiones illas perturbant; neque quantum, & quomodocunque volumus, illas complere poſſumus; idcirco licet liberæ ſint, ac voluntariæ, non abſolute tamen, ſed corporis etiam quoquo pacto affectibus ſubditæ. Contradictioni itaque huic, facile ex ipſomet Galeno ita reſpondetur, qui in libro Introductorij, vbi de humoribus agit, hac rem declarans, reſpirationem affirmat compoſitam quandam actionem eſſe, atque ex arbitrio partim, ac voluntarie fieri, partim vero ſponte, & naturaliter, quemadmodum ea, quæ in ſomnis fit; ita vt reſpiratio & à voluntatis imperio prodeat, & etiam naturalis exiſtat, quoniam & muſculorum beneficio fit, & ab affectibus corporis laceſſita eſt.

CXXIIII.

SALITAS carnes melancholicas eſſe, ac duræ digeſtionis, craſſosq; ſuccos generare teſtatur libro 1. de Alimentorum facultatibus, capite de lentibus. nec non & libro 3. de Locis affectis capite 6. ubi de melancholia agit. Pariter & 2. Aphoriſmorum ſectione com. 18. Oppoſitum cuius ſenſit in libro de Diſſolutione continua capite 2. ubi de tertio attenuantium ciborum genere egit, ex quibus ſcilicet, ſanguis tenuis generatur, attenuaturq; quod de ſuccis craſsis, ac uiſcidis in corpore reperitur; in tertia eorum differentia, quæ eſt ciborum, qui diſſoluunt, & tenuant cum ſalſedine ſua, exemplum de muria ponens, piſcibusq;

ſalitis

ſalitis leuis carnis, & modicæ pinguedinis, de ſicla, de aqua caſei ſaliti, & de omnibus cibis, in quibus poſitum eſt ſal; quo in loco, liquidò conſtat, ſalitas carnes, non modo craſſos non generare ſuccos, quin potius craſſos tenuiores reddere.

DICENDVM *eſt Galenum libro de Alimentis, ac libro tertio de affectorum locorum notitia, atque 2. Aphoriſmorum ſectione, de quadrupedibus magnis loqui, quorum carnes ſale conditæ, duræ concoctionis prorſus exiſtunt, ac melancholicæ. libro autem de Diſſolutione continua, de piſcibus ſalitis mollibus verba feciſſe, qui ſuccorum attenuant craſſitiem, incidùntq́;.*

CXXV.

SANGVINEM, omnium quæ in corpore noſtro ſunt, calidiſsimum eſſe ſcripſit in calce libri primi de Temperamentis, ubi habet hæc uerba. Itaque membratim tibi de omnibus diſſeram, humidiſsimum, frigidiſsimumq́; in corpore, pituita eſt, calidiſsimum ſanguis, non tamen eſt is perinde humidus, ut pituita; ſicciſsimum ac frigidiſsimum eſt pilus. Idem tenet etiam libro 2. non longè à principio, ubi pueros ætate florentibus calidiores eſſe probat. nec ſecus quoque Hippocrates libro 1. de Morbis, ſanguinem calidiſsimum eſſe natura ſcribit, atque magis quàm bilis. Cuius tamen contrarium ſenſit libro 1. de Natura hu-

mana com. 38. ſanguinem ipſum non calidiſsimum, ſed temperatum potius dici debere probans, quoniam uere abundat, quod temperatum anni tempus eſt.

SANGVINEM *iam diximus, vbi Hippocraticam expoſuimus Contradictionem, quæ habebat. Bilim, ſanguine ipſo aliquanto frigidiorem eſſe; diximus inquam, ſanguinem pro tota ſuccorum congerie acceptum, calidiſſimum vtique eſſe, calidiſſimam nempe bilem continet, plurimisq; refertus eſt ſpiritibus, qui calidi ſunt, atque vniuerſus in ipſo, innatus calor, repoſitus eſt. Sed omiſſo hoc loco, inter ſanguinem, & bilim diſcrimine, quod in Hippocraticis iam diſcuſſum eſt; ſupereſt modo, contradictionem hoc loco poſitam tollere, inueſtigantes, quanam ratione fieri poſſit, vt ſanguis calidiſſimus quandoque dicatur ab ipſo, quemadmodum in libro de Tẽperamentis; quandoque vero temperatus veluti in libro de Natura humana; quinimo & frigidior quandoque, humidiorq;, quandoque etiam & ſiccior. Dicamus itaque ſanguinem, diuerſarum rerum comparatione, atque iuxta varias de ipſo conſiderationes, ac pro diuerſis animi accidentibus, pro diuerſitateq; comprehenſorum in ipſo ſuccorum, diuerſam ſortiri poſſe temperiem. calidiſſimus itaque, ea ratione in libro de Temperamentis à Galeno appellatur, quoniam cum demonſtrare vellet, cutem ipſam, medium quoddam eſſe, ad quod reliquarum partiũ temperamentum relationem habere debeat, intem-*

peries

periés ſingulas percurrens, quaſdam corporis partes nominauit, quæ per aliquam intemperiem à cute recedunt; inter quas, & pituitæ, & ſanguinis meminit, quæ per humiditatem à cute remouentur; inter quas, cùm humiditate vincat pituita, ſanguis calore; ſicuti pituitam frigidiſſimam, ita ſanguinem calidiſſimum eſſe dixit, alijs humidis ſi comparetur, ac præcipue pituitæ. Temperatus verò erit, ſi alijs non admixtus ſuccis prædominantibus cõſideretur, atque de huiuſcemodi in libro de Natura humana ipſum meminiſſe dicamus. Ex ocio pariter, humidoq́ꝫ victu, humidior ſeipſo redditur, quia ſcilicet plus habeat aquoſorum excrementorum. Ex ira è contra, exercitationibus, æſtibus, frictionibusq́ꝫ, necnon & medicamẽto aliquo calefaciente, conſimili'ue victu, atque meracioribus vinis, vetuſtioribusq́ꝫ, calidior. Pariter & ob frigiditatem aliquam recentem, frigidior. Atque ſiccior quoque ex ſiccioris temperaturæ cibis liberalius aſſumptis. Nihilo ſecius quoque & in complicatis commixtionibus, à prædominanti admixto, ſuam poteſt ſanguis denominationem ſortiri.

CXXVI.

SANGVINIS exuperantiam abſque periculo eſſe ſcripſit lib. 2. Prognoſticorum com. 27. rationem reddens, quare urina ſubrubra, cum ſubrubro ſedimento, diuturniorem quidem morbum, ſalutarem tamen denotet, quia (inquit) integerrimi humoris exuperantia eſt, idcir-

idcirco abſque periculo exiſtit. Contrariũ cuius alibi ſenſit, in libro nanque de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem, apoplexiam à ſanguine genitam poſuit, ſanguine multo in principium animantis confeſtim irruente, atque hæc uerba ſcripſit, Sed & nonnunquam priusquam putreſcat, ingens ſanguinis uis, in partem impetu decumbens, aut prorſus eam extinxit, ut actio interiret, aut certe non contemnendam noxam inflixit. Secundo quoque libro de pulſuum cauſis, ubi oſtendit inſtrumentorum uitia, quomodo inæquales pulſus efficiãt; ex ſanguinis copia, qui in uenas, aut arterias ipſas ſit infuſus, pulſuum inæqualitatem contingere fatetur, quæ, ſanguinis miſsione facillime ſedatur. Amplius & libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis com. 28. plurima recenſet incommoda, ab Hippocrate etiã in textu poſita, quæ ex ſanguinis copia, atque coagulatione fiunt, uertigines ſcilicet, aphonias, capitis grauitates, ac conuulſiones, ſyncopasq́; cardiacas. Præterea & 3. Aphoriſmorum ſectione com. 20. de exercitationibus loquutus, quas ſaluberrimas eſſe teſtatur, ſanguinis repletionem abſque graui periculo nõ eſſe fatetur, his uerbis. Verum, ſi hominem, pituita, uel flaua bile, uel atra; uel ipſo etiam ſanguine plenum ad exercitationem perducere uolueris, aut ei morbum comitialem, aut

apople-

apoplexiam, exercitatione induces; aut ſi hæc mala non aduenient, periculum imminet, ne rupto aliquo in pulmone uaſe, in morbū incidat inſanabilem. Quocirca ſanguinis exuperantia, non abſque diſcrimine, & ipſa eſſe poteſt.

Eam *ſanguinis exuperantiam, abſque periculo eſſe dixit, quæ nullum adhuc nobis incommodum, vel morbum parit. Dum etenim ab exuperante ſanguine, morbus aliquis fit, ab hoc vtique lædimur non mediocriter, atque ex eo periculum nobis impendet. Apoplexias etenim, vertigines, conuulſiones, cardiacas ſyncopas, reliquasq; huiuſce generis ægritudines, à ſanguine ortum habentes, periculo nos obnoxios reddere, perſpicuum omnibus eſt. Sanguinis itaque copia, quæ nullum nobis incommodum parit, quia integerrimi humoris copia, atque exuperantia eſt, nullum nobis adfert incommodum, quemadmodum vel exuperans pituita, vel vtraque etiam bilis efficere poſſent. quod ſi ad tantam & ipſe deuenerit copiam, vt morbos pariat, non ſine graui corporum noxa in nobis, ipſum abundare, fatendum eſt.*

CXXVII.

SANGVINIS miſsionem in quibuſdam doloribus factam ab una uena magis quàm ab alia, non iuuare (inquit) propter ſectionis figuram, ſed propter ſanguinis effuſionem, libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 2. com. 26. In pleuritide itaque, cæteriſq; dolorificis affectibus, atque inflammationibus, nulla erit diffe-

feren-

ferentia,uel ſanguis ab eodem,uel ab oppoſito mittatur latere. Quod eſt contra Hippocratis,Galeni,doctorumq; ferè omnium,maxime græcorum, ſententiam, à dilente, affectoq; latere (niſi quid prohibeat) ſecandam eſſe uenam præcipientium.

Dvm *ſanguinis miſſionem in quibuſdam doloribus factam ab vna vena magis quàm ab alia, non conferre ſcripſit propter ſectionis figuram, ſed propter ſanguinis effuſionem, de ijs doloribus Galenum hoc loco loquutum eſſe dicamus, qui à multitudine ortum habent; quoniam hi copioſam requirunt euacuationem, non autem vel reuulſionem ſolam, vel deriuationem; quæ & exigua ſanguinis detractione, atque à particulari, determinataq; parte perfici poſſunt. In ijs autem doloribus, quibus larga non eſt opus euacuatione, ſed ſola vel reuulſio, vel deriuatio ſatis eſſe poteſt, ſectionis figura non minimum quoque iuuare poteſt, vel quia lenes dolores ſint, vel corpus etiam, ſuccorum copia minime refertum; vel vniuerſalis forſitan iam peracta euacuatio.*

CXXVIII.

Sangvinis miſsio, à purgatione, in hac re ſolum diſtat &c.

Vide *pro hac contradictione ſuperius in dictione Purgatio.*

CXXIX.

Sangvinis miſsione, inflammationes ſolas celerrime non uniuerſum corpus æqualiter

liter euacuari ſcripſit in libello de ſectione uenæ aduerſus Eraſiſtratum. Huic aduerſari uidentur ea, quæ ſcripta ab ipſo ſunt 2. Aphoriſmorum ſectione com. 18. atque alibi frequētiſsime; ubi ſuccorum omnium euacuationem, æqualiter per uenæ ſectionem fieri, arbitratus eſt.

QVANDOQVIDEM *venæ ſectio, vniuerſum corpus, æqualiter euacuat, quemadmodum innumeris locis aſſeruit, quia & omnes humores, ex quibus ſanguis conſtituitur; & quia etiam ex vniuerſo corpore detrahit; inde fit, vt inflammationes quoque euacuare meritò valeat. Dum autem in libello de Sectione uenæ aduerſus Eraſiſtratum, inflammationes ſolas, celerrime, non vniuerſum corpus æqualiter, ſectionem uenæ, euacuare affirmauit, dicendum eſt Galenum, de inflammationibus ijs ſermonem habuiſſe, in quibus, & magis, & ocyus ſanguinem tātum educere, propoſitum nobis eſt, non corpus ipſum vniuerſum, æqualiter euacuare; vt quibus uel plenitudo nulla ſit, vel dolor nullus, uel aliud quid, quod vniuerſalem expoſcat euacuationem, quemadmodū & libro 2. de Ratione victus in morbis acutis com.* 10. *docuit Galenus, admonens nos, vt celeriter, & magis à parte phlegmone affecta, quàm à cæteris re uellamus, & uacuemus his uerbis. Vacuationes quidem, undecunque fiant, ab uniuerſo animalis corpore fieri noſti. Nos vero, partem eam, quæ phlegmone laborat, tum celeriter, tum magis quàm reliquas*

quas partes, in acutis præſertim morbis, uacuare ſta demus, quod interna ſanè cubiti vena efficit, multoq; magis, quando redundans ſanguis, ad ſuperiora vergat, aut ſuperna thoracis partes affectæ ſint; tum etiam in brachio, & mamma grauitas magis percipitur. Verum itaque eſt, ipſam ſanguinis detractionem, omnes in uenis contentos ſuccos educere poſſe; fieri tamen aliquando, vt ipſa, non corpus vniuerſum, ſed ſolas tantum, in aliqua corporis parte inflammationes, euacuare in animo ſit. Amplius & non æqualiter euacuare poſſe, ſanguinis detractionem, intelligere hoc pacto poſſumus; quùm enim partes, ordine quodam conſtitutæ ſint, prius, ac magis è propinquis, quàm è diſtantibus; quùmq; aliæ uenæ in alias propagentur partes; celerius, atque validius ab ijs, quæ è directo, quàm ab his, quæ ex tranſuerſo poſitæ ſunt, hauriet.

CXXX.

SANGVINEM detrahendum non eſſe admonet, aluo fluente, libro 4. de Ratione uictus in Morbis acutis com. 117. & libro 1. ad Glauconem capite 13.

REQVIRE *huius contradictionis reſolutionem ſuperius; ubi declaratum eſt. Euacuandum eſſe quãdoque à nobis &c.*

CXXXI.

SANGVINIS miſsionem, in morborum ſtatu, nullo pacto à nobis tentandam eſſe teſtatur aperte 2. Aphoriſmorũ ſectione com. 29. ubi

ubi in textu habet Hippocrates. Cùm morbi inchoant, ſi quid uidetur mouendum, moue; cùm uero cõſiſtunt, ac uigent, melius eſt quietem habere; in quo commento Galenus dixit, in ſtatu, tempus non eſſe amplius mittendi ſanguinem, uel exhibendi pharmacum. Quod ſi in ſtatu, id fieri minime licet, multo minus in declinatione, dum iam conquieſcit morbus remittiturq;. Cuius tamen oppoſitum exequi uidetur, dum libro nono Therapeutices methodi, cap. 4. duos iuuenes curans, nobilem unum, ſeruum alterum, continenti febre correptos, in paracmaſtica, quæ continuo decreſcebat, uenam ſecaſſe uiſus eſt; declinante itaque febre, ſanguinem extraxiſſe uidetur.

SANGVINEM *in ſtatu, nequaquam mittendum eſſe dicamus; circa initia nempe morborum, ſi quid mouendum videtur, mouere debemus, in ſtatu uero ſilentium habere melius eſt, quemadmodum ab Hippocrate traditum nobis in Aphoriſmis eſt. At in iuuene illo, qui continenti detinebatur febre, quæ tamen continuo decreſcebat (& erat à ſanguine febris) licet ipſa iam decreſceret, ſanguinem miſit, quoniam principium eius, ac ſtatus, in ipſo febris principio continebantur; reliqua uero eius tempora, declinationis fuere. ipſum nãque ægritudinis principium, non dierum, aut horarum determinatur numero, ſed ipſo diſpoſitionis modo, quemadmodum ab ipſo ſcriptum eſt libro 1. de differ. febrium capite*

XI. *in*

XI. *in ſtatu itaque Galenum, ſanguinem miſiſſe, hac ratione dicere poſſumus, quoniam ſtatus is, ab ipſomet febris principio, diuerſus nullo pacto fuit. Docuit nanque nos libro 1. de Criſibus ad calcem, ægritudinis principium, vel primum inſultum eſſe, vel, quod, ad tertium extenditur diem; vel etiam, quod, tanquam pars accipitur totius morbi, coctionis ſigna manifeſte definiens, in principium, augmentum, ſtatum, atque declinationem diuiſum. Quod etiam repetitum eſt prima Aphoriſmorum ſectione com. 12.*

CXXXII.

SANGVINIS profluuia, & πληθώραν, & κακοχυμίαν, hoc eſt multitudinem, atque ſuccorum uitium pariter euacuare refert 3. Aphoriſmorum ſectione com. 20. in hæc uerba ſcribẽs. Alio uero modo in tuberculis, & articulorũ doloribus, profundum corporis expurgatur, uitioſis humoribus ad loca uiliora tranſpoſitis; quod autem profluuia ſanguinis, & multitudinem, & uitium humorum euacuando cohibeant morbos, qui ex ipſis oriuntur, perſpicuum exiſtit. Cuius contrarium paſsim ſcriptum reliquit, plethoram aſſerens, ſanguinis miſsione tolli, cacochymiam vero purgatione.

Y SANGVINIS *profluuia, πληθώραν, hoc eſt plenitudinem euacuant vtique, ac tollunt; quoniam plenitudo, auctore Galeno libro 2. de Compoſitione medicamentorũ ſecundum locos, capite 1. fit, quatuor*

humoribus proportione adauctis, aut ſolo ſanguine. profluuio autem ſanguinis, & ſanguis, & qui in ipſo, aqua proportione continentur ſucci, educuntur. κακοχυμίαν vero, hoc eſt ſuccorum vitiũ, à ſanguinis profluuijs euacuari, dum aſſerit, hoc pacto intelligatur, quod cacochymia illa, illud'ue ſuccorum vitiũ, ſanguinis tollitur profluuio, quæ cum plethora, ſeu plenitudine coniuncta eſt. hanc nanque ſanguinis profluuio euacuantes, & cacochymiam de medio tollere eſt neceſſe; quapropter Paulus Æginéta quoque libro 2. capite 40. vbi de dolore egit, cacochymiam eadem ratione tollendam eſſe ſuaſit, atque vbi πληθώρα atque κακοχύμια ſimul adſunt, ſanguinis miſſionem, prius faciendam eſſe aperte edocuit, demum purgationem, ſic inquiens: Si quidem ſanguis, modum naturæ tranſiliat, vena ſecanda eſt continuò, magna videlicet, affectam propè particulam, ſola nãque κακοχύμια hoc eſt uitioſa, vt ſic interim loquamur, ſuccoſitas, moleſtiam inferens, expurganda eſt; coeuntibus autem vtriſque, vtraque euacuatione, ſanguinem prius detrahentes, vtemur. quo in loco, Æginéta, cacochymiam cum plenitudine exiſtentem, ſanguinis miſſione euacuari debere tradidit, quoniam unà cum plenitudine, & ipſa tollitur; ſi qua uero remanet ipſius portio, pharmaco demum educi ipſam conſuluit.

CXXXIII.

SEMEN, in ipſis uariciformibus amplexibus, non perfecte generari aſſeruit libro no

no de Vſu partium, non longe à principio; ſed exiguum quid requiri ait, quod ei à teſticulis accedit, atque ita inquit. Nam uenæ, & arteriæ, in multiplici illo flexu contorquentur, atque in ipſis primis flexuum partibus, ſanguinem ſincerum continent, qui certe in ultimis flexibus, ad ipſos teſticulos, non amplius ruber planè eſt, ſed iam quodam modo albicat ſuccus is, qui in ipſis continetur, exiguum adhuc requirens ad ſubſtantiæ ſeminis generationem, quod ei à teſticulis ipſis accedit. Quod etiam Ariſtoteles libro 3. de Natura animalium capite 1. ſentire uidetur, binos uariciformes amplexus delineans, his uerbis. Teſtes ipſi, omnibus greſsilibus uiuiparis ſunt ad hunc modum, meatus duo uenales, ad capita teſtium, de uena aorta pertendunt, & alij totidem, renibus eodem deueniunt. Sed ij, ſanguine lenti; illi, quos mittit aorta, exangues ſunt; à capite autem ipſorum teſtium, meatus excipit ſpiſsior, illo ſuperiore, atque neruoſior, qui progreſſus per teſtem, flectit ſeſe inde, & caput eiuſdem repetit, unde rurſus in idem coeunt, & in parte priori ſubeunt genitale. qui caput repetunt, ipſi, tam continua membrana obuelantur, cum ijs, quæ reſident teſtibus, ut unus eſſe meatus uideantur, niſi membranæ diuortium feceris. humorem ſanguineum adhuc continet is, qui reſidet, ſed

minus

minus quàm illi ſuperiores. At uero, qui reuer ſi, ceruicem ſubeunt genitalis, humorem iam habent candicantem. Idem quoque uoluit, & libro 1. de Generatione animalium, capite ſex to. Cuius oppoſitum tenere uiſus eſt Galenus libro 14. de Vſu partium; ſemen ipſum, dum teſtes ingreditur, confectum iam eſſe, inquiens, his uerbis. Vena enim ſuperiacet, ſubiacet autem arteria utraque flexus multos, nu mero æquales efficiēs inſtar capreolorum quo rundam uarie inflexorum; quo implexu, ſanguis, & ſpiritus, qui ad teſtes feruntur, diutiſsime coquuntur, clareq; cernas, humorem, qui in primis habetur flexibus, ſanguineũ adhuc, in ſequentibus deinceps magis, magiſq; albeſcere, quoad in omnium poſtremis, totus albus omnino fuerit redditus, qui flexus poſtremi, in teſtes deriuantur. Quibus liquidò conſtat, ſemen, in uariciformibus ipſis ample xibus, aut ſaltem in eorum altero, perfectum prorſus generari prius quàm teſtes ſubintrent. Quod etiam libro 1. Prognoſticorum com. ul timo comprobauit, his uerbis. Porrò proditum eſt in libro de Semine, ut in conceptaculorum tuniculis, de quibus aluntur, teſtes ſæpe apparet, liquidò commutatus iam ſanguis ad ſeminis creationem; non enim conuenit ip ſas conceptaculorum tuniculas, ab alio quopiam enutriri.

SEMEN *in ipſis variciformibus amplexibus generari omnino fateamur neceſſe eſt, quemadmodum libro 14. de Uſu partium, proditum ab ipſo eſt. perfectum tamen in ipſis minime eſſe; in teſtibus nempe compleri, perficiq́; atque vltimam, ac elaboratam formam ſuſcipere, nec non ad generationem aptum reddi, apud omnes pro comperto eſt; quoniam ſi ſecus eſſet, ſemine non alerentur teſtes; per vaſa quippe ſeminis, adducto, conuerſoq́; ſemine, ſe nutriunt. qui, adultis in corporibus, præſtantia iam roboris excellentes, ſemen efficiunt, ex quo deinde procreatio fit, & generis conſeruatio. Non itaque diuerſa ſentit; continuò nanque in amplexibus generari, in teſtibus vero perfici contendit. Quam ſententiam ipſe quoque Hippocrates habere viſus eſt, dum in libro de Genitura ſcripſit. Eunuchos ea de cauſa non poſſe coire, quia geniturâ tranſitus ipſis eſt ſublatus; non enim quia amputati ſint teſtes, ſemen in ipſis non amplius generari contendit; ſed quia, iis ablatis, ad quos, ab amplexibus variciformibus deducebatur ſemen, idcirco generare minime valent.*

CXXXVII.

SEMEN in coitu emittere mulierem, atque fœcundum id eſſe ſcripſit libro 2. de Semine. Vbi cauſam declarans, quare, ſpecies animalis ad matrem magis ſpectet, ſimilitudo uero, modo ad patrem, modo ad matrem, inquit. Nam etiam ſi quàm maxime ſemen effundat fœmina, & fœcundum id ſit, non dum tamen, ſe

mine

mine uiri, fœcundius. Aphoriſmorum præterea ſectione 5. com. 48. ubi Hippocrates in textu habuit. Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ uero in ſiniſtris magis, in commento ita Galenus ſcripſit. Confert autem aliquid ad conceptus caliditatem, & muliebre ſemen, profuſum quidem ex proprijs teſticulis. Quod etiam Hippocratem ſenſiſſe comperimus, dum in libro de Genitura, ſemen uiri, ac mulieris commiſceri arbitratus eſt, cùm conceptura eſt mulier; quod ſi eo commiſcentur tempore, ali quid itaque, & muliebre ſemen ad concipiendum ualet. Amplius etiam, eodem loco ſcripſit, maſculinum, fœmininumq; ſemen, & in uiro, & in fœmina reperiri; quod ſi utrũque in utroq; reperitur, in utroq; itaque pari ratione fœcundum ſemen poſuit. Quod etiam dilucidius credidiſſe conſtat, dum libro 1. de Diæta, ſemen dixit, non modo, quod à uiro ſecernitur, auctile eſſe, ſed etiam, quod à muliere ipſa. Contrarium tamen aperte ſenſit Galenus libro 14. de Vſu partium, Mulieris ſemen ad generationem utile quidem, non autem fœcundum eſſe ſcribens, his uerbis. Non enim ſemen eiuſmodi, generando animali, ſatis eſſe poteſt, fuit tamen in eam rem, & ipſum utile.

OMITTENTES *plurima, atque diuerſa, quæ de muliebri ſemine ſcripſit Ariſtoteles libro* 1.

de Generatione animalium capite 14. & 19. ubi ipſum muliebre ſemen, nequaquam ad generationem concurrere contendit. quoniam excrementum eſt inquit ſanguinei alimenti, quemadmodum & menſtrua ipſa; quod excrementum, in membra, ultimum digeritur; probatq́; muliebre ſemen in ipſis menſtruis hac ratione eſſe, quod ſimul maribus ſemen fiat, & fœminis menſtrua innoteſcant, eadem ætate, tanquam ſimul ea loca diſtendantur, quæ utrunque recipiunt excrementum. Nam & libro 4. de Generatione animalium capite 5. probans, quare equa, libidinoſa natura ſit, ait, quia purgatione caret; quo in loco palàm oſtendit, purgationem, menſtruaq́; idem fœminis eſſe, quod, coitus, genituraq́;, maribus; quibus uerbis ampliſſime probat fieri non poſſe, vt duæ ſimul ſecretiones ſeminales agantur, menſtrua ſcilicet, & ſemen; atque ideo ſemen ipſarum ad generationem non concurrere, nam ſi ſemen eſſet, nequaquam menſtrua fierent. Quem Auicenna quoque ſequutus, Galenum carpit libro nono de Animalibus capite 1. in capitis calce, aſſerens, ipſum, libros de ſemine conſcripſiſſe, dum peritia naturæ rudis adhuc eſſet, atque hæc uerba habet. Et videamus, quid dixerit iſte medicus contra Ariſtotelem, putans ſe aliquid dixiſſe, cùm nihil dixerit. & licet multum ſciuerit de ramis, ignorat tamen radices ſcientiæ; atque inferius quoque ita in eundem inuehitur. Nos enim mirati ſumus ſuper illud, quod olficit medietatem ſcientiæ cuiuſlibet rei &c. Auer

rois

rois quoque libro 2. Collectorum ſuorum, capite de iuuamento membrorum generationis, pariter cum Ariſtotele affirmat, muliebre ſemen non neceſſariò ad generationem concurrere, hiſtoriam mulieris recenſens, quæ in aquæ calidæ balneo, in quo, mali homines, ſperma emiſerunt, grauida reddita fuit. Omittentes itaque (vt dixi) philoſophorum in hac re opiniones, atque medici, medicorum placita ſequentes, teneamus cum Galeno, muliebre ſemen omnino ad generationem, pluribus rationibus concurrere, quemadmodum in libro de Semine, atque alibi frequentiſſime aſſeruit. Viri quippe, ac mulieris ſemen, eiuſdem ſpeciei eſſentialiter ſunt, quare, & eiuſdem potentiæ actiuæ. Cauſæ præterea, quæ & viri, & mulieris ſemen producunt, ſunt omnes pari modo eſſentialiter ſimiles, & materia ſimilis, & finis idem, neque alium in his, quàm in maribus, ortum, & à teſtibus, & à vaſis accipit; vtrorunque itaque ſemen ſpecifice idem eſt. Mulieres præterea videmus, quæ ex morbo comitiali, calculo, aut podagra affliguntur, prolem gerere horum malorum heredem. Inſuper & partus plerunque matri ſimiles eſſe. Quare dicendum eſt ex Galeno, viri, atque mulieris ſemen, ſimul materialiter, atque effectiue ad generationem concurrere, quod etiam Hippocrates affirmauit in initio ſtatim libri quarti de Morbis, in hæc verba ſcribens. Ad hominis generationem, de omnibus, & viri, & mulieris partibus ſemen progreſſum, & in vterum muliebrem illapſum,

condenſatur, temporeq́; veniente, natura, hominis formam referens ex ipſo producitur. Et libro 1. de Diæta diffuſiſſime idem comprobauit, probans quales naſcantur fœtus, vbi maſcula corpora ab vtriſque, à viro videlicet, ac muliere ſecreta fuerint, & quæ, ſi à viro, maſculum; à muliere vero, fœmineum, & è contrario. Commentitium etenim videtur, & anicularum figmentis proximum, maris ſemen tantum, ex materno ſanguine, citra vllam fœminæ opem, perfectum quidquā progignere; neque eſt pariter, earum muliercularum dictis adhibenda fides, quæ aſſeueranter pronuntiant, ſe nulla coitus voluptate, vtero concepiſſe, licet Ariſtoteles illud aperte atteſtari videatur libro 1. de Generatione animalium capite 19. & libro 2. capite 4. in hæc verba ſcribens. Indicio autem eſt, non tale ſemen à fœmina emitti, quale à mare, nec amborum mixtura generari, vt aliqui volunt, quod ſæpenumero fœminæ concipiant, ſine ea, quæ per coitum fit, voluptate, quod falſum, eſſe conſtat; nam quemadmodum, quæ à gallinis eduntur oua ſubuentanea, & quæ galli pariunt exigua, compertum habemus nequaquam fœcunda eſſe, ita & in hominibus euenit; neceſſe quippe eſt amborum ſemina, mutua ſubſtantiæ familiaritate & amicitia ſe copulent, & prorſus confundantur, ſi qua inde futura eſt abſoluta procreatio; atque ſemen non idcirco fœcundum appellamus, quod ſolum, atque per ſe tantum, ex ſanguine, quidpiam generare valeat, ita nanque ne maſculinum quidem

fœcundum

fœcundum haberetur, ſed propterea quod, dum hoc, alteri confunditur, ad generandum conferat; quod ex ea Ariſtotelis ratione, quam habet libro 1. de Generatione animalium capite vltimo, & libro 2. capite 4. & libro 3. capite 10. pulcherrime probari poteſt. ait enim, naturam, in fruticibus, maris, ac fœminæ, vtrunque ſexum, miſcuiſſe, quod ſola vis maſcula licet terra, materiam ei conferat, non ſatis ſit, ad procreationem in ſtirpibus efficiendam; quod ſi in his, multo magis in animantibus, quæ præſtantiora ſunt, neceſſe ſit (opinor) maris, & fœminæ vires coniungi; neque idcirco duntaxat, vt fœmina, materiam ſuppeditet, ſed vt copulatis, atque confuſis amborum viribus, ſemen vnum ex ambobus, procreationi aptum, proſeratur. Maris tamen ſemen, proculdubio præſtantius, atque fœcundius eſt, quàm fœminæ; non autem illud ſolum, vim efficientem habere, hoc autem prorſus infœcundum, tanquam materiam ſubijci, credendum eſt. Quando itaque libro 14. de Vſu partium, muliebre ſemen, ad generationem quidem vtile, non tamen fœcundum eſſe, dixiſſe viſus eſt, dicamus, Galenum ſic intelligere, quod licet muliebre concurrat, non eodem tamen quo, ſemen viri, modo; quod in libello de Semine apertiſſime hiſce verbis declarauit. Fœcudum quidem eſt (inquit) non tamen, viri ſemine, fœcundius. Hoc autem differunt, quod virile ſemen actiue magis, & minus materialiter; muliebre vero è contrario, minus actiue, & magis materialiter concurrit;

currit; non etenim principium actiuum eſt, auctore Ariſtotele libro 3. Ethicorum, capite 3. Et licet eo libro eiuſmodi muliebre ſemen, generando animali ſatis eſſe non poſſe ſcripſerit, vtile tamen in eam rem eſſe non negauit; muliebre nanque per ſeipſum ſolum ad conceptum minime aptum eſt, virili tamen commixtum, c. adiuuat vtique quemadmodum oſtenſum eſt. Neque aliter profectò, à duobus hiſce ſeminibus procreatio, & generatio fit, quàm ex lacte, & coagulo conficitur caſ. us, atque quemadmodum, coagulum, vti ſcribit Ariſtoteles libro 2. de Generatione animalium, capite 4. lac eſt, calorem uitalem continens, qui partes ſimilares ducit, unit, atque cõſtituit, ita genitura ſe habet ad menſtruorum naturam, eadem enim natura lactis, & menſtruorum eſt. Itaque, coactis iam partibus à ſemine, quod coaguli rationem habet, corpulentus humor excernitur, ob ducunturq́; circum membranæ, parte reſiccesſcente terrea, atque haud ſecus, vt coagulationis lactis principium actiuum in coagulo eſt, paſſiuũ uero, in lacte; ita principaliter, & actiue, coagulatio formæ, & figuræ fœtus, in ſemine uiri, reperitur, ſecundario uero, & paſſiue, in muliebri ſemine. Et quemadmodum quoque eorum quodlibet, caſei pars eſt; ita horum utrunque, uirile ſcilicet, atque muliebre ſemen, ſubſtantiæ embryonis pars eſt, actiuum autem unum, paſſiuum alterum. Parem quoque ſimilitudinem Ariſtoteles pinxit libro quarto de Generatione animalium capite 4. ita inquiens.

Semen

Semen maris, cogit, conditq́ materiam in vtero contentam, fœminaleq́ fœminæ excrementum, vt ſuccus lactis, humorem ſpiſſat. Cæterum, & quando alias dicitur, uirile ſemen, formam præſtare, menſtruum autem ſanguinem eſſe tanquam materiam; dicendum eſt, menſtrua ipſa, ſemen quidem eſſe, ſed non purum Ariſtotelis teſtimonio lib. 2. de Generatione animalium cap. 3. in calce. menſtruiq́ ſanguinis non quæuis pars, ſed aliqua, mulierum in teſticulis dealbatur, ad ſeminisq́ naturam conuertitur, & fit uelut præparata materia, vt in ſpermatica conuertatur membra. ex qua materia, à uirili ſemine, tanquam formã præbente, ſpermatica ipſa membra fieri teſtantur doctores, atque Galenus ipſe 1. Aphoriſmorum Sectione com. 15. cui (inquit) ſuam etiã debent generationem complures noſtri corporis partes, eodem auctore, in libro de Natura humana Com. 1. com. 35. Sic itaque hæc menſtrui ſanguinis pars, quæ in mulierum teſticulis dealbatur, & iam ſeminis naturam ſuſcipit, materia generationis, & embryonis eſt; cui uirile ſemen, formam præbet. Atque hoc pacto muliebre ſemen tanquam materiale principium concurrit, cui, uirile, formam impartiri conſtat.

CXXXV.

SENSVM difficilem, atque inſenſibilitatem ægritudines eſſe ſcripſit libro 1. Therapeutices methodi in hæc uerba. Nam quis obſecro dubitet, ſi uidere, ſanitas ſit; morbum eſ-

ſe uel cæcutire, uel omnino non uidere? Quis non intelligit, ſi audire ſanitas ſit, morbum eſſe, ægre audire, vel prorſus non audire. pari modo, ſi concoquere, bona ualetudo eſt, male concoquere, uel planè non concoquere, inualetudo eſt; & ſi ſuo aliquem arbitrio moueri ſanitas eſt, utique morbus fuerit, & conuulſio & palpitatio, quam παλμὸν uocant, & neruorum reſolutio, & tremor, & denique quidquid uoluntarium motum, uel penitus deſtruit, uel etiam impedit. Ad hæc, ſi naturaliter ſentire, ſanitatis opus ſit, inſenſibilitas, & difficilis ſenſus, & ſtupor, & dolor, ægritudines erunt. Cuius oppoſitum ſenſit in libro de Symptomatum differentijs; duo hæc ſymptomata eſſe inquiens actionis læſæ, quod ſi ſymptomata, non itaque morbi; uerba autem apponere libuit, quæ ita habet. De proprijs uero dictis ſymptomatis in hoc opere diſputare paramus. Eſt porrò horũ triplex differentia, alia nanque, ipſius corporis noſtri sũt affectus; alia functionũ offenſæ; alia, hæc ambo comitantia, idq; tũ in excremẽtorũ exceſſu, tũ in his, quæ in ipſo animali eduntur ſonitibus, tum etiam in reliquis quæ ſenſibiles sũt, differentijs omnibus. ſub læſionis autem, ſiue offenſæ nomine, nunc priuatio quoque mihi inaudiatur; nõ enim difficultas modo motus, quam græci δυσκοινησίαν uocant, neque difficultas ſenſus, quam δυσαισθησίαν

σίαν appellant, uitia quædam actionum ſunt, ſed etiam immobilitas, & inſenſibilitas, ad eũdem modum, nec mala ſolum concoctio, ſed etiam cruditas; atque hæc quidem genera ſymptomatum ſunt,

ANIMADVERTENDVM *ex Galeno eſt in libro de Symptomatum differentijs, quod ſymptoma generatim appellatur, quidquid animali præter naturam contingit, ita vt tum morbi ipſi, tum morborum cauſæ, quæ ſcilicet intra corpus ſubſiſtunt, non quæ extrahabentur, ſymptomata ſint. Quocirca cùm unus àtque idem affectus, modo morbus, modo ſymptoma morbi eſſe valeat; non inconuenit, partium inſenſibilitatem, quæ virtutis ſenſitiuæ noxa eſt, quandoque ſub morbo, ſub ſymptomate quandoque comprehendi; ſub morbo quidem, cùm vehemens adeo extiterit, vt iam actionem lædat; ſymptoma vero cùm affectio quædam eſt, morbum ſequens, quod ipſemet apertiſſimis verbis, ita declarauit in libro de Symptomatum differentijs, non longe à principio. Nam, qui operationum læſiones (inquit) ægritudines putant, hi non abſque ratione, neruorum diſtenſiones, inſenſibilitates, torpores, & reliqua huiuſcemodi, ægritudines vocant. Illudq́; vberius explicauit libro 1. Methodi medẽdi, in hac uerba ſcribẽs. Tanquã ergo nos, illos nec græce, nec dialectice nominantes non impedimus, ita illi, nobis permittant & græce, & dialectice, non omnem qui præter naturam ſit, affectum, ſed qui actioni incommodat,*

dat, morbum nominare; qui præter naturam ſit, nec tamen actionem obturbet, non morbum, ſed morbi ſymptoma. Hoc autem non de inſenſibilitate modo, verum & de ipſo quoque dolore aſſeruit eodem libro, ſic inquiens. Porrò tactus, egregium præter cæteros ſenſus in actione ſua ſymptoma poſſidet, dolorem. Quo in loco ſymptomatis nomen, dolori attribuit. Libro autem I. *Therapeutices methodi dolorem, ægritudinem eſſe dixit, prout magis, minus ue nos lædit.*

CXXXVI.

SERVM lactis, frigidum, atque humidum eſſe ſcripſit libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus, ubi agit, qua de cauſa mel à caliditate &c.

EXPOSITA *fuit ſuperius contradictio hæc, in dictione Lactis ſerum, qua re ibi requiras, quæ hoc loco deſiderantur.*

CXXXVII.

SITICVLOSIS ægris, oximel exhibendum non eſſe ex Hippocrate præcepit libro 1. de ratione uictus in morbis acutis com. 43. ita ſcribens. Siticuloſo exiſtente ægro, ab oximelite admodum multo, maxime temperandum. Atque paulo inferius ita quoque ſubdidit. Nempe, quantum ad morbum ſpectat, oximelite magis eſt utendum. Verum, ſi æger, accepto multo oximelite, adhuc ſitiuerit, melicratum dare oportet, quod ſi, & ab ea re ſitiuerit, aquam

offerendam putato. Contrariæ prorſus aliàs fuit ſententiæ; in conſilio nanque pro puero epileptico, oximel, ſitim egregie ſedare, faſſus eſt, ubi de ipſius præparatione loquutus eſt, his uerbis; quo autem modo ipſum præparare oporteat, paulo poſt recenſebimus; cæterum plurima aqua commiſceatur; nam quod ſic fa ctum eſt, ſuauius redditur; atque hyeme quidem calidum accipiatur, æſtate uero non erit malum, etiam ſi plerunque frigidum ſumatur. ſi & uehementes fuerint calores, & ipſe, ſiti ſit aridus, potuiq; frigido aſſueuerit antea; nam inter alia, ſitim egregie ſedat oximel non ualde dulce.

SITIM *egregie ſedare oximel poterit, ſi non valde multum exhibeatur, quemadmodum à nobis aſſumendum eſſe docuit libro* 1. *de ratione uictus in morbis acutis com.* 43. *inquiens. Potio autem frigidæ huiuſmodi tanta ſit, quantum frigidæ aquæ æger inſpirando haurire poſſit. oximelitis vero exiguum datur; quod ſi ipſius plurima aſſumatur quantitas, ſitim vtique inferre poterit, propter mellis admixtionem, quod & facile accendi, atque in bilem verti poteſt. Vel forſitan dicendum eſt, dictionem illam, multum, non pro aduerbio à Galeno poni (licet in textu ſcriptum reperiatur* ὀξίμελι πάνυ πολὺ *) ſed pro adiectiuo nomine; vt oximel multum intelligat, ualidum, plurimumq; mellis habens, ad aquoſi differentiam; haud ſecus, ac ſi diceremus, uinum multum*

tum, quod idem ac uinoſum ſonat, ad oligophori, paucifiri'ue differentiam. In conſilio nanque pro puero epileptico, eius compoſitionem nobis deſcribens, teſtatur aperte, ſi plurima oximel commiſceatur aqua, ſuauius reddi, atque abſque nocumento aſſumi poſſe.

CXXXVIII.

SOMNVM non ſemper humectare, ſed quandoque exſiccare aſſeruit libro 6. de morbis uulgaribus Com. 5. com. 32. in initio, ita inquiens. Quod euacuatum ſomnus exſiccet, & experimento quidem, quo omnes ſermones diiudicantur percipies, & ante experimentum, ad aſſentiendum huic dicto, ex ijs, quæ antea didiciſti, adduceris. Quare non ſemper humectat ſomnus, quin etiam exſiccat quandoque. Cuius oppoſitum communis tenet ſententia; ſomnum ſemper humectare perhibens.

SOMNVS *cùm propter innati caloris concentratione͂ fiat, atque tunc potiſſimum cùm cerebrum ab actionibus quieſcere uult, atque magis adhuc, dum nutrix in eo facultas, largùm, quo fruatur, humorem, habet. Palàm eſt, ipſum, ſemper nos humectare debere, concoctiones ualidiores in membris efficiendo, membraq́ ipſa, à perfecta iam in ipſis cõctione, humore enutriendo. Somnus itaque humectat ſubſtantifice, eo quia, bonæ digeſtionis cauſa eſt coadiuuatiua; & humectat etiam madefactiue, dum maior fuerit quàm debet. Verum, ſi iam euacuato*

cuato cuipiam, ſomnus ſuperueniat cùm euacuationibus ex ipſis, humiditates plurimæ, quæ natiuum calorem, qui humidus eſt, in ſe continebant, abſumptæ ſint; reliquum eſt, vt humiditatibus, & quas conficiat, & circa quas pabuletur, deſtitutus, exſiccare meritò dicatur. cuius rei, teſtis eſt quoque grauiſſimus Hippocrates, qui libro 2. de Diæta, oſtendens quando humectet ſomnus, & quando exſiccet, in hunc modum ſcripſit. Somni ieiunum attenuant, & frigefaciunt, ſi non longi fuerint, præſentem humiditatem euacuantes; qui vero magis calefaciunt, colliquant carnem; & corpus diffundentes exoluunt, ac debiles faciunt; à cibo vero ſumpto, calefacientes, humectant, alimentum in corpus diffundentes; à matutinis autem deambulationibus, ſomnus, maxime ſiccat. Poteſt etiam ſomnus alia ratione exſiccare, dum ſcilicet humores acutos biliosos inuenerit, & perdurauerit eius tempus, calefacit calore extraneo, quemadmodum teſtatur Auicenna 2. 1. doct. 2. capite 13. quare aucto præter modum calore, exſiccare etiam poſſe par eſt.

CXXXIX.

SOMNI tempus optimum, à cibo eſſe ſcribit libro 1. de Symptomatum cauſis. Cuius etiam ſententiæ uidetur eſſe Paulus Aegineta libro 1. capite 97. ubi de ſomno egit, in hæc uerſa ſcribens. Occaſio autem ſomni opportuniſsima à cibo iudicatur. Cuius contrarium ſcriptum à Galeno eſt 4. Aphoriſmorum

II ſe-

ſectione com 67. affirmante ex ſomno poſt cibum, caput ob elatos uapores impleri; quod quanto ſit omnibus incommodo, unicuique conſiderandum relinquitur.

SOMNI *tempus optimum eſſe, nō mox ab aſſumpto cibo, concedendum eſt, ſed, quod, congrua intercapedine à cibatione diſtat; à quo caput, ob elatos ad ipſum vapores, impleri minime valent. Quinanque à cibo ſtatim, ſomnus fit, dum adhuc in ſummo ventriculi natat, neque ad ima lapſus eſt, multis impedit modis, vt Princeps ait, cibum nimirum agitando, eiusq́; concoctionem peruertendo, inflationesq́; excitando.*

CXL.

SOMNVM à frigore fieri ſcribit libro 2. de Loc s affectis in calce, ſic inquiens; quotquot Somnolenti,& ſoporoſi ſunt affectus,omnes à frigida cauſa proueniunt. Quo in loco Ariſtotelis ſententiam ſectari uidetur, in calce libri de ſomno, & uigilia, ubi oſtendit, quo pacto ſomnus refrigeratio ſit, & cauſa dormiē di à calore ducatur, & inquit. Somnus quidem proficiſcitur, quod poſt captum cibum, ſanguis, omnis excretionis expers reſtagnet, quoad puriſsimus ſanguis in partes ſuperiores, cōfuſiſsimus in inferiores prolabatur. Atque etiam lib. 2. de animalium partibus, ubi ſic habet. Somnus enim à cerebro proficiſcitur, animalibus ijs,qui eam obtinent partem,quæ autē

ea

ea carent; ijs proportionale ſuppetit; cùm enim ſanguis, alentis affluētia refrigeretur à cerebro, aut etiã ob alias cauſas ſimiles, caput aggrauatur; & quidem ſomno ſopiti, ea corporis parte ſolent tentari; atque efficitur, ut calor ad ima cum ſanguine ſubterfugiat. Cuius oppoſitum ſcripſit 2. Aphor. ſect. com. 1. ubi habet ſomnum, atque uigiliam, ſecundum innati caloris motionem fieri, qui intro recurrat; à calore itaque, hoc loco, intus recurrente, & aucto, & non à frigore, ſomnum fieri aſſeuerat. Quod etiam manifeſte aſſeruit libro 1. de Symptomatum cauſis in calce, inquiens. Cerebrum ubi requieſcere pluſculum ab actione uult, naturalem ſomnum animali inducit; demum ſubinfert, quod etiam magis facit, cùm nutrix in eo uirtus, largum, quo fruatur, humorem habet. Idem tenet Auerrois libro 2. Collectorum ſuorum, capite penultimo. Quibus apertum fit, non à frigiditate ſomnũ fieri, ſed à naturali calore, ad interna recurrente, & aucto.

SOMNVM, *dum à frigore fieri ſcribit libro 2. de Locis affectis; de ſomno intelligit præter naturam, quod libro de Symptomatum cauſis 1. declarauit, inquiens. Animal cùm à multo humore frigido grauatur, eum, qui in comatis, & lethargis cernitur, ſomnum adfert. Vbi vero à natiuo calore intus recurrente fieri ſcripſit; de naturali, atque de ſanorum*

 ſomno,

ſomno, verba ipſum feciſſe dicamus, quod pulcherrime, atque euidentiſſime oſtendit Galenus libro 3. de Cauſis pulſuum, vbi de expergiſcentium pulſu egit, ſic inquiens. Somnus incidit, cùm natiuus calor, aut ex fatigatione, aut ſiccitate nimia, ad alimentum ſe conuertit, aut ob immodicam humiditatem foras progredi non valet; quorum primus ſalubris eſt, & naturalis; alter, quem memorauimus, præter naturam, veluti ſomnus, qui in comatibus, & lathargis fit.

CXLI.

Spiritvm animalem clare dari, non ita aperte uitalem, dubie autem naturalem, ſcriptum reliquit, libro 12. Therapeutices Methodi, capite 5. his uerbis. Ergo animalis ſpiritus, cerebrum, ueluti fontem eſſe, clare oſtendimus, qui partim ex inſpirando; partim ex eo, quod reticularis plexus ſuppeditat, irrigatur, atque alitur. Vitalis ſpiritus non æque euidens demonſtratio eſt; ſed tamen in corde eum & arterijs contineri, exiſtimare, alienum à ratione non eſt, eundemq; nutritum, maxime quidem ex inſpirando, ſed tamen & ex ſanguine. Quod ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus eſt, is utique in iocinore quoque & uenis continebitur. Vitalis tamen ſpiritus, non modo ſe ancipitem non eſſe, ſed ipſum euidentiſsime fateri conſtat libro 10. de Vſu partium non longe à principio, dum inquit. Recte igitur

tur in illis commentarijs demonſtratum à nobis fuit, quod generatio ſpiritus animalis cerebri, materiam propriam habet, ſpiritum uitalem, qui per arterias ſurſum fertur. Quibus uerbis, ita manifeſtum, ac certum poſuit, ut ſi is non foret animalis quoque ſpiritus (quē certum, duodecimo libro Methodi affirmauit) de medio tollendus eſſet, cùm animalem ipſum ſpiritum, ab ipſo uitali, materiam propriam ſuæ generationis ſuſcipere pro comperto ſit. Naturalem quoque ſpiritum, certiſsimum, non Galenus modo manifeſtiſsimumq; poſuit. lib. 5. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite nono, ubi habet ſpiritum hunc in omnibus membrorum cauitatibus complãtatum eſſe, uelut materiam, aliorum ſpirituũ, pro operationibus animæ obeundis; quod etiam aſſeruit libro 7. de decretis Hippocratis, & Platonis. uerum etiam Ariſtoteles, ipſum dari euidentiſsime probauit libro 2. de Generatione animalium capite 4. ouo exemplo, quæ cum corde careant (inquit) uel aliquo, quod ſit cordi proportionatum, & cùm à matre ſeparata ſint, à qua ſpiritum hunc nanciſci minime poſsunt, neceſſe eſt (inquit) ſpiritum naturalē ipſis ineſſe, ſi quid ex ipſis generari debet. Amplius & libro 5. eiuſdem, capite ultimo propè finem, ſpiritum hunc, ita neceſſarium eſſe animæ inſtrumentum ad diuerſos uſus in genera-

tione animalis aſſeruit, haud ſecus ac malleus, inſtrumentum fabri eſt, ad uaria ferrea inſtrumenta conformanda.

ARISTOTELES, *& Peripatetici cùm Eraſiſtrato unam tantum facultatem, in corde uigentem eſſe voluerunt, quæ ſola, varias actiones, diuerſis corporis membris præſtaret. Hippocrates vero, tres exiſtimauit eſſe facultates, à quibus & ſpiritus tres, vim eam, per corpus deferentes conſtitui deberent. & Galenus in Introductorio medicorum, vbi de humoribus egit, tres pariter uidetur in corpore noſtro ſpiritus poſuiſſe, duo, qui caloris innati ſpecies ſunt, quarũ alius naturalis, animalis alius dicitur, & tertiũ addidit ecticòn, qui cõplantatus, & complexionalis vulgo dici ſolet; inſitusq́; atque connatus, ab Ariſtotele vero* σύμφυτος *in calce libri de Motibus animalibus; de vitali uero, ne uerbum quidem fecit; atque animalem, in capite ſedem habere voluit, naturalem in corde, ecticum in toto verſari corpore faſſus eſt. alibi tamen, nullam de ectico mentionem fecit, atque naturalem obſcurum eſſe dixit. Idcirco, quo rei iſtius cognitio innoteſcat, atque tres in nobis ineſſe ſpiritus perſpicuò cognoſcamus, ita diſcurramus oportet. Tres cùm ſint in corpore noſtro partes, quæ principatum obtinent, iecur, cor, & cerebrum; ea natura ſingula ſunt, vt non ſeipſis duntaxat gubernandis dent operam; ſed alia quoque membra, & alimento, & ui ſua foueant. principalia itaque hæc membra, quemadmodum doctiſſime ſcripſit*

Galenus

Galenus lib.9.Therapeutices methodi cap.9.quoſdā de ſe ſpiritus, tanquam de perpetuo fonte in uniuerſum corpus per proprios ductus emittunt. à quibus, & alij quidam, qui in ſingulis partibus exiſtunt, enutriuntur ſpiritus; atque hi, à prioribus, in proprias uires, atque operationes concitati, firmam, & perpetuam operum ſuorum functionē edunt; neque pars ulla in nobis aut calorem complexionalem, aut inſitum ſpiritum, aut uires ſibi ab ortu datas retinere poſſet, citra influentium horum ſpirituum uires; ſed breui omnia ruerent, ab horum principiorum ſauore deſtituta. Præter inſitos itaque, innatosq́; ſpiritus, qui firmi, atque fixi in unaquaque particula ſunt, tres alij errantes, influentesq́; ab illis principijs principalibusq́; membris, neceſſariò conſtitui debent, nec plures his, neque pauciores eſſe poſſunt, cùm tria ſint principalia membra, à quibus iure optimo ortū deducunt ſuū. Primus itaq; animalis erit, longe alijs ſpiritualior, & lucidus magis, ac defæcatus, qui ex uitali, per arterias carotidas dictas, in cōtextum admirabilem retiformem, ſublato, primum elaboratur; deinde in interiori altero cerebri contextu, qui choroides appellatur, ui cerebri ingenita, in animalem conuertitur, atque priores uentriculos, prorſus implet, dehinc per neruos transfluit, ſenſitiuas, motiuasq́; partes irrigans; atque hunc principaliſſimum eſſe omnium animalium inſtrumentorum, ac uere ſubſtantiam animæ exiſtimauit Galenus Com. 5. in ſextum librum de Morbis uulgaribus com. 5.

Admirabilis autem contextus, hic eſt; ex colli nanque arterijs, rami ſurſum euicti, cùm iam in cerebri baſim permanarint, eaſq; capacitates attigerint, quæ cuneo oſſi ſubditæ ſunt, mox, in tenuiſſimas arterias, eaſq; plurimas diſperſæ; multiformi, uarioq; nexu citra vllius membranæ copulationem, reti aſſimilem contextum efficiunt, qui græcis πλέγμα δικτυοειδὲς nuncupatur, qui os cunei non prorſus excedit, ſed medius introit; & craſſam in meningem collocatur. Contextus uero χοροειδεῖς dictos, in uentriculorum cerebri cauitate, conformant, venarum, arteriarumq; riuuli, qui è ſummo cerebro pariter cum tenui meninge diuehuntur; inter ſe colligati, atque impliciti, qui capacitates eas intus ſuccingunt, atque implent. A cerebri autem frigiditate, animales hi ſpiritus contemperantur, atque ſtabiliuntur, & firmantur, quo melius, operationes ſuas perficere queant; unde enatum eſt illud vulgatum prouerbium. Anima quieſcendo fit ſapiens. ad temperaturam itaque redacti, optimi fiunt, & diuinum illum intellectum recipiunt, qui in hominibus, uarius proculdubio eſt; prout ſpiritus illi, melius, deterius'ue diſpoſiti ſunt; quibus nanque calidius cerebrum ineſt, animaleſq; ſpiritus, atque uitales ad temperamẽtũ redigi nequeunt, inſtabiles ij ſunt, nec bene iudicāt; è contrario vero, qui frigidum illud potiuntur, bonorum ſunt morum, atque propterea Ariſtoteles libro 2. de Partibus animalium, frigidiora animalia prudentiora eſſe faſſus eſt, quemadmodum apes, & huiuſ-

huiuſmodi. Alter ſpiritus, vitalis eſt, inter naturalem, & animalem non modo natura, forma, ſed etiam operationibus, medius; qui à corde generatur, atque continuo per arterias transſmittitur, naturalemq́ ſpiritum actuat; munusq́ eius eſt, vt continuò moueatur, caloremq́ ponat in potentia ad actum, & vltimam formam per totum corpus, ipſumq́ moueat, & ipſi det actum vitæ, membraq́ ad operationes excitet, quæ prius erant in potentia; per hunc enim viuit animal, & ſentit, atque idcirco ab Ariſtotele dictum fuit, ſenſum tactus immediate à corde prouenire; cùm in eo, depurati illi ſpiritus vitales generentur, à quibus, per corporis membra diffuſi, actuantur, & excitantur ipſa ad ſua opera; atque propterea inquit, plantæ, quæ corde deſtitutæ ſunt, vel alio, quod cordi proportionale ſit, ſenſu carere uidentur; oſtreas vero, & ſpongias, quæ uel cor, uel aliud quid cordi ſimile, poſſidere creduntur, ſenſu non carere cernimus. generatur autem ſpiritus hic ex vaporibus ſanguinis depuratis, & ex aëre attracto, quemadmodum teſtatur Galenus in libro de Vtilitate reſpirationis, & nono, & 12. Therapeutices methodi. Temperaturam vero licet habeat calidam, & humidam, ſiccus tamen dicitur, reſpectu naturalis, quoniam ſubtilis eſt admodum; atque ipſius humiditas, ignea ſubſtantia particeps eſt. Tertius naturalis eſt, omnes concoctiones adiuuans; qui è iocinore, per uenas, in corporis extremitates, atque per totam corporis molem diffunditur, atque

anima-

animalem prout dictum eſt, in cerebri uentriculis, vyſq; ſenſuum contineri, quemadmodum & in arterijs vitalem apud omnes medicos pro confeſſo eſt. Naturalem uero, ex iocinore emanare dubium fortaſſe eſſet, quia non ita ſenſui manifeſtus exiſtit, atque eò adhuc maxime, quoniam Ariſtoteles, licet ipſum nobis ineſſe probauerit, nullam tamen eiuſcemodi uim, ſeorſum à vitali inſidere contendit. Is enim, cùm omnes animæ partes, atque facultates ſigillatim enumerando percenſeret; hanc omnino, tanquam nulla ſeorſum eſſet, prætermiſit; ſtatuens nimirum, naturalem uim omnium primam; cunctorumq; uiuentium communem; atque eandem nullo nominum diſcrimine, nunc altricem, nunc vitalem appellans; cuius virtutis proſpero fauore, & præſentia, nutritio, atque uita in cunctis manet, perit autem, dum ipſa ſubtrahitur; atque quouſque vita erit, eouſq; nutritio quoque perſtabit; hac autem deficiente, vita pariter tolletur. Unum itaque atque idem ſunt, eo auctore, vita & nutritio; viuere, ac nutriri; amplius vt naturalia conſeruentur membra, cùm ſanguis, & ſpiritus vitalis ſufficiant, naturalis autem ſpiritus, ad id neceſſarius non ſit idcirco à Galeno etiam aliquãdo negatur ſpiritus hic naturalis; quoniam vero ex medicorum ſententia, ab alijs diſtincta, communis & influens poni debet naturalis potentia, & facultas, cùm tria ſint principalia membra; atque uitalis ſpiritus cor, animalis vero, cerebrum, ſedes eſſe, ſatis ſuperq; ſuperius probatum ſit,

ſuper-

ſupereſt vt hanc in iocinore collocemus, à qua & ſpiritum quendam naturalem enaſci credendum, qui ſanguine nutritur, & qui virtutem eam per corpus diſtribuit, quoniam cùm ſanguis, ad officium id perficiendum non admodum accommodatus eſſet, cùm craſſior exiſtat, neque ſubſtantiam inter corpus, ac facultatem, mediam ſortitus ſit; ſpiritus quidam propterea neceſſariò requiritur, qui munus illud exequi valeat; niſi enim à natura (inquit ipſe libro 2. de Facultatibus naturalibus in initio) facultas quadam naturalis, vnicuique inſtrumento ſtatim ab initio ſit tributa, durare animalia non poſſent, non modo tantum annorum, ſed ne pauciſſimorum dierũ numerum. Non ſecus itaque ac animalis, uitalisq; ſpiritus, naturalis quoque nobis admittendus eſt, à quo, & qui unoquoque membro inſitus, complãtatusq; eſt, enutritur, atque fouetur; atque quemadmodum animalis in cerebro; uitalis in corde, ita naturalis, in iocinore reponi debet. Quem quidem naturalem ſpiritum, non Galenus modo, & Ariſtoteles, uerem etiam Hippocrates apertiſſime poſuit in libro de Flatibus, & ſpiritibus; nihil ſine naturali ſpiritu, in hoc mundo fieri, aut generari poſſe aſſerens; atque non modo ſenſibilibus in animalibus reperiri, uerum etiam in vegetabilibus, mineralibusq; atque metallis, euidentiſſime Theophraſtus, atque Alchimiſtæ norunt; hi nempe per ſublimationes ſpiritum à craſſioribus partibus ſeparãt. Theophraſtus uero li. 5. de cauſis plantarum cap. nono, & inde, rationem

red-

reddẽs, cur quandoque illarum plurima ęgrotent, inquit, quoniam ubi calor, illic & ſpiritus adeſt, qui ſine ipſo ſtare nequit, cùm calor ex ipſo ſpiritu nutriatur. ſpiritus autem hic, eſt uelut materia reſpectu aliorum, & quia magis materialis, & craſſior alijs eſt, idcirco niſi à nobiliori excitetur, vt puta à uitali, nihil in animalibus operari poſſet, ac multo minus in plantis, quippe quę obtuſę ſunt, & uiles earum actiones, neque agente tam nobili indigent; eſt autem plus, minus'ue purus, prout in nobiliori, minusq́; nobili membro eſt; generatur autem ex ſemine, menſtruoq́; ſanguine; dominaturq́; in eo aër ex Galeni ſententia 7. 8. & 9. de placitis Hippocratis, & Platonis, à quo lucidus fit; ſubdominatur autem aqua, vt elixationem faciat. Licet Plato aërem quidem in ipſo dominari, exiſtimauerit; ignem uero, non aquam ſubdominari. Verum cùm nutritio, & augmentatio ex huiuſcemodi ſpiritu fieri debeat, quę mediante elixatione fiunt, atque hęc à ualido innato calore, qui validus eſſe nequit, niſi cùm humido iungitur, idcirco potius aqua, quàm ignis ſubdominabitur.

CXLII.

STERNVTAMENTA, naturæ opera eſſe ſcripſit libro 6. de Morbis uulgaribus Com. 5. com. 3. ita inquiens. Nempe hoc modo, narium humiditas, excrementis in cerebro collectis, per ipſas effluentibus, accidit. Sternutamenta uero, & ipſa, naturæ opus ſunt, ab affe-

ctibus

ctibus autem morboſis proueniunt. Eodem modo & libro 2. de Symptomatum cauſis capite 1. vbi declarat, quæ ſint naturæ opera, quæue morbi, & quæ, utriuſque ſimul iuncti, de naturali uirtute dum loquitur, ita ſcribit. Eiuſmodi ergo facultatis opera ſunt, ſternutatio, tuſsis, oſcitatio, pandiculatio, & ſingultus. Quod etiam in calce eiuſdem libri, his uerbis ab ipſo repetitum eſt, (ad expultricem facultatem, motus eos referens) Tuſsis quidem, ſternutatio, & ſingultus, & rigores, expultricis uirtutis ualidi ſunt motus; pandiculatio, & oſcitatio eiuſdem quidem uirtutis motus ſunt, ſed mediocres. Idem ſcripſit 5. Aphoriſmorum ſectione, com. 35. ſuper uerbis Hippocratis, quæ ita habent. Mulieri, quæ uterinis moleſtatur, & difficulter parit, ſuperueniens ſternutatio, bonum. ubi Galenus in commento, ait, Signum itaque bonum exiſtit, quia naturam oſtendit, quæ prius obſtupuerat, excitari, ac reuiuiſcere, & propriarũ meminiſſe operationum, quando aliquam eijcit ſuperfluitatem; quibus locis, ſternutationem, naturæ opus eſſe, affirmat. Contrarium attamen euidentiſsime tenere uidetur; atque non naturalem, ſed præter naturalem eſſe contendit libro 3. de his, quæ in medicatrina fiunt, com. 37. ſternutamenta inquiens, motus præter naturam ſunt, ſicuti & tuſsis, & ſingultus, & pul-

ſus,

ſus, qui in inflammatis membris,& in temporum arterijs cum dolore uehementi, caput infeſtat, exiſtunt, nec non & palpitationes.

STERNVTAMENTA, *naturæ opus eſſe dicuntur, quemadmodum pluribus locis aſſeruit, quoniam à natura, triſtem ſenſationem percipiente, atque ſe exonerare cupiente, fiunt; excitat nanque ſeipſam natura ad motum illum ſternutationis, vt ſuperuacua excutiat, quemadmodum ſcripſit libro 2. de Symptomatum cauſis capite 10. inquiens. Porrò in omnibus, quæ dicta ſunt, vnum commune habetur, nempe expultricem facultatem, ſeipſam ad vehementiſſimos motus excitantem, quo excutiat ea, quæ infiſtant. atque idcirco Hippocrates 7. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 52. ſcripſit. Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo, quod in capite inani; de ſternutamento illo agẽs, quod, principium ſuæ generationis habet naturæ motum, ſpiritum flatuoſum ex capite excernere appetentis. Fit enim (inquit Galenus in commento) rarefactis ijs, qui ſunt in capite, humoribus, & naturæ impetu excretis. Dum vero libro 3. de his, quæ in medicatrina fiunt, ſternutamentum, motum præter naturam eſſe dixit, haud ſecus, ac tuſſis, ſingultus, & pulſus, qui in inflammatis membris eſt; illud ea de cauſa, dictum ab ipſo ſit, quoniam à morboſis prouenit affectibus, naturam irritantibus.*

STV-

CXLIII.

STVPEFACIENTIA, refrigerare, atque exſiccare uoluit libro 12. Therapeutices methodi, capite 7. inquiens. Quæ autem ex papaueris ſucco, aut alterco, aut eo modo frigidis compoſita medicamenta ſunt, ſimul omnia refrigerant, & ſiccant. Cuius oppoſitum tenendum iure optimo eſt; nam licet Galenus eo loco de ijs medicamentis, non tanquam ſoporificis, ſed tanquam dolorem lenientibus uerba faciat, cùm tamen ſtupefacientibus ipſis, concilietur & ſopor, qui ab humido fit, & non à ſicco; neſcio, quo pacto ſtupefacientia exſiccare poſſe aſſerat: Quod ſi exſiccare dicantur, ſomnum nequaquam inducere poterunt.

STVPEFACIENTIA *dum exſiccare aſſerit, libro 12. Therapeutices methodi; hunc ipſis effectum, atque hanc ſibi vim à Galeno attributam dicamus, non dum interius per os aſſumpta fuerint, ſed quùm exterius admouentur. Frigidiora nanque exterius applicita, dum humorem exprimunt, ſicca etiam reddere membra, quibus admouentur, veriſimile eſt; interius vero aſſumpta ſtupefacientia, frigida quidem ac humida ſunt, atque ea ratione, ſomnum conciliare valent.*

CXLIIII.

SVDORE in ipſo repletionali, multo, corpus per aluum, euacuandum eſſe præcipit Galenus 4. Aphoriſmorum ſectione com. 41. ſuper

ſuper uerbis Hippocratis in textu, quæ ſic habent. Sudor multus ex ſomno factus, abſque cauſa manifeſta, corpus, uti pluri cibo ſignificat, ſi uero cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet, quod euacuatione indiget. Galenus in cõmento habet, Quod uero in præſenti aphoriſmo docetur in uerbo, multus, adiecto, maxime conſiſtit; ſi enim, ſudor multus non eſſet, poſſet, & propter uirium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere; ipſius uero multitudo, altera duarum cauſarum ſit, uel propter ciborum, qui ſunt recenter aſſumpti, immoderantiam, uel illorum, qui antea. Quod ſi propter recenter aſſumptos, prohibere oportet, ne aſſumant plures; ſi propter prius aſſumptos, euacuare. Aduerſari uidetur opinio hæc, & proprijs, & omnium ſcribentium placitis, præcipue ipſius Hippocratis, qui prima Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 20. præcepit nobis; quæ iudicantur, & iudicanda ſunt integre, ea non mouenda, neque innouandum aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere. Quocirca, ſudore exiſtente multo, nulla prorſus debet euacuatio tentari, ſi ab Hippocratis ſanctionibus minime recedere uelimus. Quod ſi ulla forſitan admittenda foret, qualis ea eſſe debeat, ſequenti aphoriſmo, uigeſimo primo uidelicet, nos edocuit, inquiens. Vndecunque natura

repit,

repit, per eaſdem regiones ducere oportet. Si itaque eius placitis acquieſcere, atque ipſi obtemperare uoluerimus, uel nullam debet nobis Galenus euacuationem præcipere, ſudore copioſo exiſtente, uel ſaltem nó per ſeceſſum, quin magis per ſudores, per eas ipſas uidelicet regiones, ad quas natura uergit, eam nobis indicere debuit.

Si *ſanctionibus Hippocratis ſtare voluerimus, ſcribentis prima Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 21. Quo magis natura vergit, per conuenientes regiones, eò ducere opus eſſe, ſudore plurimo exiſtente, ſi euacuatio ulla congrua eſſe deberet, ea utique per ſudorem tentanda nobis eſſet. Cur autem, ſudore in multo repletionali Galenus, per aluum euacuandum eſſe præcipiat; quod etiam Princeps voluit 2.4. tract. 1. capite 68: (licet inferius capite 71. ſcripſerit, ſudorem habenti, plhebotomiam non conuenire, neque ventris ſolutionem propter debilitatem ſuam, quin potius leues clyſteres) dicamus, quod cum copioſo ex ſudore, repletionem, ſuccorumq; copiam in corpore, fore, certo ſciamus; ſudoribusq; ipſis, tenuia tantum proliciantur excrementa, reliquum eſt ut per aluum quoque euacuandum eſſe iure præcipiat, quo, craſſiora ea, quæ per ſudores; euacuari nequeunt, excrementa, educi per ſeceſſum valeant; atque hac ratione, ſudore in multo per aluum quandoque etiam euacuare liceat.*

CXLV.

SVDORES aliquos eſſe ſcripſit, qui coctionem oſtendunt libro I. de Criſibus, inquiens, eos ſi in prima protinus acceſsionis hora appareant, ad bonum apparere. Idem habet & in libro de Conſtitutione artis medicæ, in hunc modum ſcribens. Naturæ robur ex proprijs, præſertimq; ex pulſuum actionibus cognoſces, quandoquidem uitalis ij ſunt opus facultatis; morbi magnitudo ex eius accidentibus; quantum uero alter alterum ſuperet, coctionibus, incõcoctionibusq;, has ipſas ex proprijs excrementis, quæ quidem in aluo ſunt, per inferne ſublabentia; quæ in uaſis, per urinas; per ſudores uero, quæ toto corpore continentur. Non uideo, neque ita facile edoceri poſſum, quin, & impoſsibile mihi uidetur, ſudores cognoſci poſſe, qui coctionem, qui ue cruditatem oſtendant, quemadmodum coctionem, cruditatemq; & urinæ, & ſputa ipſa demonſtrant.

MENTE *concipere non debemus, ſudores eo modo nobis coctionem oſtendere poſſe, quemadmodum vrina, ſputa, atque alui excrementa demonſtrant. Vrinarum nanque lenem, æqualem nebulam, atque in medio vaſis conſiſtentem intueri licet, quæ concoctionem manifeſtam nobis reddunt, quorum nullum, ſudoribus innoteſcit; neque eo pariter modo, quo, concocta dicimus ſputa, dum ipſa non tenuia, nec*

craſſa

craſſa nimis, ſed optima conſiſtentia, atque alba ſeſe nobis offerunt. neque etiam, quemadmodum concoctas alui feces dijudicamus; quinimo ſudor, inconcoctus prorſus humor eſt Ariſtotele auctore 2. Problematum ſectione, problemate 4. vbi quærit, cur magis parte ſuperiore corporis, quàm inferiore ſudemus. Coctionem tamen nobis forſitan indicabunt ſudores, cùm copioſi fuerint, atque ex vniuerſo ſcaturierint corpore, & qui in iudicatorijs diebus fiunt; necnon, & quos facile ægroti ferunt, meliuſq́ inde ſe habent, atque qui febres, ſymptomata'ue ſedauerint, quemadmodum ex Galeno elicimus libro 1. Prorrheticorum Com. 3. com. 21. & ex Hippocrate libro de Iudicationibus, circa initia.

CXLVI.

SVILLIS partibus extremis, attenuanti in uictu ueſci concedit, in libello de Victu attenuanti, inquiens. Porro, quemadmodum partibus porcorum extremis, ueſci conceſsimus, ita & gallinarum alis, uti concedimus; teſtes tamen, & uiſcera, attenuanti dietæ non competunt. Quo in loco, extremas illas partes, attenuanti in uictu, haud ſecus admittere, illum, conſtat, ac gallinarum alæ conceduntur. Quod etiam ſenſiſſe uiſus eſt in libello de renum affectus dignotione, atque medela, & ſuum, & paruorum porcellorum carnes concedens. Cuius oppoſitum & ratio habet, & uſus ipſe, ratio eſt iſta. Attenuantes quippè ci-

 bi,

bi, cùm ij ſint, qui tenuem ſanguinem reddere poſſunt, hoc autem à friabilibus cibarijs, non autem lentorem habentibus præſtari perſpicuum ſit, veluti ſunt ipſi porcorum pedes, extremæq; partes, quas nobis commodo futuras eſſe docuit uſus, atque experientia ipſa, nō quando ſuccos attenuare, ſed potius dum ſanguinem craſsiorem reddere in animo eſt; idcirco, non modo non attenuant ſuillæ partes extremæ, quin potius incraſſant, lentoremq; inducunt, ſcribente Galeno libro 3. de Alimẽtorum facultatibus capite 2. quod quanto carnes bubulæ, totius ſuæ ſubſtantiæ craſsitie, ſuillas ſuperant; tanto ſuillæ, bubulas lentore antecedunt; atque cùm in libello de Cibis boni, & mali ſucci, circa medium, ab ipſis etiam boni ſucci cibis abſtinendum eſſe, nos doceat, ſi craſsi ſint ſucci; idcirco huiuſcemodi ſuillas partes, uiſcidæ cùm ſint, craſſoſq; pariant ſuccos attenuanti in uictu, qui ad ſanitatem maxime facit, quantum in nobis eſt, cauere debemus. Attenuantem uero uictus rationem, plurimum ſanitati conferre teſtatus eſt libro 3. de Alimentorum facultatibus capite de piſcibus molli carne præditis, in capitis calce, his uerbis. Diximus autem ſæpenumero, molles, & friabiles cibos, ad ſanitatem maxime conferre, quod ij, omnium, optimi ſint ſucci; nihil enim eſt, quod ad firmam ualetu-
dinem

dinem tuendam, adeo conferat, quàm ſuccus bonus. Quod etiam ſcripſiſſe uiſus eſt libro 1. de Differ. febrium cap. 5. ſic inquiens. Cibi quicunque glutinoſi, ac craſsi exiſtunt morbis magis obnoxij ſunt; ſuillæ itaque hæ partes, neque attenuanti uictui, neque ſanitati, quæ huiuſcemodi uictu maxime gaudet, ualde commodæ habendæ ſunt.

SVILLIS *partibus extremis attenuanti in victu, veſci concedit, quoniam eorum carnes, optimi ſunt ſucci, atque hominibus maximopere familiares, maximeq́ tum nutribiles, tum corroborantes. Et licet glutinoſum quiddã habeant, & craſſum, quemadmodum ſcripſit in libello de renum affectus dignotione, atque medela, ÿs tamen (inquit) diutius vti non debemus, ſi ſuum ſint; paruorum autem porcellorum carnibus, ſi parum, & aſſidue vtaris, nihil offendent. quo in loco animaduertendum nobis eſt, ipſum, inter ſuum, atque porcellorum carnem, diſcrimen poſuiſſe, vt ſues antiquiores ſint, porcelli vero iuniores. Quod etiam libro 3. de Alimentorum facultatibus capite 2. memoria prodidit, his verbis. Meritò igitur porcelli, alimentum nobis præbent, tanto magnis ſuibus excrementoſiorem, quanto ipſis ſunt humidiores, meritò minus etiã nutriunt. Dum itaque attenuanti uictui, ſuillas carnes, commodas eſſe arbitratur, de iunioribus ſermo ipſi eſt. Et licet craſſos hæ quoque uiſcidosq́ ſuccos generare dicantur, non multa tamen ſunt craſſitiei, vel lento-*

ris, quia attenuantium, craſſefacientiumq́, ciborum in limitibus reponuntur; cui moderato lentori, cùm etiam ſucci bonitas adiuncta ſit, idcirco attenuanti victui, non multo poſſunt eſſe incommodo. Modum autem, quo decoqui debent, vt innoxiæ prorſus ſint extremæ hæ partes, docuit nos Galenus eodem libro de Alimentorum facultatibus, vbi de pedeſtrium animalium partibus excarnibus egit, inquiens. Porcellorum pedes, ſi elixæ ptiſanæ inijciantur, aptiſſimi redduntur, tum vt illam meliorem efficiant, tum vt ipſi molliores reddantur; & ob id ad elaborationem, quæ in ore fit, ac uentriculo, meliores.

CXLVII.

TVSSIM, operationem eſſe ſecundum naturam ſcripſit libro 2. de Symptomatum cauſis, in libri initio, ſic inquiens. Naturæ nomen in hac diſceptatione, pro omni facultate, quæ animal ſiue uoluntatis nutu, ſiue citra hanc regat, intelligas uelim. quippe, hoc loco, omni cauſæ non naturali, cuius uitio læditur & corrumpitur animal, totum illud facultatum genus, cuius beneficio ſeruatur, ex aduerſo opponimus, eiuſmodi ergo opera ſunt ſternutatio, tuſsis, oſsitatio, pandiculatio, & ſingultus. Quod etiam libro quinto de Locis affectis capite 2. confirmauit, his uerbis. Quamobrem, natura, quo robuſtior fieret expreſsio tuſsi uocata, donauit animalia, quæ cùm naturale ſit accidens, & ſternuta-

nutamentum, & ſingultum, & nauſeam, ſimilitudine quadam imitatur. Naturale quoque ſymptoma eſſe aſſeruit, ad expurgandas aſperas arterias, quæ in pulmone conſiſtunt. 7. Aphoriſmorum Sectione com. 51. & libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 5. com. 23. Cuius tamen oppoſitũ tenet, atque ipſam præter naturam eſſe dixit libro 3. de his, quæ in medicatrina fiunt, com. 37. ubi de quibuſdam neceſſarijs membrorum motionibus, uerba fecit, in hunc modum ſcribens. Quarum quidẽ motionum, aliæ naturales ſunt, ut reſpiratio in thoracis pulſibus, & mẽbranis cerebri, aliæ præter naturam, cuiuſmodi eſt tuſsis, ſternutamentum, & ſingultus.

ANIMADVERTENDVM *eſt, natura nomine, nõ intellexiſſe hoc loco Galenum, facultatem eam, quæ peculiari nomine, naturalis dicitur, vt eã contra animalem, & uitalem diſtinguamus, ſed pro facultate, & potẽtia vſus eſt, vt eſt principiũ quoddã motus, & tranſmutationis; quapropter, tuſſim, operationem eſſe dicimus, ſecundum naturam, quoniam abſque uoluntatis imperio fit, natura tamen ad id mota. quia vero morboſis irritata cauſis, idcirco, & præter naturam eſſe dicimus. Amplius animaduertendum eſt, quoſdam ineſſe nobis motus, qui à natura tantum fiunt; quoſdam, qui à morbo; & quoſdam, qui ab utroque. exemplum primi eſt, motus linguæ, pedum, & huiuſmodi. exemplum ſecundi, eſt iecti-*

gatio, quando ſcilicet ex flatu in cute incluſo, cutis mouetur, & ſpaſmus; necnon & quando materia ali qua cruda aliquo in membro conſiſtit, membrumq́ id extendit. exemplum tertij, tuſſis eſt, quæ & à uirtute mouente pectus, atque à matria ſtimulante, fit. Sic itaque tuſſis, opus ſecundum naturam erit, quia illius motus, principium eſt natura, ſeu expultrix ipſa facultas, præter naturam uero, quia à mate ria ſtimulante excitatur.

CXLVIII.

TVSSICVLAM à cibis pinguibus moueri aſſeruit libro 3. de Articulis com. 61. inquiens. Quicũque cibi fauces exaſperant, tuſſi culáq́; prouocãt, aſpredinoſi hi, ab aſpredine, quã adferunt, uocantur, id quod pinguibus, & acidis, & acribus accidit. Libro tamen de ra tione uictus in morbis acutis com. 10. tuſsim ultra omnes alias cauſas, uel ab irritantibus, uel ab exaſperantibus commoueri ſcribit. Quod etiam ex Hippocrate oſtendit 3. Apho riſmorum ſectione com. 5. de læſione, quæ ex aquilone uento fit, uerba faciens. tuſſes, propter inſtrumentorum reſpirationi obſeruientium intemperiẽ, fauciumq́; aſperitatẽ fieri aſſe rens. Verùm cùm pinguia, exaſperantibus, at que irritantibus aduerſa ſint, tuſsim, nequaquam hæc mouere poterunt; quin magis, cùm tuſsis ipſa, præter iam dictas cauſas, à ſiccitate etiam, illarumq́; partium aſperitate commo-

ueatur quãdoque; nonne ad eam tollendam le nitibus,pinguibus'ue utimur?ueluti ptiſana penidijs, diacodione,diadraganthis, atque hu iuſcemodi, quæ guttur leniunt,atque,ut ita di xerim, inungunt.

TVSSICVLAM *à pinguibus cibarijs commoueri, dicendum eſt, non eo quidem modo, quo, tuſſim, mordacia, ſalſa, acidaq́, vel acria, excitant, gutturis exaſperationem facientia; ſed quia oleoſa, pinguiaq́, cùm ſint, illitu, inæqualitatem pariunt, atque ad tuſſim impetum efficiunt. quidquid enim extra naturam in arteria incidit tunicam, tenaciterq́, illi inhæret; tum organis ipſis, & qui, per eas defertur, ſpiritui, inſolens, atque inconſuetum eſt, tum animanti quoque moleſtum, illud expellere per tuſſim natura nititur. Quocirca libro 2. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 16. & 27. à Galeno ſcriptum eſt, contingere ad tuſſim commoueri animalia, propter inæqualitatem quandam in gutture præter naturam prouenientem; ſpiritus quippè per puram, leuemq́, ferri uiam conſuetus, ſi quando in eminentia quadam impingat, tumultum quendã, ac velut inæqualem concuſſionem in gutture efficit, atque ita ad tuſſim animal prouocat.*

CXLIX.

VENAS meſaraicas, non modo ſanguinem attrahere, uerum etiam quoquo pacto cócoquere, atque præparare ſcribit libro 4. de Vſu partium in principio. Quod etiam eodem libro

libro repetitum ab ipſo eſt', ubi de iocinore uerba fecit; necnon & in Introductorio, ſanguinẽ protinus in meſaraicis uenis fieri inquit, dum exugunt, qui antea in ieiuno ſuccus erat. Cuius oppoſitum habet in libro de Placitis Hippocratis, & Platonis, aduerſus Ariſtotelem diſputans, ſanguinem in iecore fieri, & non in corde; uenamque huiuſcemodi uim, nullo pacto obtinere poſſe, affirmat.

V ENAE *meſaraica, licet non proprie, ac uere, ſanguinem generare ualeant, quemadmodum in libris de Decretis Hippocratis, & Platonis aſſeruit, ab ipſis tamen, concoctionem aliquam, iecur, originis ſua principium, & quaſi fons, quemadmodum à ventriculo, inteſtina mutuantur. Atque medicorum omnium conſenſu firmatum eſt, ſanguinem in venis huiuſcemodi quoquo pacto praparari, in iocinore uero, alijsq; uenis, ſummũ perfectionis gradum adipiſci; quemadmodum uentriculus, cibos quidem concoquit, atque chylum conficit; abſolutio tamen, atque perfectio in inteſtinis eſt: neque hac mẽbra modo, ſed ne alia ferè ulla, perfectum opus inire poſſunt, quin ab alio ſibi praparatum demandetur. Quocirca & ſanguis, qui oſſa, cartilagines, uincula, membranas, & neruos eſt nutriturus, quodammodo inquit Actuarius, in anguſtarum uenarum extremitatibus iam albeſcit, prius quàm ad nutrienda membra deducatur. Meſaraica itaque uena, licet perfectum non conficiantur ſanguinem, cùm in iocinore*

re is perficiatur; illum tamen quoquo pacto præparant.

CL.

VENARVM tumorem, multitudinis inſeparabile ſignum eſſe aſſeruit 2. Aphoriſmorum ſectione com. 17. ſic inquiens. Si quis enim plus conſueto aſſumpſerit cibi, æquali autem prioribus, áut etiam minori utatur exercitio, mox aggrauato corpore, cum rubore atque tumore uenarum, incipiat febricitare non abſque ratione quiſpiam, illum, ex multitudine febricitare exiſtimauerit. Si igitur, euacuatus inde iuuatur, ſtatim exiſtimatio de multitudine confirmabitur, & creſcet audacia, in eiſdem ſimili modo euacuandi, non expectantibus empiricorum obſeruationem, quam ipſi aiunt, eorum eſſe, quæ ſæpius in eiſdem eodem modo contigerunt. Oppoſitum cuius habet in libello de Multitudine, uenarum tumorem, nequaquam multitudinis inſeparabile eſſe ſignum contendens, his uerbis, Venarum tumor, illarum uenarum index eſt, quas oculis uſurpamus; non earum tamen neceſſariò, quæ in profundo habentur; ſed uſu uenit (inquit) nonnunquam, uenis licet diſtentis exterioribus, diſtentas quoque interiores non perinde eſſe; cuius rei exemplum profert, ita ſubiungens, frigore dominante, ſanguis ad ima detruditur, adeoq; exteriores exinaniuntur

tur ſanguine, ut ne uideri quidem poſsint. rurſus ubi calor inceſsit; aut lotus quis eſt, ſanguis, profunditate relicta, ad externas corporis partes effertur. Quod ſi & ardens febris ſit, tunc quoque uri corpus quaſi feruens, inflariq́; , ac fundi eſt neceſſe. Quamobrem uenarum tumor, nequaquam multitudinis inſeparabile indicium eſt.

QVONIAM *Galenus in calce libelli de Multitudine ſcriptum reliquit, atque manifeſte oſtendit, venarum ex tumore multitudinem certò pronunciare non licere, quando ſanguis ex frigore, ita quandoque ad interna confugiat, vt externa corporis vena eo deſtituta uideantur; ex calore vero è contrario; qui nanque in internis eſt, profunditate relicta, ad externa effertur, ac venas replet, multitudinisq́; indicia prabet, licet non ſit. Idcirco ex ſolo venarum tumore, multitudinem internoſcere, non leue eſt negocium; ipſius autem plenitudinis, plurima alia indicia ſunt, vaſorum quippe diſtenſio, & cum quodam quaſi doloris ſenſu; rubor, tumorq́; corporis, ita vt ipſius moles iam plenior euaſerit, & brachia, & manus, tibiaq́; inturgeſcunt, pulſuum magnitudo, fortitudo ac plenitudo, qua non in ſolo carpo, verum etiam in temporibus, in digitis, & in extremis quibusque partibus, moleſta pulſatione conſpicua ſit. venaſi quidem ampliores, anaſtomoſi, nonnihil etiam in arterias transfundunt, niſi ſupra modum craſſi, viſcoſiq́; humores exiſtant; reſpiratio nec alta, nec*

omnino

omnino libera, aliaq́; plurima quemadmodum in libro Introductorij aſſeruit, vbi de humoribus egit. Quibus liquido conſtat, ſolum venarum tumorem, non eſſe multitudinis indicium: niſi conditiones hæ corpori ſubſint, prima, vt neque partes interiores, exterioribus; neque his, illæ plus caloris obtineant; ſecunda eſt, vt neque per totum, vel immodica ſit caliditas. Quando itaque Galenus 2. Aphoriſmorum ſectione, venarum tumorem, multitudinis inſeparabile eſſe ſignum aſſeruit; reſpondendum eſt, non ſimpliciter ipſum intellexiſſe huiuſcemodi tumorem, multitudinis eſſe indicium; ſed innuere ex dictis voluiſſe; quod ſi quis plus conſueto aſſumpſerit cibi, ſitq́; is plenior, valentiſq́; materiæ; minori vero quàm aſſueuerit, vtatur exercitio, vitaq́; ocioſa ſit, nihil è corpore diſſipans, omnia retinens; quemadmodum & cutis denſior; amplius & omnis conſueta vacuatio ſuppreſſa, ei, venarum tumorem ſuboriri neceſſe eſſe, illiq́; copioſo ex cibo, ocio'ue, oppleto, multitudinem in venis fieri. Venarum itaque ipſarum tumor, non multitudinis indicium eſt, quin potius cætera à Galeno, ibi enarrata, multitudinis, ac copiæ ſuccorum in venis, occaſiones eſſe poterunt, atque ex ijs, cùm inturgeſcant venæ, multitudinis indicium præbent.

CLI.

VESICAM, unica tantum conſtare tunica ſcripſit libro 13. de Vſu partium capite ul imo inquiens. Cur autem inteſtina omnia, & uentri-

uentriculus ex duabus tunicis conſtiterint, matricibus uero, una ſatis fuerit, quemadmodum & utrique ueſicæ, diximus quidem iam ſummatim ſermone præcedenti, cùm inſtrumentorum nutritioni dicatorum conſtructionem exponeremus. Quod etiam libro 2. de facultatibus naturalibus affirmauit, ſic inquiens. Proinde ſi quod uel ex una tunica inſtrumentum conſtat, ueluti ambæ ueſicæ, uterus, & uena, utrunque fibrarum genus obtinet, rectarum, ac tranſuerſarum; atque paulo inferius ſubdit, Sola inſtrumentorum omnium, atque harum utraque ex tranſuerſis conſtante fibris, facta ſunt inteſtina. Alibi tamen contrariam habuit in re hac ſententiam, in libro nanque de iuuamento anhelitus, uterum, binas habere tunicas ſcripſit, licet in animali mortuo non appareant, quia (inquit) ex frigiditate condenſantur, atque in unam coeunt. Geminas quoque eas eſſe probare nititur libro 1. de Potentijs naturalibus aduerſus Aſclepiadē (de quo in eandem ſententiam etiam Ariſtoteles meminit 13. Problematum ſectione, problemate 6.) qui tenebat, eum, qui bibitur humorem, in halitus reſolui, atque in ueſicam tranſmitti, inibi uero denuo concretum, priorem recipere formam, fieriq; ex halitibus planè humorem; oſtenditq; ibi, id fieri nequaquam poſſe, cùm duas ualidiſsimas tunicas ueſica

ſica habeat, per quas ſi tranſmitti halitus dicerentur, quare (inquit) ſeptum tranſuerſum & peritoneum non pertranſirent? ac tum abdomen, tum pectus totum, aqua implerent? At craſsius eſt (inquiet Aſclepiades) humorisq; tenacius peritoneum inuolucrum, quàm ueſica, eoque id halitus non tranſmittit; ueſica uero tranſmittit, ac recipit. Verum ſi ipſe ueſicam diſſecuiſſet, fortaſſe non ignoraret, exteriorem ueſicæ tunicam, eandem cum peritoneo naturam habere, ut pote ab eo ortam; internam uero, quæ ipſius ueſicæ eſt propria, plus quàm duplo, eam, craſsitudine ſuperare, quibus uerbis Galenus ueſicam, duplici à natura, donatam fuiſſe tunica, ſcripſit, altera ſibi propria, altera uero eiuſdem cum peritoneo naturæ.

Vesicam, *unica tantum conſtare tunica, pluribus rationibus probari poſſet, ſed ex hac potiſſimum, apertum fiet, ſingula quippè membra, quæ gemina indigent tunica, quatuor de cauſis duplicem ipſam habent; uel enim, quia rem nobilem contineant, vel quia forti indigeant motu, vel quia diuerſis, ualidisq́; motibus ſibi opus ſit, vel etiam quia diuerſas operationes obire debeant. quorum nullum ueſicæ ineſt, neque enim adeo forti, ualidoq́; indiget motu, vt de fractura eius pertimeſcendum ſit; neque rem adeo nobilem continet, vt de eius reſolutione, atque euaporatione timeatur; neque præterea diuerſis*

indiguit

indiguit ita ualidis motibus, vt ea de cauſa, debeant motuum inſtrumenta ſeparata eſſe, diuerſis videlicet, multiplicibusq́ tunicis; omnes etenim uillorum ſpecies, in una met tunica contextæ ſunt; neque etiam, ita diuerſis operationibus ſibi fuit opus, quæ per unicam tantum tunicam compleri nõ valerent. Nulla itaque ineſt ei quatuor cauſarum, propter quam, gemina conſtitui tunica neceſſariò ualeat. Amplius quoque, Galenus libro 5. de Vſu partium capite nono; omnia nutrimenti membra, ſub ſepto tranſuerſo contenta, panniculo quodam, à peritoneo oriundo inuolui uoluit; horumq́ ipſorum membrorum, exteriorem tunicam, ab ipſo peritoneo exoriri affirmat; nutrimenti autem membra, non modò ea intelligens, in quibus nutrimentum elaboratur, quemadmodum uentriculus eſt, hepar, & uena; uerum etiam, illa, per quæ, nutrimenti communes ſuperfluitates excernuntur; in quorum numero & ueſica, lotium continens comprehendi par eſt. Idcirco ueſica, ſi ſecundum propriam ſui ſubſtantiam conſideretur, unica tantum conſtabit tunica, quemadmodum ſcripſit libro 13. de Vſu partium; ſi uero unà cum cooperiente ipſam, membrana, ſibiq́ adhærente, à peritoneò orta, ex duabus conſtitutam eſſe tunicis, dicere poterimus. Vel etiam ex Celſo lib. 4. cap. 1. hoc pacto dicere poſſumus, ueſicam, ſinu in ipſo, neruoſam eſſe, & duplicem; in ceruice vero, unicam, plenam, atque carnoſam.

VESICAM

CLII.

VESICAM frigidam eſſe ſcripſit lib. 6. de Morbis uulgaribus Com. 3. com. 15. ſic inquiens. In pueris itaque, cùm multus ſit inſitus calor, & actiones firmæ, materiæ craſsitudo attenuata, in renes fertur, atque ideo facile in ueſicam percolatur, haud parum, & actionum ui, ad egreſſus celeritatem, conducente, ut pote autem ueſica frigida quippè quæ & neruoſa ſit, & pauci ſanguinis, & ampliſsima interius concauitate inanis. Quod etiam 3. Aphoriſmorum ſectione com. 5. aſſeruit, urinæ difficultatẽ fieri inquiens ob Aquilonis frigiditatem offenſa ueſica. Eſt enim (inquit) exanguis; & propterea ex cauſis frigidis plus quàm aliæ partes, ipſa eſt offenſioni parata. Quod Hippocratis auctoritate comprobatur ſcribentis in libello de Humidorum uſu, ueſicam, genitales partes, & uirilis membri glandem, natura frigidiori eſſe, quàm quis putet. Calidam tamen ipſam conſtituit, dum libro 2. de Natura humana com. 15. pueris in ueſica calculos innaſci ſcripſit propter ueſicæ, atque totius corporis calorem, ubi in textu inquit Hippocrates. Naſcuntur etiam pueris calculi, ob loci huius calorem, totiuſque corporis.

VESICAM, *dum ſexto Epidemiorum libro frigidam poſuit, dicendum eſt, frigidam quidem ipſam*

per ſe eſſe, vt quæ venis deſtituta, exanguis, neruoſaq́; ſit; atque frigidam adeo, vt frigidis ex cauſis, magis quàm aliæ partes, læſioni parata ſit, quemadmodum ſcripſit 3. Aphoriſmorum ſectione com. 5. & ſectione quinta com. 22. ſuper verbis Hippocratis, quæ habent. Sedi, pudendis, vtero, veſicæ, his, calidum amicum, & iudicans; frigidum inimicum, & perimens; vbi frigidam adeo eſſe, arbitratus eſt Galenus, vt etiam ſupraiacentibus partibus, facile frigiditatem tradat. Commentario quoque ſecundo in primum librum Prorrheticorum com. 16. quærens Galenus; quo modo, ſi febris, totum corpus occupet, ueſica refrigerari poſſit; reſpondet, quæſtionem hanc, facile diluere, partis idoneitas, & aptitudo; quaſi dicat, quia frigida natura eſt; per ſe itaque, atque ex ſui natura, frigida veſica erit. per accidens autem & calida dicitur, dum aluus tota ardens, feruidaq́; fuerit, quoniam & veſicam tunc concaleſcere, atque idem perpeti facile poteſt Hippocrate auctore, in libro de Aëre, aquis, & locis, vbi hæc verba habet; Quorum vero aluus ardens ac feruida fuerit, in his neceſſe eſt etiam veſicam idem perpeti; quare & pueris ipſis interno cùm maxime vigeant calore, mirum non eſt ſi veſica calida reddatur, quemadmodum in libro de Natura humana aſſeruit.

CLIII.

VINVM aquoſum, adſtrictionem habere ſcribit libro 3. de ratione uictus in morbis

bis acutis com. 2. inquiens. Aquoſum ut prætermittamus, quod nō omnino ab adſtringenti degenerat, tametſi languidam, exolutamq; habeat adſtringendi facultatem. Contrariam habuit de eo ſententiam eodem lib. com. 8. aquoſum uinum, adſtringentiam nullam habere ſcribens, his uerbis. Vinum aquoſum febrientibus maxime idoneum; eſt autem colore album, ſubſtantia tenue, neque auſteritatē, neque adſtringentiam, neque dulcēdinem, neque acrimoniam, neque odorem habens, ſicuti alia uina.

VINVM *aquoſum, adſtrictionem habere dicendum eſt, non protinus: quidem dum bibitur, ſed temporis progreſſu; neque id quidem per ſe, ſed per accidens; quippe quoniam, cùm propter ſui aquoſitatem meatus non aperiat, membra non facile permeans, adſtringere quoquo pacto dici poteſt. Amplius cùm frigidum huiuſcemodi vinum, aliorum reſpectu exiſtat; frigidiq; proprium ſit membra cogere; ea occaſione quoque vinū aquoſum adſtringere dicēdum eſt.*

CLIIII.

VINVM album auſterum, ſenſibiliter, refrigerare ſcribit in libello de Cibis boni, & mali ſucci, his uerbis. At in uinis, quod uetuſtiſsimum eſt, & Cæcubum, ut diximus à Romanis appellatur, adeo ab albo, ſimulq; auſteritatem habente, necnon recente, craſſoq; differt, ut illud efficaciſsime calfaciat-

ſenſibiliter, hoc, refrigerandi uim habeat. Cuius contrarium tenet, in libro de Alimentorum facultatibus, & lib. 8. de Simplici medicina, capite de uino. Omne uinum calefacere, etiam aquoſum ipſum aſſerens. Celſus quoque libro 1. capite 3. quæ corpus calefaciunt recenſens, inter cætera auſterum uinum repoſuit.

VINVM *album auſterum, apertiſſime calefacere aſſeruit Hippocrates libro 2. de Diæta. Quare dum Galenus in libro de Cibis boni, & mali ſucci, huiuſcemodi vinum ſenſibiliter refrigerare ſcripſit, de eo intellexiſſe credendum eſt, quod ex immaturis, acerbioribusq́; uuis expreſſum eſt, quod omphacium, ſeu acreſta vulgo dicitur. nullum quippe vinum, neque oligophoron, pauciferum'ue ipſum, buiuſce facultatis eſſe poteſt, quemadmodum tradidit in libro de Alimentorum facultatibus, vbi ex profeſſo de vino egit; non calefacere quidem recentia vina retulit, eodem libello de cibis boni, & mali ſucci paulo ſuperius, quemadmodum nimis vetuſta præter modum calefaciunt; refrigerare autem, nullum omnino poſſe, neque ibi, neque alibi ſcriptum ab ipſo eſt. niſi de omphacio, uti dictum eſt, intelligatur. Vel etiam dicere poſſumus, Galenum non intellexiſſe, vinum quod album, & auſterum tantum ſit, refrigerare; ſed etiam, quod craſſum & nouum pariter exiſtat, ægre quippe huiuſcemodi vina concoquuntur; atque inconcocta diutius permanentia, calefacere minime poſ-*

poſſunt; quam ſententiam expreſſiſſe videtur Aëtius ſermone 2. capite 268. his verbis. Vinum album, & auſterum, minime ut vinum calefacit; vinum vero album, ſimulq; auſterum, & craſſum, ac nouum, ſenſibiliter frigefacit.

CLV.

VINVM humectare ſcripſit lib. 5. de Tuenda ualetudine, docens, quomodo conſeruandi ſenes ſint, affirmansq; cum ſuæ temperaturæ oppoſitis, conſeruandos eſſe, calidis ſcilicet, ac humidis, balneo uidelicet aquæ calidæ, ac uini potu. Imo (inquit) uinum, ſicuti pueris eſt, alieniſsimum, ita ſenibus aptiſſimum. Eodem modo & libro 7. Therapeutices methodi capite ſexto, ubi ſiccas intemperies curat, uini (inquit) tum qualitatem, tum quantitatem memoremus, ut pote, quod, maxime ad talia uim habet, quando, uno hoc, in potu utendum cenſeo omnibus, quibus corpus refici opus eſt, modo non febricitent, refectio autem, ſeu reſtauratio, non alia ratione fit, quàm membra humectando, aut quod in eis, naturalis humoris, deperditum eſt, reſarciendo. Cuius tamen contrarium tenere uiſus eſt libro 1. de Diæta ſalubri com. 2. ſuper uerbis Hippocratis in textu ſcribentis. Hyeme præ cæteris plurimum comedendum, bibẽdum quàm parciſsime, & potus eſſe uinum debet quàm meraciſsimum; quo in loco Galenus

inquit Hippocratem, uino calefacere corpus, atque ſiccare inſtituiſſe, temporis immoderato temperamento adductus, quia calefacit, & ſuperfluitates exſiccat, hyberno tempore genitas.

VINVM *humectare dicitur; quoniam nutrimentum omne, quod in ſanguinem conuertitur, nos omnino humectare valet. Hac itaque ratione, vinum, quatenus nutrimentum exiſtit, humectandi vi præditum eſt, quod non modo ex libro de Tuenda valetudine, & ex libris Methodi; verum etiam ex libro octauo de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite de vino, conſtat aperte. Vinum tamen, exſiccare etiam dicitur, vbi pro medicamento à doctoribus ponitur, meritò uidelicet ſuæ qualitatis imprimentis, quemadmodum libro de Alimentis ſcriptum reliquit, ubi antiquum uinum in 3. exſiccare aſſeruit, medium in 2. & nouum in 1. Hac itaque ratione & humectat, & etiam exſiccat uinum.*

CLVI.

VIRTVTVM trium qualibet ammiſſa, neceſſe eſt reliquas quoque perire, libro nono Methodi medendi capite 10. inquiens. Ergo has facultates ſeruare, nihil planè eſt aliud quàm uitam ſeruare, ſiquidem monſtratũ eſt, qualibet earũ ammiſſa, reliquas quoque perire. Cuius contrarium ſcripſit lib. 5. de Locis affectis in initio; poſteaquã etenim, mortem, ad immodicas ſemper ſequi cordis intemperantias

perantias aſſeruit, quoniam cum ipſo corde, omnes uitiantur partes. De cerebro demum atque iocinore uerba faciens, dixit, horum uero temperie deperdita, non oportet ſimul, cordis actionem perire.

TRIVM *harum virtutum procreationis ordo, hic eſt; vt prima ſit altrix; deinde vitalis, poſtrema animalis. Præſtantia vero, & principatu, animalis prima eſt, ab hac vitalis, tertia altrix, vilium enim ſtirpium communis eſt. Vitalis animantibus data eſt, quia altricis actiones abſoluit, ac perficit; inferior vero, & obſcurior animali, vt cuius cauſa, maxime condita ſit. In actionum vero, & uitæ neceſſitate; omnium prima, uitalis ſtatuitur, quod non modo reliquis, materiam ſuppeditet, ſed illas etiam ſuſcitet, perficiat, mutuoq; amplexu tueatur, & foueat. atque verum profectò eſt, qualibet earum ammiſſa, reliquas quoque neceſſario perire, non tamen protinus, ſed temporis progreſſu, neque æquali omnes tempore aliarum deſtructionem moliuntur. naturalis nempe ſi deficiat uis, & vitalis, & animalis ipſa labefactantur tandem, ac concidunt; atque alijs quoque idemmet vſu venire par eſt; diuerſis tamen vnaquaque temporibus, ocius quippe hac, illa uero ſerius, aliarum deſtructionem pariunt; atque idcirco & libro de Locis affectis quinto, cerebri, atque iocinoris temperie deperdita, non ſimul cum eis, hoc eſt eodem tempore, & cordis actionem perire uoluit; Hepatis quippè opus, licet omnibus noſtri cor-*

poris particulis perneceſſarium ſit; non tamen perpetua adeo, neceſſitas eius eſt, atque ipſius cordis, auctore Galeno libro ſeptimo Therapeutices methodi ad calcem. Pereunt autem hoc ordine, vt ab ea, quæ in malum, & pernitiem primum incurrit, ea proxime laboret, quæ maiorem; poſtremo autem ea, quæ cum illa, minorem neceſſitudinem, aut cognationem habet. Ab animali enim, primum uitalis, deinde naturalis afficitur; à uitali, animalis, vt cui illa, materiam & uitæ formam miniſtrat, tandem uero naturalis à naturali, uitalis, mox animalis.

CLVII.

VITICEM, frigidam ab ipſo teneri, manifeſte conſtat, cùm illam, capitis dolori, à calida cauſa oborto admoueat libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi de capitis dolore uerba faciens inquit. Quod ſi & ab arboribus, & à fruticibus auxilia, ad caput præter naturam calidius petere oporteat, uitex ad hoc conuenientior exiſtit, & uitis, & lentiſcus, & platanus, ſi quis, eorũ teneris germinibus acceptis, deinde tritis, ab ipſis ſuccum exprimat. Non ſecus quoque de eadem paulo inferius ſcripſit, atque ad eundem admouit affectum ex Archigene, ſic inquiens. Lauri etenim folia calidiſsima, uiticis uero moderate refrigerantia ſunt, in medio utrorunque populi folia exiſtunt. Amplius non modo folia ipſa, quin ipſius etiam ſemina, fri-

gida

gida ab eodem, atque humida creduntur iiſdẽ locis, ſic ſcribente. Quintum uero non propè ad horum uim accedit, ut ſcilicet cataplaſma ex aqua, & uiticis ſemine componit, quod non ſolum ab utraque facultate, tum calefaciendi, tum reſiccandi, quibus eæ præſtant, quæ ex myrrha compoſita ſunt, multum deficit. Sed & contrarium facere poteſt, in his, quibus caput, ob frigiditatem dolet. Frigidam quoque, & ſiccam eſſe aſſeruit libro 1. de Alimentorum facultatibus capite proprio, de uiticis ſemine. & lib. ſexto de Tuenda ualetudine in calce, ſcribens quantum coitus, gracilibus corpore, genitale uero ſemen copioſum habentibus, noceat; quibus ſuaſit, molles ut amerinæ frondes, ac rutæ ſubſternerentur; à quibus illico fructum perſenſere; atque hac profectò, renibus ſubſtrata in cubilibus, conſumi ſemen teſtantur ſcriptores, tolli nocturnas pollutiones, atque coitus effrena deſideria ſedari, quæ à frigiditate tolluntur. Oppoſitum tamen de ipſa ſcripſit libro 6. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite proprio, ubi non folia modo, uerum etiam ſemen ipſum, calidum ac ſiccum in tertio ordine poſuit, atque admodum tenuium partium; ſemẽq; eius, tam perſpicuò calefacere aſſeruit, ut capiti, hoc ſolo nomine, dolorem pariat. Dioſcorides quoque capite proprio, calefaciendi

ciendi uim illi attribuit manifeſtam. Aëtius que ex Oribaſio ſermone 2. capite 198. uiticis folia, & ſemen inter moderate calefacientia re poſuit; quinimo ſerm. 1. capite proprio, huius arbuſti (inquit) folia, flores, & ſemen tertio ordine calida, & ſicca ſunt.

Viticem, *dum frigidam eſſe pluribus locis teſtatur Galenus, de ipſa uirenti, intelligere debemus. quod fortaſſe ex lentore ipſius, ita eſſe, facile demonſtrari poteſt; virens nanque, ac lenta dum adhuc eſt, plurimam ſibi aſſociat humiditatem, quæ frigiditatis, potius quàm caloris eſt particeps; uiſcidorum nanque, alia aërem non modicum intra ſe habent, alia etiam aquoſa natura ſunt, quæ frigiditatem quãdam proculdubio innuunt. Calida tamen, & ſiccæ eſſe non modo ſemen, verum etiam arborem ipſam, cum Galeno lib. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, atque etiam cum Aëtio, alijsq́; doctoribus, admittere, atque fateri debemus; atque tum maxime, cùm ſicca reddita arbor, lentorem, humidioresq́; ſui depoſuerit partes. Et licet, rerribus ſubſtrata in cubilibus, ea, cõſumi ſemen teſtentur ſcriptores, nocturnas pollutiones tolli, atque coitus effrena deſideria ſedari; non ab ipſius frigiditate, illud fieri palàm eſt, ſed magis quia ſiccans ſit, ac calefaciens, minimeq́; flatuoſa, quæ duo veneri, quàm maxime aduerſari creduntur. Quare fruticem hunc græci ἄγνον, hoc eſt caſtum, vocauere.*

VLCE-

CLVIII.

VLCERIBVS in internis, clyſteres laudauit leues libro 4. Methodi medendi capite 7. ex ipochiſtidis uidelicet incocto, balauſtiorum, atque ex citinis punicorum, & galla, & mali cotio. Contrariam tamen huic, uiſus eſt habere ſententiam libro 9. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi; de infuſis egit diſentericis accommodatis, fortia laudans enemata ex metallicis facta, ex charta uidelicet combuſta, alumine ſciſſo, auripigmento, ſandaraca, ſquamma æris, uiua calce, huiuſcemodiq; ualidioribus.

INTESTINORVM *ulceribus, modo ualidioribus medemur medicaminibus, modo debilioribus opitulamur; cuius rei rationem reddens Galenus in Introductorio, de diſenteria uerba faciens; poſteaquam diſenteriam à duplici cauſa ortum habere affirmauit, inquit, illa, quæ ex fluore nata diſenteria eſt, reprimentibus, ac fluorem ſiſtentibus medicatur; quæ uero ex acris cuiuſpiam ſucci roſione eſt orta, dulcorantibus, atque his, quæ morſum lenire ualent, ipſa tantum exulcerata loca leniendo. Præterea, & quando diuturno iam morbo, depaſta ulceris ramenta, & putrida deijci ſolent, tum ex ſandaraca, calce, auripigmento, atque id genus alijs immiſſi paſtilli proſunt; quippe qui exulcerata loca ualide ſiccant, atque ob ſaniei copiam nullo nobis eſſe incommodo, ul lo'ue dolore, nos afficere poſſunt; ubi uero ramento-*

ſa

ſa non ſit ulceris deiectio, his, vtendum non eſſe, ſuades; quoniam conuulſiones faciunt, dolores, cruciatusq́, inducentes. Quod etiam pulcherrime libro ſexto de Morbis uulgaribus Com. 2.com. 9. demonſtrauit, ſic inquiens. Dicunt igitur, uomitum uomitu, & acri clyſteri, mordaces deiectiones ſæpe curari. Eſt uero & in hoc caſu una ſane curatio, affectum excindere ob quem, uel nauſeabundi ſunt, uel crebro inteſtinorum morſu moleſtati, ad exonerandum uentrem conſurgunt. Id autem vt didiciſti bifariam fit, uno quidem modo, nobis, eos humores euacuantibus, qui & nauſeam ſtomacho, & inteſtinis morſum inferunt; altero autem, eos concoquentibus, & in optimam qualitatem mutantibus, aut contemperantibus. Sic itaque pro uaria inteſtinorum affectione, modo lenientibus, modo & acribus vtitur clyſteribus.

CLIX.

VOLVVLO in ipſo, ſolum etiam abſque ſtercore uomitum, exitiale ſignum eſſe, opinatus eſt, 7. Aphoriſmorum ſectione com. 10. in hæc uerba ſcribens. In ileis, nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium, inſeparabile paſsionis; uomitus autem, non ſemper adeſt, ſed quando exitiales ſunt; demum ſubdit; & ſi uehementius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcendit, & ſingultiunt; quo in loco, ſtercoris uomitum, non interitum præcipue, ſed ſingultum indicare oſtendit, dum uehementius

tius diſtorquentur; nihil enim ad inferiora deſcendere, ileum; uomitum uero mortem, ſtercoris autem uomitum, ſingultum parere ſcribit. Superius tamen ſectione 6. aphoriſmo 44. non ſimplicem uomitum, ſed ſtercoris uomitum, lætalem uoluulum oſtendere ſcripſit, in hæc uerba. In ileo nihil exit inferius, neque ſi quis acerrimo utatur clyſtere; uomitus autem ſtercoris, ijs aduenit, qui exitialiter ſe habent.

VOLVVLO *in ipſo (quem εἰλεὸν græci dicunt) non profectò ſimplicem uomitum, quemadmodum 7. Aphoriſmorum ſectione innuere uidetur, ſed cũ ſtercore uomitum, exitialem eſſe voluit 6. ſectione com. 44. quod profectò ſit, propter ventriculi colligantiam cum gracilibus, ſublimioribusq́; inteſtinis. Ex ipſo nanque ſuperius tranſmiſſo ſtercore, expultricis virtutis ammiſſio oſtenditur, quæ ad infernà propellere non valet. Quocirca, & quando ſeptima ſectione commento 10. voluulis in ipſis, non ſemper uomitum, ſed tantum cùm exitiales ſunt, adeſſe aſſeruit; non de ſimplici uomitu, ſed de eo, qui cum ſter core eſt, ſermonem habuit; ſi nanque etiam ſtercus uomatur, clariſſimum ſit tibi argumentum (inquit Galenus Com. 2. in 3. librum de Morbis vulgaribus com. ſexto) inteſtina gracilia affecta eſſe; quibus affectis, & iecur, & lien contagio afficiuntur; ſingultumq́; tunc ſuperuenire par eſt.*

Tuenda ualetudine, docens, quo modo ſanguinem in uenis contentum, ex eius ſeroſitate conijcere debeamus, his uerbis. At ubi is concoctus eſt, hæc in urina apparent (aliquod uidelicet, quod ſidat, & pendeat, uti ſuperius de cruda urina dixit, nihil horum habente) atque etiam nubeculæ quædam deſuper tenues ſuperſtant, ueluti in ſummo lacte colligitur, quæ græce γραῦς dicitur, & quod in ſummo refrigerati iuſculi concreuit. Eodem modo, & libro 3. de Morbis vulgaribus Com. 3. com. 72. urinam colore, & ſubſtantia oleoſam ſe uidiſſe ſcribit, citra ullum laborantis incõmodum, imo quandoque cum morbi coctione. Cuius tamen contrarium traditum nobis ab eodem eſt, atque etiam ab Hippocrate, ſcribentibus lib. 2. Prognoſticorum textu, & com. 35. malam eſſe huiuſcemodi urinam, ac colliquationem indicare potius in colliquantibus febribus ſoluta ab igneo calore, adipoſa parte. Hippocratis autem uerba ita habent. Si pingue deſuper natans, araneorum ſpeciem referat, damnandum eſt, indicat enim corruptionem. in quo commento Galenus quoque ita ait; quale pinguioribus iuſculis refrigeſcẽtibus, ſupernatat, uocata à multis γραῦς ideſt uetula, tale in urina ex conſumptione exiſtit. Quæ ſententia, repetita quoque eſt ab Hippocrate in libro Prænotionum, & in libro

de

de Coacis prænotionibus, atque à Galeno in libello de Atra bile, ad calcem, necnon & libro de Criſibus 1. ubi colliquationis indiciũ, atque prauam eſſe oleoſam urinam apertiſsime oſtendit.

D v m *oleoſam vrinam Galenus libro 4. de Tuẽda ualetudine ſanguinem in uenis concoctum demonſtrare ſcribit, de ſanis ipſum loqui, pro comperto habeamus; in quibus concocti ſanguinis aliqua portio, urina innatans, rem, illi ſimilem oſtendere poteſt, quæ ſupra infrigidata iura concreſcere ſolet. Eſtq́ ideo bonum ſignum, quia caloris naturalis uictoriam oſtendit. Cauſa autem cur adeps, concoctionis indicium eſſe valeat, ab Ariſtotele colligitur, qui libro 3. de natura animalium, capite 19. & libro 2. de Partibus animalium capite 5. adipem, & pinguedinem, ſanguinem concoctum eſſe dixit. Alibiq́ frequentiſſime, ex ſanguine per concoctionem, adipem gigni teſtatus eſt. Sanguinis ergo concocti aliqua portio, urina innatans, rem illi ſimilem oſtendere poteſt, quæ ſupra infrigidata iura, concreſcere ſolet; eſſetq́ (vti dictum eſt) bonum indicium, quia caloris naturalis uictoriam oſtendit. Dum uero, oleoſam ipſam urinam, colliquationem indicare aſſeruit, de agris uerba feciſſe credendum eſt, quibus, ab immodico febrium calore, colliquatio aduenit.*

CLXII.

V s t a, neque frigidiora, neque calidiora ſeipſis fieri, opinatus eſt libro nono de

Simplicium medicameutorum facultatibus capite 1. eos arguens, qui ambuſta omnia, ſeipſis frigidiora fieri exiſtimabant; pariter & eos, qui è contrario, combuſtorum omnium caliditatem augeri,arbitrabantur,quos utroſque errare ſcripſit. Contrariam cuius ſententiam manifeſte habuit libro 2. de Potentijs naturalibus, ad libri calcem,uſta ipſa, non naturalis caloris, acrimoniam adſciſcere aſſerẽs, atque caldiora ſeipſis reddi. Quod etiam libro 3. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera confirmauit; ignis commertio euenire inquiens, ut mordacia, ſeu erodentia fiant medicamenta omnia. Idemq; aſſeruit Aëtius ſermone 1. de galla agens;atque ſermone 2. capite 183.cochlearum uſtarum cinerem ſiccandi uim habere ſcribens;cui & caliditatis quiddam propter uſturam ineſt; quibus liquidò conſtat, uſta ipſa, calidiora omnino ſeipſis fieri. Quod etiam comprobauit Ariſtoteles libro 2. de Partibus animalium capite 2. in calce, ita inquiens. Aduſta etiam ferè omnia, aliquid habent caliditatis, uti calx, cinis, ſedimenta animalium, & inter excrementa fel, eo quod feruore nimio exaruerint, relictumque ſibi contineant aliquid caliditatis.

V S T A *quidem per ſe, neque frigidiora, neque calidiora redduntur, quemadmodum libro nono de Simplicium medicamentorum facultatibus aſſeruit,*

ſi mediocriter uſta ſint; quodſi admodum uſta fuerint, quemadmodum aliam vim aſſumpſere, ac ſpeciem, præterq́; naturam iam ſunt (ceu quæ ex vſtione, non naturalis caloris acrimoniam ſibi adſciuerint, ac veluti cinis quidam ſint reddita) calidiora hoc pacto ſeipſis redduntur, acrimonia ab ἐμπυρώματι, *hoc eſt, ignitione aſſumpta, quemadmodum libro 2. de Facultatibus naturalibus nos docuit Galenus, fecis vſtæ, atque non vſtæ exemplo. Quod etiam Ariſtoteles voluit libro 2. de Partibus animalium, aduſta ferè omnia (inquiens) aliquid caliditatis habere, eo quod feruore nimio exaruerint, relictumq́; ſibi contineant aliquid caliditatis. Error autem eorum, qui vſta, frigidiora euadere, arbitrantur, & illorum qui è contrario, calidiora ea reddi putabant, is fortaſſe erat, quem expreſſit Aëtius ſermone 2. capite 1. quo in loco Galeni verba recenſens, erraſſe vtroſque inquit, quoniam vſtorum, ea, quæ acria ſunt, multum de calore ammittunt; quæ vero huiuſcemodi non ſunt, vſta ſi fuerint, acrimoniam, atque caliditatem ſibi adſciſcunt; quod etiam inferius capite 78. de chalcitide agens, his verbis comprobauit. Nam, quæ natura acria ſunt (inquit) vſta, mitiora fiunt; reliqua, acriora. Quotieſcunque itaque Galenus, vſta ipſa calidiora ſeipſis non reddi aſſeruit, de his fortaſſe intellexit, quæ acria natura ſunt; atque frigida potius ex Aëtio, quàm calida exuſtione euadunt; vel de his, quæ leniter vſta ſunt. Quando vero vſta, acrimoniam,*

niã, atque caliditatem acquirere innuit, ea expreſſit, quæ acria prius natura non erant; & quæ ex valida exuſtione, acredinem contraxere, aque calorem. quæ nanque medicamentorum, inquit libro 9. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite de metallis, & pumice, dura, & craſſa ante uſtionem fuerat eſſentia, ea depoſita, digerentem facultatem adſciſcunt, quod etiam libro 11. capite de oſtreis affirmauit.

CLXIII.

VTERVM, atque utraſque ueſicas unica tãtum conſtare tunica aſſeruit libro 13. de Vſu partium ad calcem. inteſtina uero omnia, ac uentriculum, duabus. Idem uoluit & lib. 3. de facultatibus naturalibus, ita ſcribens. Proinde ſi quod, uel ex una tunica inſtrumentum conſtat, ueluti ambæ ueſicæ, uterus, & uena, utrunque fibrarum genus obtinet, rectarum, ac tranſuerſarũ; quin tertium quoque fibrarum genus, obliquarum, eſt minus omnino, quàm prædicta duo genera, numeroſum. Oppoſitum uero habuit in tractatu de anathomia uteri, ubi uterum binas habere tunicas, credidiſſe uiſus eſt, his uerbis. Ipſum uero corpus uuluæ, duæ tunicæ explent, oppoſito modo inter ſe applicatæ, quarum exterior neruoſa, interior uenoſa eſt; ea natura, utræque, ut multum & diſtendi, & contrahi facile poſsint; exterior ſimplex, atque una eſt, interior di-

plex; cuius partes cohærent inter ſe quidem, non tamen ita, ut coniunctæ atque unitæ ſint, ſed adiacent tantum, ab altera tunica circundatæ. Ex quibus deſumpſit Auicenna, quæ 21. 3. tract. 1. cap. 1. de anatomia matricis agens, in eandem ſententiam ſcripſit, geminas ipſas eſſe affirmans, ac inquiens. Et creata eſt matrix cum duabus tunicis, quarum intrinſeca eſt propinquior ad hoc, ut ſit neruoſa, & aſperitas eius eſt propter illud.

VTERVM, *unicam tantum tunicam ſibi propriam habere pro comperto nobis ſit. Dum vero geminam ipſam poſuit, internam ſcilicet, atque externam per externam, quam neruoſam aſſeruit, peritoneum intelligere dicamus, quæ quidem tunica, nequaquam vteri pars eſt, quin potius vterum defendens, membrana, atque cooperiens. Dicamus itaque vterum, unica conſtare tunica ſibi propria, tribus uillorum generibus contexta rectis trahentibus, tranſuerſis expellentibus, obliquis retinẽtibus. Quæ ſi duplex aliquando appareat, propter eam circumuoluens peritoneum, talem apparere certiſſimus.*

CLXIIII.

VVAS paſſas, lieni, ac hepati tumentibus; minime congruas eſſe ſcribit, niſi adſtringentes ſint in libello de Attenuanti uictus ratione. Abſonum profectò hoc uidetur, atque paradoxon; eorum quippè membrorum duricies, atque tumores, obſtructionesq; ; re-

ſer-

ſerrantibus, atque aperientibus, potius quàm adſtringentibus curantur.

V V A S *paſſas, lieni, ac hepati tumentibus, non conuenire, niſi adſtringentes ſint, eo intelligatur modo; non quod paſſulæ, tumentia illa membra, valide adſtringere debeant, quum reſerrantibus, aperientibusq; indigeant magis; ſed, quò, moderatam tantum adſtrictionem adferant, quæ ipſorum uiſcerum robur conſeruet, ac tueatur, communi, curandorum horum uiſcerum ſcopo.*

FINIS.

CONTRADICTIONES
DVBIA, ET PARADOXA
AETII
CVM CONCILIATIONIBVS.

Nicolao Rorario auctore.

I.

ADSTRINGENTIA ualide, omnino etiam frigefacere, atque alimenti influxum repellere ſcripſit, ſermone 6. capite quinquageſimo ſexto, ubi de capillorum defluuio egit. Cuius contrarium habet ſermone 2. capite 57. de calcantho agens, in hæc uerba ſcribens. De hoc pharmaco meritò mirari licet, quomodo fortiſsimæ adſtrictioni, caliditas non ignaua admixta ſit; non itaque quodcunque ualide adſtringens, frigefacere poteſt, quemadmodum & Galenus ipſe teſtatur lib. 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 33. ubi de chalcitide, calcantho, & myſi uerba fecit.

ADSTRINGENTIA *ualide, quæ ſcilicet frigidam tantum, terreamq́; ſortita ſunt facultatem; & quæ non aliam ſibi admixtam acrem, calidam'ue*

uim

uim habeat, veluti in chalcitide, calcantho, & myſi reperiuntur, frigefaciunt omnino hæc, atque fluores repellunt. Quæ uero non terreſtres modo, verum & igneas quoque qualitates obtinent, neque frigefacere tantum, humorumq́; influxum repellere poterunt; ſed pro diuerſa, ac ſuperante in ipſis quali tate, diuerſa operari poſſe incongruum non eſt.

II.

AQVAM putealem, ſubſalſam eſſe, uentremq́; perturbare ſcripſit ſermone nono capite 45. ubi de diſentericorum curatione lo quutus eſt. Cuius prorſus oppoſitum habuit Ser. 3. capite 165. ubi de aquis egit ex Rufo, puteanam aquam, inquiens, frigidam eſſe, ac terream, difficulterque excerni, ac ægre digeri.

AQVAM *putealem, ſubſalſam eſſe, ventremq́; perturbare, ac deijcere dum ſcripſit Aëtius, non modo ſibi ipſi, verum etiam Hippocrati aduerſa dixiſſe videtur, qui libro de Aëre, aquis, & locis ſalſam aquam, non modo ventrem non deijcere, quin potius ad alui egeſtionem, maxime contrariam eſſe opinatus eſt. Qua re, quò ſuorum verborum, atque tantorum virorum controuerſiam tollamus, dicendum eſt, eam ſalſam aquam, ventrem deijcere, quæ non multæ ſalſedinis eſt particeps, vim ipſam ex pultricem irritans; quæ ſi admodum ſalſa foret; propter illam, quæ à ſale emergit exſiccantem vim, ſiſtere potius aluum, quàm ſubducere poſſet; atque pro*

pterea Aëtius, non ſalſam, ſed ſubſalſam aquam, ventrem perturbare ſcripſit, quaſi mediocri modo ſalſam intelligere voluerit.

III.

CLYSTERVM uſum in febribus uehementibus, atque ardentibus, ac materiam ſurſum repentem habentibus, nocuum eſſe ſcribit ſermone 3. capite 160. ubi de glandibus egit. Oppoſitum cuius ex ipſiuſmet dictis, teneri debet, nos id experientia edocente; clyſteres nanque cùm à capite diuertant, retrahantq; quemadmodum ipſemet faſſus eſt ſermone 6. capite 47. ubi de capitis dolore ob plagam egit, ita inquiens. Quod ſi aliquid uenæ ſectionem impediat, aluum per clyſterem euacuabimus reuulſionis ſimul, atque euacuationis gratia. Non uideo quo pacto in febribus, in quibus materia ſurſum repit, clyſteres admitti non debere dicat.

S I *lenes, atque unctuoſos clyſteres intelligat, falſum prorſus eſt febribus in vehementibus, atque materiam ſurſum repentem habentibus, noxios eſſe; quoniam in maxima quauis, atque vehementiſſima febre, his vti, tutò licet; quemadmodum vſum fuiſſe Hippocratem conſtat in calce libelli de Purgantibus medicamentis, febribus in vehementibus, quotieſcunque volumus, infuſum per clyſterem adhibere nos poſſe aſſerens, purgatoria autem medicamenta prohibens. Quod etiam in Philiſco, qui propè muros habitabat*

habitabat libro 1. de Morbis uulgaribus exequutū eſſe conſtat. Cui (inquit) primo die, febris acuta, ſudauit, noctem laborioſam habuit, ſeptimo die omnia exacerbata ſunt ueſperi, ab infuſo per clyſterem adhibito, bene habuit, noctem quietam &c. clyſteres nimirum molles intelligens; ſi uero acutos intelligeret clyſteres, nocui hi quidem quoquo pacto ſunt, tum quia inflammationem pariunt, tum etiam quia, ſucci in initio crudi exiſtunt, uel etiam difficilis motus; qui nequaquam ui educendi ſunt, ſed prius ad euacuationem præparandi, qua re, ualida hi non expoſcunt enemata, niſi in partibus forſitan quibuſdam ſint, à quibus, ad inferna inteſtina, facile decumbere ualeant, quemadmodum à Galeno, in iocinoris apoſtematibus factum eſſe uidimus libro 13. Methodi medendi, capite penultimo, ubi clyſteribus uſus eſt ex colocynthidis, ac centaurea decoctó, quoniam materia iam erant per ipſa inteſtina euacuari parata.

IIII.

MENSTRVA, potatum alumen, ducere ſcripſit ſermone 3. capite 154. ubi de his egit, quæ in potu ſumpta, menſes ducunt. Cuius oppoſitum ex ipſomet elicere poſſumus, Sermone quippè nono, capite 74. ubi ex profeſſo de alumine egit; necnon & ſermone 14. capite 25. ubi de emplaſtrorum præparatione, atque coctura tractauit; & de eis, quæ in ipſis conijciuntur ex Galeno; alumen ipſum, uehemen-

hementiſsimam adſtringendi facultatem habere ſcripſit; quod ſi adſtringit, qua itaque qualitate, menſes ducere poterit? quòniam quæ menſes eliciunt, calefacientia, quæ tamen non ualenter deſiccent, atque incidentia ſint, oportet.

M*IRARI ſanè admodum licet, qua ratione potatum alumen menſes ducere ualeat, ualida cùm ſatis adſtrictionis exiſtat; adſtringentium autem id ſit proprium, meatus quoſque ac uenas conſtipare; mēſes uero, & aperientibus, & ductus illos reſerrantibus, moueantur. Cui paradoxo, hoc pacto reſpondere poſſumus, dicentes, illud vtique, nobis præſtare alumen poſſe, menſesq́; non alia ratione ducere, quàm propter adſtringentem ipſius uim, quoniam ſanguinem extra uaſa protrudit, ac exprimit. Et quod ab Aëtio, alumini attributum eſt; id etiam alijs quibuſdam adſtringentibus ineſſe celeberrimi doctores teſtati ſunt. non enim huic, ualde eſt diſſimile, quod de tilia prodidit Dioſcorides, cuius folia, agreſtis oleæ modo adſtringentia poſuit; ipſorum tamen decocto, vrinam, ac menſes trahi aſſeruit; quod etiam in alijs pluribus ueritatem ſortiri proculdubio cognoſcimus.*

V.

OLEVM camomelinum, moderate refrigerare ſcripſit ſermone 6. capite 46. ubi de capitis dolore, ex ardore, aut caliditate obortoſermonem habuit. Pro confeſſo tamē habetur,

betur, atque ab omnibus aſſeritur camomillã, non frigidam, quin potius temperatam eſſe, & quæ quoquomodo à temperamento per calidum, potius quàm per frigidum declinet, Galeno auctore, qui libro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 10. ita ſcriptum reliquit. Eſt & camemelum, tenuitate quidem roſæ perſimile, calore uero ad olei uires magis accedens, homini tum familiares, tum temperatas; de quo etiam, libro 6. capite proprio eandem habuit ſententiam, in hæc uerba ſcribens. Dictum uero in tertio libro copioſius eſt de hac herba, diceturq; nunc ſummatim, quod calefacit, & exſiccat in primo ordine, eſt & tenuium partium, ac proinde digerendi, laxandi, ac rarefaciendi uim obtinet. Quo itaque pacto, confectum ex ipſa oleum refrigerabit.

OLEVM *camomelinum, parum quid, ac moderate refrigerare dicatur roſacei reſpectu, quandoquidem roſaceo proximum Galeno creditur eſſe. libro 2. de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, ubi remedia poſuit ad capitis dolorem ex frigore. Amplius, quæ mediæ ſunt temperaturæ, & quæ vtramuis in partem leuiter declinant medicamenta, interim calefacere ui debuntur, interim refrigerare, atque interim neque excalfacere, neque refrigerare; ſed ſicuti corpora acceperunt, ita ea ſeruare, quemadmodum à Galeno ſcriptum eſt libro*

bro 3. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 11. atque hac ratione ex camemelo confectum oleum, & frigidum, & calidum, & temperatum etiam dici poteſt; pro diuerſa corporum, quibus admouetur temperatura. Roſaceum nempe, inquit Galenus eodem loco, mediam inter oleum, & roſarum ſuccum temperiem poſſidens, illo enim minus eſt calidum, hoc autem magis; refrigerat quidem exuſtos, idque caliditatis ſuæ tepore, algentes uero paululum etiam calfacit, quod uidelicet, is quoque effectus caloris ſit tepidi, quemadmodum balneæ, rigentes quidem excalfaciunt, æſtuantes vero frigefaciunt; atque ex eo, quod affecta corpora, uarijs ſubinde modis diſponuntur, ipſum quod afficit, uarie quoque agere contingit; quod aqua tepida, atque urina exemplo oſtendit, quæ in balneis quidem frigida, algentibus uero calida nobis apparent. ſic itaque & camomelinum oleum modo frigoris, modo caloris particeps dici poteſt, pro uaria corporum, quibus admouetur temperie.

VI.

PORCINAS carnes facile ſecerni ſcripſit ſermone 9. capite 30. de his, qui à frigidis, ac pituitoſis humoribus coli dolore infeſtantur, inquiens. Ex quadrupedum animantiũ genere, præſtant carnes ſuillæ, tum concoctionis, & alimenti, roboriſq;, quod inde corpori accedit gratia, tum quod facile ſecernantur. Cuius oppoſitum manifeſtiſsime con-

ſtat; nihil quippe ſecernitur facile, niſi quod in uentriculo, uel corrumpitur facile, uel etiam concoquitur; huiuſcemodi autem carnes, cùm neque admodum facile à uentriculo ſuperentur, concoquantur'ue, uel etiam corrumpantur, idcirco neque facile ſecerni poſſe uidentur.

PORCINAS *carnes nō ſimpliciter, atque abſolute facile ſecerni intellexit, ſed aliorum quadrupedū animalium reſpectu, quæ tardius deijciuntur, quod ex verbis ipſius facile nobis innoteſcit, quæ ſic habent. Ex quadrupedum animantium genere, præſtant carnes ſuillæ, tum concoctionis, & alimenti, roboriſq́ue, quod inde corpori accedit gratia, tum quod facile ſecernantur. Animaduertendum præterea eſt, non modicum eſſe inter ſuillas, atque porcinas carnes diſcrimen, quemadmodum Galenus tradidit in libello de renum affectus dignotione, atque medela; ſuum etenim caro, antiquorum eſſe perhibetur, porcellorum vero, eorum, qui iuniores exiſtunt. Quare porcellorum carnes, iuniorum ſcilicet, ſecernuntur facile; ſuum vero non ita, quia antiquiores, durioreſq́ue ſunt. quam inter vtroſque differentiam Hippocrates quoque adnotauit libro 2. de Diæta ſic inquiens. Verum porcinis, ſuillæ, grauiores ſunt.*

VII.

PVSTVLAS, ſeu uibices in cute iam apparentes in malignis febribus curat in principio ſanguinis miſsione, ſi nihil prohibeat Sermone

mone 5. cap. 129. ubi de puſtularum in febribus curatione loquitur ex Herodoto; cuius rei cauſam reddens, inquit, Solent enim reuerſæ intra corpus periculum adferre, ſi non per uomitus, aut per aluum acrimonia ſecedat. Hoc aduerſatur profectò communi omnium ſententiæ, apparentibus nanque, in corporis ſuperficie maculis, ſanguinis miſsionem uerentur omnes, ne ad ſuperficiem tranſmiſſa materia, in uenis retrahatur denuo.

PVSTVLAS, *ſeu vibices in cute iam apparentes in malignis febribus curat Aëtius in principio ſanguinis detractione, ſi nihil prohibeat, quemadmodum uel virium imbecillitas, vel etiam ſi diutius pluribus'ue diebus iam apparuerint. Cui ſententia licet aduerſa ſit vulgaris opinio, atque ipſi refragetur; nos tamen ei ſubſcribere omnino debemus, quo ipſius Aëtij paradoxa uerba interpretemur, atque pro uiribus tueamur; puſtulisq́; in cute apparentibus in febribus malignis, ſanguinis miſſione medendũ quandoque eſſe fateamur; atque tum maxime, cùm ſanguinis copia in corpore fuerit, quemadmodum & Auicennam in uariolarum curatione feciſſe conſtat. Atque mirandum ſanè eſt, cur* αἱμόφοβοι *iſti, ſanguinis à brachio detractionem pertimeſcant, hamorrhoidas uero aperire non dubitent, quandoquidem per ipſas, qui à centro ad circumferentiam detruditur à natura ſanguis, intro magis quàm per uenas in cubito ſciſſas reuocetur, quibus, ad exteriora potius*

tius, qui in internis feruens perſtat ſanguis euocatur. Quocirca, dum ſanguinis ferventis copia in corpore fuerit, cæteris etiam conſentientibus, ætate ſcilicet, uiriumq́ robore, poterimus etiam nos tutò Aëtium imitati, ſanguinem in exanthematibus, ſecta brachij uena, mittere.

VIII.

RANARVM paluſtrium ius, commorſis à reptilibus uenenatis, remedio eſſe ſcribit ſermone 13. capite 55. ubi de paluſtri rana egit. Cuius contrarium ſenſiſſe ipſum conſtat, quando ſermone 2. capite 116. eaſdem, inter uenena connumeraſſe uiſus fuerit; quod ſi uenenoſæ ſunt, quo pacto earum ius, uenenatis, remedio eſſe poterit.

RANARVM *paluſtrium ius, his, qui à reptilibus venenatis commorſi ſunt, remedio eſſe poteſt, contrariæ affectionis ratione; ſuo nanque ueneno, ipſæmet opitulantur; quemadmodum, & de cantharidibus ſcripſit ſermone 13. cap. 49. quarum alæ, & pedes contrariæ affectionis ratione, his auxiliantur, qui cãtharidas biberint. Vide autem plura ad hanc rem facientia in Contradictionibus Galeni, ubi de Cantharidibus ſermo habitus.*

IX.

VINO nigro, atque auſtero, uomitum concitari uoluit ſermone 2. cap. 267. ubi de his egit, quæ ſtomacho incommoda ſunt. Cuius

ius ſententiæ Galenus quoque eſt, dum libro 5. de tuenda ualetudine, uina, quæ diu in uentrem morantur, ſenibus minime apta eſſe aſſerit, his uerbis. Nigra & craſſa, quæ quidem adſtringunt, & longo tempore in uentre manent, & fluctuationes in eo excitant, ueluti quod in Cilicia naſcitur Sybates, & quod in Aſia natum Aegauſen uocant,& Perperimum. Cuius tamen oppoſitum tenendum potius uidetur; nigri nanque coloris ratione, atque adhuc magis ratione auſteritatis uomitum potius ſupprimere, quàm concitare deberet; ſcripſit nanque Galenus in libello de cibis boni, & mali ſucci, ex uinis, probatiſsimi ſucci Falernum haberi, potiſsimumq; id, quod dulcius. Eiuſdem quoque generis (inquit) Tmolites exiſtimatur, rutilum ſcilicet, ac dulce; nam aliud ex hac ipſa ſpecie, & auſterum eſt, neque æque ac illud bonum ſuccum præſtat, ſicuti & alia omnia, quæ egregie auſtera ſunt, quamuis laxum ſtomachum, ac uentrem firment, ac tum præcipue, cùm calida intemperie affecti ſunt. Hac enim de cauſa, atque etiam ad alui fluctiones ſiſtendas, auſteris utimur uinis. præterea ad nullos alios uſus, ea accommodare ſolemus; quibus uerbis auſtera uina, & laxum ſtomachum, & uentrem firmare affimrat. Stomacho quoque aptiſsima eſſe auſtera uina ſcripſit Celſus lib. 2. cap. 23. at

que

que in capitis illius calce, iterum inter ea, quæ ſtomacho idonea ſunt, auſtera uina connumerauit.

VINVM *nigrum, & auſterum, vomitum concitare poſſe dum aſſerit, niſi per nigrum, quod vehementer nigrum eſt, intelligerimus, quod & craſſæ ſubſtantiæ eſt, atque idcirco concoctu difficile; difficilis ſatis eſſet, paradoxi explanatio; ſi vero de eiuſcemodi vino, verba illum feciſſe crediderimus, paradoxon hoc, ita facile diluetur, dicendo, vinum ipſum nigrum, niſi rite, velociterq́; ac facile concoquatur, craſſa vini ſubſtantia oneratus ventriculus, ſe leuari cupiens, in uomitum prolabitur. Amplius quoque dici poteſt, huiuſcemodi uinum, quia inſuaue, faſtidioſumq́; eſt, uentriculo innatare, ab ipſoq́; minime comprehendi; atque quod tale exiſtit, uomitum facile ciet, uentriculumq́; reſupinat, atque ſubuertit, auctore Galeno libro 2. de Alimentorum facultatibus capite de armeniacis, & præcocibus, ita ſcribente. Neque enim in uentriculo, vt illa, corrumpuntur, neque aceſcunt, uulgo autem ſuauiora apparent, unde etiam ſtomacho ſunt gratiora, cætera enim illis ſunt ſimilia; ſuauibus autem omnibus id ineſt, quemadmodum in ſuauibus, vt uentriculum reſupinent, ac ſubuertant, & ad uomendum incitent, cupientem quàm celerrime, quod infeſtat abijcere &c.*

FINIS.

CONTRADICTIONES
DVBIA, ET PARADOXA PAVLI AEGINETAE.
CVM CONCILIATIONIBVS.

Nicolao Rorario auctore.

I.

ALOEN poſt cœnam exhibuit, lib. 1. cap. 43. de ijs, quæ ſecunda ualetudine conſtitutis, tum aluum emollire, tum lotium ciere pulcherrime poſſunt, in calce capitis, in hæc uerba ſcribens. Aloen quoque à cœna, quæ trium cicerum magnitudinem æquet, idē idem aſſumere expedit. Matutino uero tempore, non autem poſt cœnam, ipſam exhibendam eſſe ſuaſit libro 7. capite 4. in initio ſtatim capitis, ſic inquiens. Bilem flauam optime prolicit, atque educit, aloes drachma una, cum melicrato, matutino tempore adhibita.

ALOEN *dum poſt cœnam exhibendam eſſe præcepit, exigua quantitate, ipſam propinandam ſuaſit, quo uidelicet fæces tantum, educantur, membraq́; ipſa corroborentur. Atque idcirco libro 1. capite*

43. à

43. *à cœna, aloes quantitatem dari iuſſit, quæ trium cicerum magnitudinem æquaret. Atque inferius libro 7. capite 4. ne à cibo, purgantia exhibeantur medicamenta, apertiſſimis uerbis prohibuit; cuius rei, rationem reddens, ſubdidit, ſi quidem cibum corrumpunt, atque idcirco, dum non ipſas modo feces, uerum etiam humores euacuare in animo eſt, matutino ipſam tempore, atque maiori quantitate aſſumere hortatur. Quod autem tantam ipſius quantitatem, à cibo exhibere minime liceat, rationem reddit Galenus libro octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, inquiens, quia concoctionem impedit, debilemq́; adeo attractionem habet, ut cibis admixta, propoſitum attrahere ſuccũ nequeat. Dum itaque ualidam eius operationẽ non curamus; atque uentris tantum roborationi addicti ſumus, illam, quantitate exigua, atque cum ipſis etiam cibis, haud ſecus ac reliqua huiuſce generis medicamenta ἐκκοπρωτικὰ dicta exhibere poſſumus. Dum uero largior expetitur uentris purgatio; & maior ipſius quantitas, atque à cibis remotior eſſe debet.*

II.

AMYGDALIS ex ipſis bellaria confecta, capitis dolorem lenire, grauedinemq́; ex uini potatione ſubleuare ſcribit libro 1. capite 95. de uiribus uini. In catarrhi præterea calidi, atque corizæ curatione ipſas exhibuit lib. 3. capite 28. Contraria dictis ipſius commu

 nis

nis eſt ſententia, quæ, illas capitis grauitatem inducere aſſerit. Quod ſi capitis grauitatem faciunt, ſuis uaporibus illud replentes, catarrhũ quoque multiplicare poſſunt. Qua re neque in capitis grauedine, catarrho'ue commode exhiberi poſſe uidentur.

AMYGDALIS *ex ipſis bellaria confecta, non alia ratione capitis dolorem, grauedinemq́, ex uini potu, lenire poſſe credantur, quemadmodum libro 1. capite 95. aſſeruit, niſi quia, aſcendentium à uentriculo uaporum, obtundunt acredinem; atque idcirco & libro 3. capite 28. in calidi catarrhi curatione, non alia ratione ipſas exhibuit amygdalas, niſi, vt ipſius caliditatem, acredinemq́, demulceant.*

III.

AMYGDALAS amaras, exhibet in mictu ſanguinis libro 3. capite 45. ubi de ſanguinis mictu egit, inquiens; ſed in primis ſymphiti radix, ac tragacantha, uino macerata, in eiuſcemodi affectione conſtitutis, exhibenda eſt; ſeminaliſq́;, & plantaginis ſuccus cum poſca, aut amygdala amara cum paſſo. Neſcio quo pacto, amaræ amygdalæ, in ſanguinis mictu, congruæ eſſe poſsint, cùm amara calefaciant, detergant, expurgentq́;, atque quæ in uenis eſt, craſsitiem incidant; quibus qualitatibus, ſanguinis mictum prolicere potius deberent quàm ſiſtere.

SANGVINIS *ad hæmorhagias, hoc eſt eruptiones,*

nes, glutinoſis, emplaſticisq́; iiſdem medicam vtimur, quorum ſolennis uſus eſt in amoptoicis quoque, hoc eſt ſanguinem ſcreatu reiicientibus; quibus affectibus, iis vtimur quandoque, quæ venas lentore ſuo quoquo pacto obturant; quandoque iis, quæ frigiditate adſtringunt. Quocirca, cùm nihil horum in ſanguinis mictu amaræ amygdalæ efficere queant; neque enim lentorem, frigiditatem'ue tantam ſortitæ ſunt, vt huiuſcemodi poſſideant uim; reliquum eſt, vt ipſæ ea ratione exhibendæ minime ſint. Galenus præterea libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 17. de amaris in hunc modum ſcripſit. Quod in ulceribus extra corpus, nati ſunt praſtare, amari ſapores; idipſum in corpus aſſumpti, efficere ualent; abſtergunt uero, expurgantq́; & quæ in uenis eſt craſſitiem incidunt, quamobrem menſes mouent, & iis, qui ſanguinem ſpuunt, noxii ſunt. Idcirco, & amaræ amygdalæ, quæ exterius detergunt, expurgantq́; interius idemmet praſtare, atque efficere proculdubio debent. dicamus tamē Paulum, ipſas ad ſanguinis mictum curandum non exhibuiſſe (hanc quippè detergendi, incidendiq́; uim, ipſis ineſſe cognoſcens) ſed ad diſſoluendos concreti ſanguinis grumos, haud ſecus ac poſca, quæ ad eandem intentionem, ab ipſo, hoc eodem exhibetur capite, hanc tamen, ſeminalis, plantaginiſq́; ſucco, illas permiſcens paſſo. Vel etiam dicamus, ea ratione, in ſanguinis mictu, amaras ab ipſo, exhibitas fuiſſe amygdalas, quoniam amaræ ualde exiſtant;

quæ autem ſunt huiuſmodi, non calida modo, uerum etiam ſicca eſſe perhibentur Galeno libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 18. & libro 7. Methodi medendi capite ſeptimo, auctore. Amaræ itaque ipſæ amygdalæ; amara cùm citra mordicationem ſint, uenarum ora relaxata ſiccare, atque adſtringere ualent, quemadmodum de aloes amarore Galenus teſtatur libro ſexto de Simplicium medicamentorum facultatibus capite de aloe; ipſam medicamentum ad plurimas res optimum eſſe ſcribens propter ſiccitatem, mordicationis expertem. Neque ſecus quoque adſtringere amara poſſunt, ac ipſa acerba, partes contrahendo; amara quippè, acerbis nō ſunt qualitate in uniuerſum contraria; ſiccant nanque vtraque, quemadmodum ex his conſtat, quæ ſcripſit libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite 38. & libro 4. capite ſeptimo, ubi acerba, ſiccare affirmauit, quod etiam de amaris aſſeruit libro 7. Therapeutices Methodi, capite 7. & libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus capite 18. Dicamus præterea, non unum ac idem eſſe amarum quidpiam dicere, atque amaritudinem habere; id nanque quod amarum eſt, non amarum modo exiſtit, quandoque; ſed præter amaritudinem, alias etiam qualitates non paucas recipere poteſt Galeno auctore libro 3. de Simpliciū medicamentorum facultatibus, capite 14. quibus quidem omnibus aget, neque una perpetuò erit eius actio; amaritudo uero, unum id ſolum perpetuò eſt,

quod

quod eſt, atque una perennis eſt eius actio. Licet itaque amara ſint amygdalæ, permixtam quoque adſtrictionem habere poſſunt, quæ ab amaritudine aliena quidem qualitas eſt, atque aliud ab amaritudine operari poteſt; atque idcirco ſanguinem mingentibus, non quemadmodum ea, quæ exacte amara ſunt noxia exiſtunt, amaræ amygdalæ, quoniam deterſiua, atque inciſoria ipſarum vis, per adſtrictionem quandam, ac ſiccitatem amaritudini coniunctam, confracta adeo, atque imbecillis reddita eſt, vt detergentem tantum, atque incidentem vim minime exercere poſſint.

IIII.

CACHEXIA in ipſa, ſanguinem mittendũ eſſe ſuaſit libro 3. capite 47. hæc uerba habens. Hydropicorum morborum caput dicere cachexiam conſueuimus, medicamentis tamen huic affectioni ſuccurrendũ eſt, ſanguinis ſcilicet detractione, ſi nihil prohibeat, diuiſim & particulatim ad tertiũ uſque ac quartum diẽ detractionem facientes. Secus tamen ex eiuſdemmet ſententia ſentiendum nobis eſt; cachexia nanque (quemadmodum ipſe ait) hydropicorum morborum caput cùm exiſtat, atque affectio ſit, in qua naturalia membra, iam imbecillia reddita, optima ſua cõcoctione fruſtrantur, ita ut optimi ſanguinis loco, aquoſum iecur procreet; nullo pacto cachexia in ipſa, ſanguinis miſsio congrua eſſe uidetur; ip-

ſa quippè innatum calorem in ſanguine ſedem habentem, aufert, atque diminuit (niſi forſitan ex ſuppreſſa aliqua ſanguinis euacuatione eueniat). Maiorem adhuc dubitandi anſam, nobis præbent uerba ipſius, eodem̄net capite, quibus habet, à phlebotomia ijs abſtinendum eſſe, qui ob plenitudinem cachexia tenentur; innuere nanque ex dictis uidetur, in cachexia, quæ ex uaſorum repletione fit, ob retentam aliquam, uel menſtrui ſanguinis, uel hæmorrhoidarum euacuationem, ſanguinis miſsionem minime congruam eſſe. Quod ſi in cachexia hac, quæ plenitudini coniuncta eſt, nequaquàm eam admittit Aegineta; quo pacto, in qua plenitudine abeſt, ipſam approbaſſe credendum?

CACHEXIA *duplex eſt, una mitior, cùm vel ſuperuacui humores immodice aucti ſunt; vel ſucci in ſanguine, iuſta, naturaliq́; illa proportione, & concordio non continentur. Hæc autem eſt in homine bene tēperato, & optime ſano proportio, vt minus ſit bilis flauæ quàm melancholiæ, minus huius, quàm pituitæ; et pituitæ minus quàm ſanguinis puri. Altera cachexia priori deterior, eſt, cùm vel ſuperuacui humores, vel ſucci tum primi, tum ſecundarij à naturali, & conuenienti ſua temperatura, vitioſi facti ſunt; quod, aut ſubſtantiæ, aut temperiei corruptio quædam eſt, quorum vtrunque rurſum aut cum putredine, aut citra putredinem obtingit. Cachexia*

ita-

itaque in ea ſanguinem mittendum eſſe ſuadet; in qua licet non plurima; praua tamen corpus grauatur ſanguinis ſubſtantia, & qualitate, quemadmodum & eadem ratione menſtrui ſanguinis immodicam euacuationem, naturam tentaſſe aſſeruit Galenus, licet multitudo non adeſſet, ſed prauitas tantum quinta Aphoriſmorum ſectione com. 57. hoc pacto inquiens. Poſſibile eſt igitur immodicas fieri menſtruorum euacuationes, ſi ora vaſorum, quæ ad vterum pertingunt, ultra modo aperiantur; & ſi ſanguis vel calidior, vel tenuior fiat, & ſi totum corpus propter malum habitum aliquem, grauetur ſanguine quem (licet modum naturæ conuenientem, non excedat, ſua multitudine) expellit ad venas, quæ in vtero ſunt, vt in fluxionibus accidit, ex una parte ad aliam. Non modo itaque in cachexia ſanguinis detractio competit, quia ſuppreſſæ ſint aliquæ ſanguinis euacuationes, veluti hæmorrhoidum, vel menſtruorum, & corporis plenitudo adſit; ſed etiam abſque plenitudine, cum prauo corpus eſt refertum ſanguine, quemadmodum etiam illam expetit; cachexia ea, quæ ex melancholico, terrenoq́; humore ac ſanguinis fæce fit; qui humor, dum mitis eſt, arcteq́; coërcetur, lienis tantum tumorem conſpicuum parit; vbi uero propria è ſede in uenas prorumpit, & iſterum, & cachexiam conſtituit, elephantiaſimq́; minatur. Amplius cachexia ea, ſanguinis miſſionem expoſcit, fortaſſe, quæ Celſo libro 3. capite 22. ſecunda tabis ſpecies eſt; in qua, ex malo

quo-

quodam habitu, omnia alimenta corrumpuntur, quod ferè fit, cùm longo morbo uitiata corpora, etiam ſi illo vacant, refectionem non accipiunt, aut cùm malis medicamentis corpus affectum eſt, aut cùm diu neceſſaria defuerunt; aut cùm inuſitatos, inutileſq́; cibos aliquis aſſumpſit; aliquid'ue ſimile incidit; cui cachexiæ, præter tabem illud quoque accidere ſolet, vt per aſſiduas puſtulas, aut vlcera, ſumma cutis exaſperetur, vel aliqua corporis partes intumeſcant; in qua cachexia, ſeu tabis ſpecie, & Celſus ipſe ſanguinem miſit, paulatim tamen, quotidieq́;, pluribus diebus, quemadmodum & Paulum hoc loco feciſſe perſpicuum eſt. Cùm uero dixit à ſanguinis miſſione, illis abſtinendum eſſe, qui ob plenitudinem cachexia detinentur, non de ſanguinis, ſed de pituitoſorum ſuccorum plenitudine intellexit, qui quidem non venæ ſectione, ſed pharmaco magis educi, ac tolli debent.

V.

EXCRETIONIBVS in bilioſis, potionẽ dulcem exhibet libro 3. capite 40. de inteſtinorum leuore, lienteria'ue, & affectione cœliaca agens, ubi de eorum uictu pertractat, quibus, quæ egeruntur excrementa, odoris grauiſsimi, ac billioſa fuerint; potus autem eſto (inquit) uinum dilutum, ac tenue, aut aliqua dulcis potio. Aduerſus quam ſententiam hoc pacto dicendum uidetur. Dulcia cùm facile in bilẽ uerti apud omnes pro confeſſo ſit, Galenusq́; illud

illud teſtatus fuerit libro 2. de Facultatibus naturalibus, atque alibi frequentiſsime; bilis uero ipſa, & prompte excernatur, aluumque ad egerendum irritet, conſonum non uidetur, huiuſcemodi dulces potiones, iure optimo, bilioſis in excretionibus, abſque maximo ægrotantium diſcrimine exhiberi poſſe.

E XCRETIONIBVS *in ipſis bilioſis, ſi dulces exhibentur ab ipſo potiones, non frequentes eas, neque etiam modicas, neque pro potu corpus nutriente propinaſſe eum credamus, quoniam iis proculdubio & bibilis generatur, & excernendi prorritatur cupiditas; Rariores tamen, & copioſiores ipſas nobis conſuluiſſe uiſus eſt, quò bilioſa materia, excretionem continuò irritantes abluantur, atque ocius educantur.*

VI.

MEDICAMENTO in corpore exiſtente, & non purgante, uenam ſecat, libro 7. capite 6. ubi de obſeruatione eorum agit, qui catarcticum medicamentum ſumunt, & quid faciendum his, qui in potione non purgantur, atque ex intẽtione Philagrij hæc uerba habet. Si porrò quiſpiam, poſt ſumptam medicinarum potionem, non purgatur, neque euacuatur, ſi nulla quidem inde ingruat moleſtia, nullo auxilio opus eſt; ſin autem urgeatur propter morbi uehementiam, aut dilanietur, diſtendaturq;, & quaſi diſſecetur languens, clyſterem

rem confeſtim inijcere neceſſe eſt; quod ſi, ne tum quidem obtemperet aluus, corpore quidem uellicato, & tanquam peruerſo, lauandi ſunt, ungendiq; affatim. Quod ſi autem corpus refertum, atque grauatum fuerit ſanguinem, uena ſecta, detrahe, potiſsimum ſi homo ſanguinolentus exiſtat, oculoſq; rubeo colore infectos habeat. Operatio hæc, non abſque graui ægrotantium noxa fieri poteſt, cùm duas contrarias euacuationes, uno eodemq; tempore moliri minime fas ſit. Natura etenim tarde quandoque à medicamento irritata, tunc forſitan operationem ſuam per alui ſubductionem tentare incipiet, cùm uenæ ſectionem aggreſſuri erimus; motus profectò adeo inter ſe diuerſi, ut hic ad centrum ad circumferentiam altera trahat; quod ſi ambo forte fortuna ſimul coirent, ſummum eſſet periculum, ne in extremum uitæ diſcrimen æger deduceretur.

QVVM *corporis πληθώρα, ſeu plenitudo, ab epoto medicamento, atque non educente, euacuari minime queat; quo tandem multitudo tollatur ex intentione Philagrij, ſanguinis miſſionem omnino faciendam eſſe ſuaſit; quæ tamen fieri debere intelligatur, non eodem, vel altero ab aſſumpto pharmaco die, ſed tertio fortaſſe, vel quarto, niſi exoptata ſucceſſerit à pharmaco euacuatio.*

VII.

RAPA calida eſſe uoluit libro I. capite 75. ubi de olerum aſparagis in hæc uerba ſcripſit. Raporum contra, ſinapis, radiculæ, naſturtij, piretri braſsicæ, & omnium denique aliorum, calorificam uirtutem habentium; planta quidem, arida, cyma uero humida eſt. Cuius contrarium inferiori capite ſentire uidetur, rapa, craſſum generare ſuccum, in hæc uerba ſcribens. Napum, & rapa, ſi elixa edantur, non minus alimenti, quàm reliquæ ſtirpes, ac olera præbent, cùm uero aſsidue edun tur, craſſum generant ſuccum. Quod etiam Galenus fatetur in libro de Diſſolutione continua, ubi de cibis multi nutrimenti loquitur; necnon & in conſilio pro puero epileptico, craſſos ipſa generare ſuccos ſcribens. Quo autem pacto, iſtud eſſe poſsit, mente concipere nequeo, cùm altero loco, craſſos generare ſuccos dicat, altero (ſuperiori uidelicet capite) calida ipſa conſtituat.

SATIS *ſuperq́; in Galeni contradictionibus, quo pacto calida ſint rapa, craſſosq́; ſuccos generare ualeant, dictum eſt. Qua re huiuſce dubij, ſeu paradoxi ſolutio, ex eo loco petenda eſt.*

VIII.

SOMNVM ad conciliandum, folijs nigri papaueris utitur libro I. capite 98. ubi de uigilia agit, ſcribens, papaueris etiam atri uiridia folia,

folia, obſonijs nonnunquam confundant. Atque non modo intrò per os aſſumptum atrũ papauer ſomnum cõciliare uoluit; quin etiam exterius admotum, idem operari credidit. libro 2. capite 42. ubi de uigilia quoque pertractat, quæ febricitantes infeſtat, dum faciem ægrotantium abluit, nigri papaueris capitum elixatione. Cuius oppoſitum ſentire ipſum conſtat libro 3. capite 38. de uentris inflatione agens, dum nigrum papauer, inter calefacientia enumerat, his uerbis. Frigore autem affectioni accedente, rutam, baccas lauri, nigellam, nigrum'ue papauer, quod μελάνθιον à græcis dicitur, fæniculumq; oleo elixato, bitumenq; cum oleo laurino admiſceto; Somnus uero, ſi frigorificis, atque humectantibus comparatur, neſcio quo pacto à folijs atri papaueris (quod inter calida ab eo repoſitum eſt) induci ualeat. Licet etiam Hippocrates in lib. de Diæta, coriandrum calidum eſſe ſtatuat, ſomnum tamen conciliare fateatur.

LICET *perdifficile ſit mente aſſequi, qua ratione, ſomnum ad conciliandum, papaueris nigri folijs uti ſuaſerit, cùm à frigido cõcilietur ſomnus, omnium ſcribentium ſententia; frigidum autem huiuſcemodi papauer non ſit, ſed calidum potius. Dicamus tamen atrum ipſum papauer, non ratione qua calidum; ſed propter plurimos ab eo eleuatos vapores, caput opplentes, ſomnum conciliare poſſe, quemadmodum*

modum etiam de coriandro Hippocrates aſſeruit in libro de Diata, quod, calidum eſt, inquit, ſomnum tamen conciliat, ſi poſtremum edatur. Neque nigrum modo papauer, coriandrum'ue, uerum etiam alia plurima, atque innumera ferè, calidiora licet ſint, idem praſtare poſſe, eadem ratione auctores affirmant; irides quippè omnes, uiticemq́, eam habere uim teſtatus eſt Dioſcorides.

FINIS.

CON-

CONTRADICTIONES
DVBIA, ET PARADOXA AVICENNAE CVM CONCILIATIONIBVS.

Nicolao Rorario auctore.

I.

AEGROTANTES parciori cibo, hyeme, alendos eſſe ſcriptum reliquit 1.4. tract. 2. capite octauo De cibatione febricitãtium in generali; cuius rei rationem reddens, inquit, quoniam minor fit eo tempore reſolutio. Hoc minime uidetur rationi conſonum; ualidioris nanque innati caloris ratione, diuturniorisq; ſomni, melior fieri debet hyeme ciborum plurimorum concoctio; quandoquidem & ab Hippocrate ſancitum ſit 1. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 15. Ventres hyeme, & uere natura calidiſsimos eſſe, ſomnoſq; longiſsimos, qua re per ea tempora, alimenta copioſiora exhibenda eſſe uoluit. Quod etiam ſenſiſſe uiſus eſt in initio libelli de Salubri diæta, dum inquit. Hyeme quidem comedere debemus quã plu-

plurima, bibere autem quàm parciſsime. Atque idem affirmauit in libro de Diſſolutione continua, his uerbis. Et quando eſt ſomnus poſt cibum, multus; oportet, quod donemus cibos multos, & craſſos, & hoc conuenit fieri in hyeme propter longitudinem noctis, ac multitudinem ſomni. Qua re licet minor fiat eo tempore reſolutio, atque digeſtio, non propterea tamen, parciori ſunt alendi cibo ægrotántes.

AEGROTANTES, *hyeme, iure ac meritò, parciori cibo, alendos eſſe credidit, Auicenna, tum quia minor fit eo tempore ſpirituum reſolutio, ſtipatis, ob frigidum ambientem, cutis meatibus, quemadmodum ſcripſit* 1. 4. *tract.* 2. *capite* 8. *de Cibatione febricitantium in generali; minori autem facta reſolutione, minori quoque adiectione, atque reſtauratione nos indigere par eſt; tum etiam quia pituita, tunc temporis redundat plurima, quæ cibi vicem aliquando ſupplet. Poſſumus tamen, & iuxta Hippocratis mentem, copioſiora exhibere eo tempore alimenta, quia calidiſsimi ſunt eo tempore ventres, ſomniq; longiſſimi; qua re per belle ipſa concoqui valent. Aliorum itaque anni temporum reſpectu, plura hyberno tempore edi poſſunt, quemadmodum docuit Hippocrates* 1. *Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo* 15. *& Galenus ibidem, atque in libello de renum affectus dignotione, atque medela, aphoriſmum hunc interpretatus; aphoriſmumq; decimum octa-*

uum primæ ſectionis adducens, qui habet. Æſtate, & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, ſecundum locum, ver habet. Poſſunt quoque & parciori cibo ali ægrotantes iuxta Auicennæ placita, tum propter minorem corporis reſolutionem, tum propter copioſam, redundantemq́; hyberno tempore pituitam.

II.

AERIS peſtilentiam, atque putrefactionē in poſtrema ætatis parte, atque in autumno, ut plurimum euenire ſcribit 2.1.doct.2. capite 9. Vbi de impreſsionibus agit aërearum mutationem malarum, curſui naturali contrariarum. Falſum profectò iſtud uidetur, de poſtrema æſtatis parte; putredines quippè, ex humiditatibus oriuntur, quemadmodum teſtatur Hippocrates 1. Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 16. Morbi (inquiens) in pluuiarum multitudine, magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia putredines &c. Quod etiam omnes ſcribentes ſentiunt. Siccitates præterea, imbribus meliores eſſe, minusq; mortiferas ſcripſit idem Hippocrates præcedenti aphoriſmo. Qua re, cùm in poſtremo æſtatis, ſicca ſit aëris conſtitutio, neque pluuiarum præceſſerit multitudo, à quibus putredines oriri potuerint, nullo pacto aëris putrefactio, uel peſtilentia, eo tempore, euenire poſſe uidetur. Quæ ſi quandoque accidāt,

id

id proculdubio raro contingit. Teſtiſq; Galenus eſt libro 1. de differ. febrium capite 6. peſtilentes oriri morbos neceſſarium eſſe, cùm aëris temperatura, à naturali habitu, ad caliditatem, atque humiditatem, immodice conuerſa fuerit. Quãdo itaque æſtate in ipſa, nulla uigeat humiditas; peſtilentes oriri morbos nequaquam poſſe, perſpicuum eſt.

AERIS *peſtilentiam, atque putrefactionem, in poſtrema æſtatis parte prouenire dicamus, non ipſius quidem æſtatis ratione, quoniam ſiccitates, imbribus meliores ſunt, ac minus mortiferæ; ſed propter aduentantes proximi autumni pluuias; propter quas, cùm plurimi à ſqualida humo attollantur vapores, qui neque à Solis calore conſumi, vel reſolui queant, non immerito iis oppletus aër, prauorum vaporum alterationem ſuſcipit, deterrimaq; inficitur qualitate. Poteſt etiam peſtilentia tunc temporis fieri; propter extranei caloris multitudinem; qui acriores ſuccos, atque pernicaciores pariat. Cui opinioni & Ariſtoteles fauet, qui libro 4. Meteororum textu nono, æſtate, putrefactionem maiorem eſſe, quàm hyeme ſcripſit; cuius rei rationem reddens Commentator Auerrois in commento, dixit; quia, multum extranei caloris, illo adeſt tempore. Quibus conſtat, ipſam aeris putrefactionem iuxta Ariſtotelis ſententiam, in poſtrema æſtatis parte non ſemper propter aduentantes autumni humiditates ortum contrahere, ſed ab aeris etiam combuſtione fieri nonnunquã poſſe.*

poſſe. Quod etiã doctiſſime nobis oſtendit Probl. ſect. 2. probl. 21. & 33. quærens, vtrum per æſtatẽ potius, an per hyemem, ſudor mouendus ſit, ac inquit. Per æſtatẽ, externus præualet calor, ex quo fit, vt quæuis in æſtate, putredinem ſentiãt; putredinisq́; cauſas, calores, atque refrigerationes ſine moderatione eſſe dixit libro 4. de Generatione animalium, capite vltimo.

III.

ANGINAE cholericæ minorem eſſe dolorem quàm ſanguineæ, ſcripſit 9. 3. capite nono in calce, his uerbis. Et ſigna cholericæ ſunt inflammatio, & caliditas, & triſtitia uehemens, & ſitis uehemens, & dolor uehemens mordicatiuus, & amaritudo, & ſiccitas, & uigiliæ, & non conſequitur in conſtringendo anhelitum conſecutionem eueniẽtẽ ex ſanguine, & quandoque ſignificant ipſam color linguæ, & aduſtio loci, & acuitas ipſius, & eſt quaſi ſit in loco aliquid acutum mordicatiuum; & dolor cholerinæ, minor eſt dolore ſanguineæ. Contrarium cuius, potius ſentiendum uidetur, Hippocrates nempe de cholerica angina uerba faciens libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis textu 36. ita habet. Talibus arteria ulceratur, incẽditurq; pulmo, neque externum aërẽ admittere intro queunt. Quibus, niſi ſua ſponte, ad exteriores partes malum perferatur, hi grauius, ineuitabiliusque habebunt, & propter anni tẽpus, & quod à ca-

à calidis, acribusq́; id ſit humoribus. Quæ uerba in commento explicans Galenus, ait, Hæc anginæ ſpecies, tum grauior, tum ineuitabilior eſt priore, tum propter antedicta, tū quod æſtiuum, autumnaleq́; ſit anni tempus, & quod ex acrioribus oriatur humoribus, ipſa nanque bilis, longe profectò acrior eſt ſanguine, quemadmodum ex Hippocrate conſtat 2. Prognoſticorum libro, textū 46. ſcribēte, Inflammationes indulgētiores, ac maleficentiores euadere, pro diſcrimine exuperantium ſuccorum; ſanguineæ nanque, ac pituitoſæ, modeſtiores habentur; à flaua uero bile, & atra, maleficentiores. in cholerica itaque angina, quæ ab acriori fit ſucco, minorem quàm in ſanguinea, dolorem eſſe, nequaquam rationi conſonum eſt; mitiſsimum uero humorum omnium ſanguinem eſſe, teſtatur Galenus libro 2. de differ. febrium, capite 12. dum ex calore, à quo ſucco oriantur febres, cognoſcere docuit, aitque; idq; erit tibi indicium magnum, humoris committentis febrem, intelligo autem, ipſius caloris qualitatem; qui enim uaporoſior eſt, & minus moleſtus, ſanguis eſt; qui moleſtus, erodensq́; ac mordax, ex bili conſiſtit. Quod ſi de ſucco febrem faciente, id dictum à Galeno eſt, idem de humore inflammationes excitante magis dictum putato, cùm ea quoque ſit Hippocratis ſententia, quemadmodum

ſuperius demonſtratum eſt. Amplius Galenus quoque lib.3. Prognoſt.com.18.anginam, maiori parte à bile fieri ſcripſit; quod ſi pituitoſus (īquit) humor infeſtet, celerrime diſcutitur, nec ullo pacto, acutus eſt talis morbus. Qua re ſi pituitoſus humor anginā faciens, bilioſo, minus acutus eſt, lōge quoque minus acutus erit, ſanguineus ipſe, cùm ſanguis, & pituita, & cæteris ſuccis benigniſsimus, atque mitiſsimus ſit; ſanguineæ itaque anginæ dolor, cholericæ longe minor erit. Quinimo ſect. Aphoriſmorum ſexta com.5. ubi Hippocrates habet in textu. Dolores qui ſunt in lateribus, & pectoribus, atque alijs partibus, an multum differant perdiſcendum. Galenus ibi in commento, dum docuit, in renibus inflammatione obſceſsis, atque in ipſo iecore, dolorem modo grauem, modo acutum fieri, ratione diuerſarum partium, hæc uerba ſcripſit. Et ipſius doloris quantitas maior, aut minor, cauſæ facientis adfert indicium; humor ſi quidem bilioſus, & acutus dolorem auget, ſicut & ſpiritus flatuoſus non habens exitum, exoluit autem pituitoſus. Ex quibus inferre licet, acutos dolores non à pituita, uel à ſanguine, quin magis à bile fieri. His conſentiunt, quæ lib.3. de Morbis uulgaribus Com.1. com.5. ab ipſo in hæc uerba ſcripta ſunt. Nam rei natura demonſtrat, ſicci temperamenti humores, & uirtutis morda-

cis,

cis, in cerebrum elatos, concitare uigilias, & phreneſim, id quod in commentarijs de Locis affectis oſtendi, at Hippocrates, tales humores cognouit flauam,& atram bilem;humidum uero ſuccum, & frigidum pituitam, mitiſsimum autem, ſimul & nobis familiariſs imum ſanguinem. Corroboratur etiam hæc apertiſſime ab Hippocrate libro 4. de ratione uictus in morbis acutis à text. 32.ad 36.ſed præcipue textu 36. necnon & ab ipſo Galeno, in commento, aſſerentibus, anginam hyberno, aut uerno tempore ex fluxione multa, glutinoſa, ac frigida fieri; æſtiuo uero, atque autumnali tempore ex fluxione calida,nitroſaq;. Et quæ hoc tempore fit (inquit Galenus) ſi non ultro ad externas colli partes defluxerit, grauior, at que ineuitabilior eſt,& propter tẽpus, & quod à calidis,atque acribus fit humoribus.Quibus liquidò conſtat, anginam, quæ à calidis, acri busq; fit ſuccis, ea, deteriorem eſſe, quæ à minus calidis, acribusq; ortum traxerit.

Doctoris *profectò acuti maior, vel minor quantitas, cauſæ facientis adfert indicium. Biliosus ſiquidem humor, atque acutus dolorem auget, quemadmodum & ſpiritus flatuoſus, non habens exitum, exoluit autem pituitoſus, atque ſanguineus. quinimo ipſius bilis acredo, ita à ſanguinis bonitate ſuperatur, atque exoluitur, vt ab ea prouenientes dolores, demulceantur. quemadmodum ſcriptum reliquit*

Galenus libro 4. de Tuenda valetudine circa initia, vbi de vlceroſa laſſitudine agens; non quæuis (inquit) mali ſucci ſpecies, ſed tantum in qua, rodens acrimonia continetur, ulceroſam laſſitudinem creat; ſed nec eiuſmodi quidem ſuccus, dum in venis cum ſanguine miſcetur, latet enim tum eius uis; utpote transfluentis, & à ſanguinis bonitate ſuperati; bilioſa itaque angina, minorem eſſe dolorem, quàm ſanguineæ dum ſcribit 9. 3. capite nono; per minorem, niſi breuiorem intelligamus, ambigua ſatis ipſius uerba, ſeſe nobis offerrent bilis quippe, cùm longe acrior ſanguine ſit; ſanguine etiam acerbiores dolores infligere deberet; quod ſi per minorem, breuiorem accipiamus ab eo dictum eſſe bilioſam anginam, nulla nobis dubitandi ſupererit anſa, quando à ſucco, qui cæteris mobilior ſit, atque propterea ocyus, faciliusq́ue diſſoluatur, atque euaneſcat, breuior eſſe angina debeat. è contrario uero, maior, prolixiorq́ue, quæ à ſanguine originem traxerit, vt qui non adeo mobilis, neque (vt ita dixerim) furioſus exiſtat. Cæterum, ſi & alio pacto, verborum Auicennæ defenſam ſuſcipere voluerimus, ita eius dicta intelligenda erunt; vt bilioſæ anginæ, minor ſit dolor, quàm ſanguineæ, quoniam bilis anginam faciens, minus copioſa ſanguinis eſt, dum & ipſe anginam facit; augetur autem cuiuſlibet cauſæ efficientis opus, eius aucta ſubſtantia, atque dum bilis ſubſtantia; non valde augeri poſſit, atque ad ſanguinis proportionem deuenire, idcirco bilioſa anginæ, minor

erit dolor, quàm ſanguinea.

IIII.

APPETITVM, non ex calore, ſed ex frigiditate eſſe affirmat 1. 1. doct. 4. capite 3. ideoque caninus appetitus (inquit) ex frigiditate ſæpius contingit. Quod etiam aſſeruit 14. 3. tractatu 1. capite 15. de ſignis malitiæ complexionis frigidæ hepatis; fames (inquiens) fit ex frigida hepatis temperatura. Cuius tamen contrarium tenere uiſus eſt 13. 3. tract. 1. capite 18. ubi de ſignis egit, malæ cõplexionis calidæ ſtomachi, appetitum inquiens, ex uentriculi calore quandoque fieri, cùm non ad tantam deuenerit intemperiem, ut uirtutem diſſoluat. Quod etiam teſtatus eſt tract. 2. capite 12. ubi de fame egit, & uehementia eius, & appetitu canino in hæc uerba ſcribens. Fames ut plurimum eſt, à ſuperfluitate caloris, in corpore toto, & in extremitatibus eius.

APPETITVS, *cùm à ualida uentriculi ui fiat, quemadmodum ſingulæ quæq; membrorum operationes; robur autem illud, à frigido nanciſcatur uentriculus, quoniam à calido diſſoluitur; idcirco dicendum eſt; ex frigiditate omnino cogente, conſtringenteq;, atque euacuante, quod in uentriculi tunicis, atque etiam ipſius corpore, continebatur, appetitum fieri; non autem ex calore, quemadmopum ſcripſit prima 1. doctrina 4. capite 3. & 14. 3. tractu tertio cap. 15. Quod etiam Galenum inſinuaſſe*

com-

comperimus dum libro 2. de Symptomatum cauſis capite ſeptimo, inter potiſſimas, continenteſq́; cauſas, quibus fames impeditur, calorem adnumerari ſcripſit, & caput 62. in libro Artis medicinalis calidiorem natura ventriculum, melius quidem concoquere, quàm appetere tradidit. Amplius & 4. Aphoriſmorum ſectione com. 2. inter cætera biliosi humoris indicia, cibi appetentiæ defectum recenſet. Idemq́; magis adhuc aperte affirmauit 2. Aphoriſmorum ſect. com. 20. ubi de cauſis lubricitatis ac ſiccitatis uentris verba faciens, inquit. Plura igitur appetimus, cùm os ventriculi (in hoc enim uis appetendi præcipue conſiſtit) frigidiorem habuerit temperaturam. Dum autem 13. 3. tract. 1. cap. 18. appetitum ipſum à moderata ventriculi temperatura fieri aſſeruit, dicamus, quod quemadmodum ſingula corporis munia, à temperato, atque innato calore, validiora efficiuntur; ita etiam ventriculi appetentia, à debito, naturaliq́; eius calore, valida reddi debet. Rurſus, & dum tract. 2. capite 12. de fame agens, & vehementia eius, atque canino appetitu; à caloris in toto corpore, atque in eius extremitatibus, exceſſu, fieri appetitum affirmauit, non de naturali appetitu, neque de innato in nobis calido uerba illum feciſſe credendum eſt; ſed de externo aëris calore, qui corpus diſſoluat, appetitumq́; illum pariat, qui caninus ſit; de quo Galenus quoque ſermonem habuit lib. 1. de Symptomatum cauſis, capite ſeptimo, appetentiam eam, fieri inquiens

pro-

propter plurimam per uniuerſum corpus inanitionem, quæ, vel immodici caloris vim, vel retentricis imbecillitatem, ſequitur. plurima nanque reſolutione facta, & magna requiritur reſtauratio. Atque non Auicenna modo, uerum etiam Galenus ipſe appetitum, modo à caliditate, atque modo à frigiditate fieri aſſeruit. aphoriſmorum nanque ſectione 2. com. 20. calorem, appetentiam deijcere ſcripſit. Sectione autem 1. com. 15. calorem, appetentiam intendere aſſeuerauit; dicendum tamen eſt, ipſum 2. Aphoriſmorum ſectione, de nimio, atque non naturali calore loqui, qui appetentiam deijcit. Sectione autem 1. de naturali innatoq; calore, qui appetentiæ, omniumq; aliarum operationum cauſa exiſtit.

V.

AQVAM fontis, quæ currit ſuper lutum, ea meliorem eſſe, quæ ſuper petras fluit, ſcribere non eſt ueritus 2.1.doct.2. capite 16. nam lutum, mundat aquam (inquit) & aufert ab ea res extraneas ſibi admixtas, quæ ſunt in ea, & colat ipſam. Hoc non uidetur rationi conſonum, quandoquidem & meritò, & lutum redolentes aquæ; & quæ impurum quid, atque fæculentum ſecum deferunt, ab omnibus reprobantur. Verum cùm aquæ, quæ ſuper lutum decurrunt, cænum redoleant, fæculentaq; ſecum frequentiſsime uehant, nequaquam his, quæ ſuper petras fluunt, præſtantiores dicendæ ſunt, cùm iſtæ nihil lutoſi ſecum

deferant; non fœtidum quid, cœnoſum'ue; quin potius puræ, limpidæq; conſpiciantur. Præterea, & cùm aquæ, quæ ſuper petras fluunt, inter petras confringantur, atque ex motu, curſuq; ſuo quaſi decoquantur. Laudabiliores profectò hac ſola ratione, & guſtui, & omnibus uſibus, ſunt cenſendæ; atque his, quæ ſuper lutum fluunt, magis approbandæ.

LICET *aquæ, per lutoſos quandoque defluant canales, non propterea tamen, lutum ſingulæ redolent, aut cœnoſum ſecum deferunt, ſi lutum firmum, ſolidum'ue fuerit; quin potius, curſu in ſuo depurantur, quidquid lutoſi in ſe continent, facile deponentes. Lutoſos nanque canales, ab aqua ipſa, quidquid fæculenti in ſe, conitent, extraxiſſe, atque illam depuraſſe, coniectari debemus; nam lutum, mundat aquam (inquit) & aufert ab ea extraneas res, ſibi admixtas, & colat ipſam atque eò magis adhuc, ſi hæ ipſæ, puro à fonte ſcaturiant, de ijs nanque ſermo habetur, quæ vtique his, quæ ſuper petras fluunt, meliores eſſe perhibentur. Vel dicendum forſitan eſt Auicennam, per aquam, quæ ſuper lutum currit, illam non intellexiſſe; quæ proprie ſuper lutum; ſed quæ ſuper puram terram fluit, cùm verba hæc ex libro 1. de Tuenda ualetudine, mutuatus eſſe videatur, vbi docens Galenus, quæ fontanarum aquarum laudabilior ſit, qua'ue recens nati pueruli, educandi ſint, in hunc modum ſcriptum reliquit. Cuius fons è terra ſcaturiens, contra ſeptentriones*

Cap. xi.

trionem fluit, Solemq́; auerſum habet; hanc ægre concoctum iri, tardiq́; tranſitus eſſe, putandum eſt, eadem nimirum caleſiet, frigeſietq́; tardè; è contrario uero, cuius ad orientem Solem fons erumpit, qu æque per meatum aliquem mundum, aut puram percolatur terram, eademq́; caleſit, ac refrigeratur ociſſime, hanc omni ætati, utiliſſimam eſſe, exiſtimandum eſt. Quo in loco fontis è pura terra ſcaturientis meminiſſe perſpicuum eſt.

VI.

CATARRHO in ipſo calido, lac exhibendum eſſe ſuadet, niſi febris adſit. 35. tractatu 1. capite 12. inquiens. Et adminiſtratio ſorbitionis factæ ex amylo, & farina hordei, & fabarum, & cum lacte mulcto, ſi non eſt febris, nocet enim lac, ſi adeſt febris. Cuius ſententiæ eſt etiam Paulus Aegineta lib. 3. capite 28 de curatione catarrhi, atque corizæ agens, in hæc uerba ſcribens. Quum igitur diſtemperamentũ calore, naturæ, modum, plus iuſto exuperat, cuncta conueniet adhibere præſidia, quæ ex eadem occaſione caput dolentibus competunt, lauacris tamen præterea utendum, caput item per multa calida conſpergendum. Alimenta ad hæc ea, in hac affectione conſtitutis quadrant, quæ ſorberi commodiſſime queant, & ob id ſorbitiones uocantur, ouaque ſorbilia, & amylum, placentæ quæ ex melle, & ſaſamo conſiciuntur, & ſeſoma eiuſdem

dem farinæ ſunt, & amygdala, & coni fructus, & quæcunque ex lacte concinnantur, ſecundæ menſæ, ſeu cupediæ, quæ græcis πέμματα nuncupantur. Hoc non tam facile accipiendum à nobis eſt, cùm nanque lac ad caput facillime euaporet, atque inde catarrhos multiplicet, maxime propterea noxium fore, credendum eſt, ſi Hippocrati fidem præſtare debemus ſcribenti quinta Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 64. Lac dare febricitantibus malum, malum & caput dolentibus.

QVAMVIS *caput uaporibus replere, catarrhūq; multiplicare aptum ſit lac, quemadmodum in aphoriſmis nobis inſinuauit Hippocrates; catarrho tamen in calido, ea ratione exhiberi poteſt, quoniam dulcore ſuo, acredinem obtundit; frigiditate vero, catarrhi caliditatem remouet; atque ita nobis plus commodi, quàm incommodi præſtare poteſt.*

VII.

CHOLICA in ipſa, quæ cum febre fuerit, dū non aperitur uía, non exhibeas (inquit) in potu aquam hordei, imo ius galli, & lenifica cum clyſteri, & multiplica unctuoſitatem eius 1. 4. tract. 2. capite ſeptimo. Cuius oppoſitum apertiſsme tenet 16. 3. tract. 4. capite 1. de canonibus curationis cholicæ, ubi ſcripſit, ſi fuerit illic febris, permutetur aqua galli, & loco eius, ſit aqúa hordei, ut incipiant

piant humores, & ſquibalæ deſubtus deſcendere paulatim.

FACILE *contradictioni huic, hoc pacto reſpondetur; cholica in ipſa, ſi uiæ non ſunt apertæ, aquam hordei, hoc eſt ſuccum ptiſanæ incommodum eſſe, quoniam flatus multiplicat, atque dolores auget; idcirco à iure galli incipiendum eſt. Quodſi inteſtinorũ uiæ apertæ ſint, & cholica cum febre adſit, ab aqua hordei incipias, quemadmodum ſcripſit 16. 3. vbi habet, quod cum in iure galli, ob eius nitroſitatẽ, & propter reliqua, quæ ipſi admiſcẽtur, caliditas adſit; idcirco in febre intenſa, nequaquã ipſo uti debemus; quod ſi oppoſitum fuerit, vt ſcilicet febre careat æger, atque uiæ apertæ non ſint, omni ingenio prius lubricandum, atque ius galli propinandum; quia aperiendæ prius uiæ, ne aqua hordei flatus generet; atque idcirco in ipſo galli iure, quo ventrem lubricaret magis, præter ſal, anethumq́; ac polipodium; oleum quoque addebat de cartamo.*

VIII.

EVACVATIONEM à diarrhœa prohiberi ſcripſit 4. 1. capite 3. ubi agit ad ſciendũ qualiter & quando euacuare oporteat, inquiẽs, Accidentia itaque mala, ſicut aptitudo diarrhœæ, & ſpaſmo, ab ea prohibent; uentrem enim ſoluere, ſuper uentris ſolutionem, timoroſum eſſe dixit ſuperius in capitis initio. Cuius tamen contrarium ſcripſiſſe uiſus eſt 16. 3. tractatu 2. capite 13. de cura cholicæ paſſionis

ſionis, ubi habet fluxum, quandoque fluxu prohiberi, & quandoque uomitu. Quod ſi fluxus prohibetur fluxu; à diarrhœa itaque, non ſemper euacuationem prohiberi, dicēdum eſt.

DIARRHOEA *ipſa, licet euacuationem prohibeat, non prorſus tamen ipſam, neque mediocrem ſaltem vetat. Fluxus etenim fluxu quandoque tollitur. ipſam tamen cum timore aliquo à nobis fieri debere ſuadet; verentibus, ne natura, fluori aſſueta, irritata denuo, pluſquam ſatis fluida reddatur; quod ſi forte contingeret, non leui ægrotantes afficerentur noxa; quemadmodum perſpicuum eſt.*

IX.

EXERCITANS ſi eſt plenus, melius eſt quàm ſi exercitetur, cùm eſt uacuus 3.1.doct. 2. capite 3. De hora incipiendi exercitium, & ordinandi ipſum, in hunc modum ſcribens. Et propter hoc dixerunt quidam, quod cùm forte, exercitium neceſſarium eſt, bonum eſt, ne ſit ſtomachus admodum inanitus, imo ſit in eo paucum nutriens, & in hyeme quidem ſit groſſum, & in æſtate ſubtile. Amplius, qui exercitatur, ſi eſt plenus, melius eſt, quàm ſi exercitetur cùm eſt uacuus, & melius eſt ut exercitetur cùm eſt calidus & humidus, quàm ut exercitetur, dum eſt frigidus, & ſiccus. Cuius oppoſitum tenendum uidetur; exercitari quippe repleto corpore, obſtructiones parit, intercalefactis, repletiſq; uenis, ac ipſis mem bris,

bris, ex attracto ad ipſa inconcocto nutrimento; cuius rei teſtis eſt Galenus, qui libro de Tuenda ualetudine ſexto, ubi de proprio corporis ſui regimine uerba facit, dum de exercitij tempore loquitur, ita habet. Ego uero neque à tali cibo unquam bibo, & ſolum panem comedo; ſit autem cuiusq; eorum modus is, qui decima hora concoctus eſſe poſsit. Quippe ſi exercitari cupiant, eo maxime pacto citra noxam, ſe exerciteñt; ſi quidem non leue incommodum nonnullis accidit, cùm repleti cibo, ſe exercitant; nonnullis enim & caput impletur uaporibus, & in iocinore aut ponderis ſenſus, aut diſtentionis, aut utriuſque percipitur.

Exercitantem *ſe, ſi plenus ſit, melius ſe habere aſſerit, ea ratione, quoniam, nullo fame afflicto corpori, congruum exercitium eſt; à quacunque etenim, & leui occaſione, famelicum poteſt inflammari corpus; atque non mediocre ipſi infertur nocumentum; quare, huiuſcemodi corporibus, fames nequaquam iniungenda eſt. Quando autem huic ſententiæ, obijciuntur nocumenta exercitantis ſe poſt cibum, dicatur, immediatè ab aſſumpto cibo non eſſe regulariter exercitandum; quoniam agitatio, atque commotio fit, corruptioq; cibi in uentriculo, quemadmodum ſcriptum eſt ab eo tertia 1. doctr. 5. capite 2. De regimine iter agentium. Exercitij nanque congruum tempus eſt, completa prima.*

ſecundaq́; concoctione, & iam dimidiata tertia.

X.

EXTENVARE quandoque corpus, uinum in ieiunio epotum, ſcriptum reliquit ſeptima 4. tractatu 4. capite 6. Vbi de extenuando corpore egit, hæc uerba habens. Et potare uinum in ieiunio quãdoque extenuat iterum, per hoc, quod reſoluit; & per hoc, quod replet uenas uapore, cùm fuerit illud, quod potatur plurimum, quare uenæ non recipiunt interius aliud ſuper ipſum ex cibo. Contra quod hoc pacto dicere poſſumus. Extenuatio, ſi nutrimenti potius defectu, quàm ipſius ad membra adiectione fit, nullo pacto ex ipſo uini potu (etiam in ieiunio) tanquam maxime nutrientis, & quod facile ad membra deducitur, corpus extenuari debere, dicatur.

VINVM, *licet de maxime, ac velociter nutrientibus, omnium conſenſu eſſe credatur; ieiunis tamen potatum, corpus extenuare ſcripſit Auicenna; quod licet paradoxon videatur non alia tamen ratione, id fieri, credendum eſt, niſi quia, ſi meracum bibatur, cùm ieiunus, cibiſq́; vacuus fuerit uentriculus; à nullo detentum, neque moram, donec in ipſo concoquatur, contrahens, ad vias vrinæ cito permeat, educiturq́; atque idcirco cùm corpus, ob velocem eius tranſitum alere nequeat; reliquum eſt, vt extenuare dicatur. Velocem vero eſſe ipſius tranſitum, aperte docuit Auerrois libro 17.*

Collectorum

Collectorum ſuorum, capite 16. dum ſcripſit, uinum adeo velociter nos nutrire, vt tantam in ſtomacho moram non contrahat, quod digeratur, licet ſecus Galenus ſenſerit; prout fuſius in meis auctorum antitheſibus explicabo.

XI.

FABAS, pituitoſum humorem generare ſcribit 16.3. tractatu 5. capite 1. de uermibus in calce, hæc uerba habens. Et tu quidem ſcis cauſas multitudinis generationis phlegmatis ſcilicet ex ſatietate nauſeatiua, & comeſtis, & debilitate digeſtionis, propter quamcunque cauſam fuerit, & ex complexione mẽbrorum frigida, & ex cibis, qui generant ipſum, ſunt cibi lenes, uiſcoſi, ſicut triticum, & faſeoli, & fabæ, & ex receptione pulueris farinæ, & comeſtione carnis crudæ, & lactis, & olerum, & fructuum humidorum, & rerum unctuoſarum. Cuius contrarium ipſemet tenere uidetur libro 3. tractatu 4. capite 4. inſomnioſas ipſas eſſe ſcribens, atque timorem in ſomnis commouere. Timor autem atque mœſtitia, atram exuberare bilem ſignificant; non itaque pituitoſum, quin potius melancholicum ſucceum generare credantur. Communis præterea ſententia eſt, melancholicum ſuccum ipſas omnino procreare, atque idcirco in melancholicorum affectuum curatione ab omnibus ſcribentibus improbantur.

lis fere comprobatur. Et quemadmodum cauſonem, & tertianam, calidiſsimas præ cæteris eſſe teſtatus eſt Galenus 4. Aphoriſmorum ſectione com. 48. & libro 2. de Symptomatum cauſis, haud ſecus ethicam ipſam calorem perinde ut calx debilem contingentibus obtinere ſcripſit 2. Prognoſt. libro com. 60.

GALENVS *libro 1. de Differ. fibrium capite 11. fibrium ethicarum calorem, non tertianæ calori comparat, ſed ſynochi, ac inquit, febribus in ethicis, neque multam occurrere caliditatem, pulſusq́; tanto minores, rariores, ac tardiores his eſſe, qui febribus ſynochis appellatis exiſtunt, quanto etiam caliditas minor eſt, nullam de tertiana calore mentionem faciens, qua febrium omnium calidiſſima eſt, atque bilioſiſſima, quemadmodum conſtat ex libro 2. de Symptomatum cauſis, atque alibi frequentiſſime; propterea dicamus Auicennæ locum, hoc pacto intelligendum eſſe, quod febris ethicæ calor, tertianæ calore maior percipitur, quoniam in ipſa quo diutius, carpo, circa arteriam, manum admouemus; eò acriorem, atque erodentem magis, aridúq́; (vt ita dixerim) percipimus calorem, quod aliis in febribus minime vſu venit, quibus, primo tactus occurſui, mordax quidem is percipitur, qui demum ſub manu ſenſim deliteſcit, euaneſcitq́;, atque ſeipſo minor continuo redditur. Præterea vſu quandoque venit, vt caliditas plurima ſimul atque acerrima videatur; plerunque vero non pauca quidem, ſed ni*

hil ab acerrima differens; aut rurſus acerrima quidem, ſed non multa, quemadmodum ijs contingit, qui aut triſtitia, aut ira detinentur; illis quippe, acredo potius quàm multitudo caloris adeſt; his vero, qui ob iram febricitant, contrario modo, quemadmodum perſpicuè docuit Galenus libro 2. de Criſibus capite 13. Sic itaque dum ethicarum febrium calor, tertianæ calore, maior eſſe dicitur, veritatem habet, non tamen eſt eo acrior; è contrario, tertianæ, acrior quidem, quàm ethicæ, non maior tamen. Vel etiam dicendum eſt ethicis in ipſis, maiorem in qualitate eſſe; in tertianis vero, quantitate maiorem. Amplius, dicere etiam hoc pacto poſſumus, quod quemadmodum ignitum, candensq́; ferrum; tametſi depreſſiori quàm flamma, ſit calore; illa tamen, uehementius, atque acerbius vrit, quoniam denſiori ſubſtantia præditum eſt: pari ratione cùm in ſubſtantijs diuerſis & tertianæ calor, & ethicæ accendatur; in hac nanque in ſolidis, in illa, accenditur in humoribus; atque ſolidorum ſubſtantia denſior quàm humorum exiſtat, idcirco ethicæ febris calor, tertianæ calore, acrior, atque intenſior erit; quia in denſiori ſubſtantia collocatus eſt.

XIII.

FICVS, quia ſunt boni chymi, tenuisq́; motus, pediculos generare ſcribit 7. 4. tract. 3. capite 26. de pediculis, & lendibus, in hæc uerba. Et quandoque adiuuant ad generationem pediculorum, & mouent eos cibi boni

chymi

chymi, tenuis motus, ad illud, quod apparet ſicut ficus. Cuius oppoſitum, ſentiendum potius eſt, ex uitioſo nanque ſanguine, corruptisq; ſuccis cùm procreentur pediculi; idcirco ficus ipſæ, non quia boni, ſed quoniam mali ſint ſucci, pediculos procreare debent. ex huiuſcemodi nanque generantur ſuccis, quemadmodum dictum eſt.

LICET *non parua fortaſſe ſit, inter caricas, & ficus differentia, cùm ficus dicantur recentiores, caricæ vero vetuſtiores, & quæ in annum ad varios vſus reſeruantur, quæ ficubus profectò acriores quoque pacto ſunt, guſtuiq; noſtro ſeſe offerunt. quùm tamen de ficubus ſimpliciter Auicenna loqui videatur; ipſasq; & boni eſſe ſucci, atque pediculos generare aſſerat, cùm dubium non leue ſit, atque præter omnium ferè ſententiam, quùm pediculi non ab optimis, ſed ab improbis oriantur ſuccis; quo tamen paradoxon dilucidemus, explanemusq;, dicendum eſt, caricas ſeu ficus, & boni eſſe ſucci, & ſimul pediculos generare poſſe, non tamen dum probi, ſed dum improbi, mali'ue ſunt redditæ ſucci. Quo autem pacto, & boni, & mali ſucci ſimul eſſe valeant, oſtendit Galenus in libello de Cibis boni & mali ſucci, de fructibus verba faciens, atque ſic inquiens. De caricis, ſi quis boni eas, maliq; ſucci eſſe dixerit, forte inter ſe pugnantia dicere videbitur, cùm tamen verum vtrunque eſſe poſſit. Habent enim in ſe, tum quod ſalubre, tùm quòd inſalubre ſit; nam ſi ipſæ per uentrem tran*

fuerint, quodq́; ex iis alimentum conficitur, per renes, corpusq́; digeſtum fuerit, & ſalubris, & boni ſucci cenſentur, ſin autem retardarint, deterioris quodammodo ſucci ſunt, & pediculorum copiam gignunt.

XLIII.

GLANDOSAM mammillarum carnem, ſenſum nullum habere ſcripſit 12. 3. capite 1. de anatomia mammillæ agens, his uerbis; & ipſa eſt corpus compoſitum ex uenis, & arteriis, & neruis, inter quæ exiſtit uacuitas, quã caro replet glandoſa, cui non eſt ſenſus; albi coloris; & propter ſuam albedinem, quando aſſimilatur ei ſanguis, albificatur illud, quod nutrit ipſam, & albificatur illud quod ſuperfluit ab ea, & fit lac. Cuius contrarium ſenſit 3. 4. tract. 1. capite 17. in hunc modum ſcribens. Et ſenſibilia quidem ſunt, ſicut caro glandoſa, quæ eſt in collo, & mammillis, & radice linguæ.

MAMMILLARVM *caro, atque ſubſtantia per ſe quidem inſenſibilis eſt; at quia venas, & arterias ſenſibilis ſibi admixtas habet, idcirco, non omni prorſus ſenſu deſtitutas eſſe mammillas fateamur oportet. Amplius, glandoſorum corporum multiplex eſt differentia; quædam etenim à natura genita ſunt, in medio vaſorum in diuerſas partes diductorum, quò, uacua illa loca tantum repleant, atque pro firmamento eius deductionis ſint; atque hæc* pror-

prorſus non ſentiunt, neque earum magnus uſus animantibus eſt; ſed ex abundatiore prouidentia, ſicuti alia quædam, ita has quoque glandulas, natura fabricauit. Quædam vero creata fuere, ratione humiditatis in membris conſeruandæ, quarum etiam maior eſt, quàm cæterarum uſus, quibus vtique ſenſus ineſt, veluti ſunt glandulæ illæ, quæ ſub lingua, faucibus, & laringe, atque teſticulis; necnon & in meſenterio repoſitæ fuere, ſub ipſisq́; mammillis, quemadmodum à Galeno ſcriptum eſt 16. de Vſu partium capite 2. & 14. Therapeutices Methodi capite 11. atque has, non glandulas, ſed glanduloſa potius uocant corpora, vt quæ, non paulo quàm reliquæ glandulæ, & rariore ſint, & magis ſpongioſa ſubſtantia; atque in has, quia tum arteriæ, tum uenæ ſenſibiles perueniunt, ueluti dictum eſt, idcirco ſenſibiles ſunt; atque hac ratione, & glandoſa mammillarum caro, ſenſu prædita eſſe dicitur.

XV.

LAPIDI conferre dicit, dormire ſuper dorſum 18. 3. tractatu 2. capite 18. de curatione lapidis renum. Cuius contrarium, & ratio, & uſus ipſe docent; cùm nanque à renum caliditate, tanquam ab efficienti cauſa, procreentur calculi; renes uero, ſupino ex decubitu, miro modo incaleſcant, uidetur in hoc, non uera prorſus, ſanitatiq́; noſtræ proficuo dixiſſe Auicenna, cum ipſa etiam experientia oppoſitum nos doceat.

Abſo-

Absonvm profectò paradoxon hoc uidetur, experientiæq́; aduerſatur; atque non experientiæ modo, uerum etiam his, quæ ab ipſo aliàs ſcripta ſunt. Libro nanque 3. tract. 4. capite 1. in calce, reſupinum decubitum, ac ſomnum, dorſum lædere teſtatus eſt, in hæc uerba ſcribens: Et nos quidem iam diximus, qualiter oportet eſſe formam iacentium ſuper cibum; nunc autem dicemus, quod uſus reſupinationis multoties lædit dorſum, & laxat ipſum, cuius quidem cura eſt, uſus ſurgendi plurimus. Superfluitates præterea in ſomno ad corporis profundum trahi, eodemmet auctore habemus 2. 1. doct. 2. capite 9. de eo, quod prouenit ex ſomno & uigilijs, & doct. 4. capite 20. Amplius 3. 1. doctr. 2. capite 9. De ſomno & vigilijs inquit reſupinum ſomnum, ſuperfluitates ad poſteriora declinare facit, & retinentur, & per ſuos non incedunt canales naturales; quare ſuper dorſum dormire, lapidi conferre minime poterit. Quocirca dicamus Auicennam, per verbum illud, conferre, non iuuamentum aut commodum, ſed perniciem magis, atque detrimentum indicare, vt verbis illis nil aliud nobis ſignificare voluerit, quàm ſi dixiſſet, Lapidis ad procreationem plurimum facit ſuper dorſum dormire, renes quippe incaleſcunt, pituitoſosq́; è longinquo attrahentes ſuccos, ſua calida vi exurunt, calculorumq́; generatio inde originem trahit.

LEPRA

XVI.

LEPRA in ipſa, cappares exhibendos eſſe ſuadet 3.4. tractatu 3. capite 3. de Curatione lepræ. Oppoſitum cuius ex ipſomet tenendum eſt. Lepra nanque quemadmodum definit ipſe, cum ex ſparſione choleræ nigræ, in toto corpore proueniat, ab ijs manus continere debemus, quæ huiuſcemodi ſuccũ procreare ualent; cappares uero, cæteraq; ſalita omnia, cùm ſuccos exacuant, ſanguinemq; ipſum adurant, eaque ratione, nigram choleram pariant, cappares in lepra, nullo pacto competere poſse, uidentur.

CAPPARES, *lepra in ipſa, fortaſſe, exhibendos eſſe ſuaſit, non propriam ſequutus ſententiam, dum lepram ab atra bile fieri pronunciat, ſed magis Hippocratis mentem ſectatus, qui in libro de Affectionibus, lepram à pituita fieri ſcripſit, quæ cùm frigida, lenta, craſſa, atque immota exiſtat; cappares mediocriter calefaciendo, lentorem, craſſitiemq́, incidendo, atque attenuando, ipſi prodeſſe ualent. Amplius & lepræ ipſi, licet ab aduſta atra bile, genita fuerit, iuuamento eſſe poſſunt, cappares, ſi mediocris eorum ſit uſus, pro ſucci quoque illius attenuanda, incidendaq́ craſſitie.*

XVII.

MEDICAMINA lenientia uentriculi in apoſtemate exhibet 13.3. tract. 4. capite 3. De cura apoſtematum calidorum ſtomachi. Con-

Contraria huic dicto, eſt medicorum omniũ operatio; per ipſa nanque affecta membra euacuare, communis deteſtatur experientia, rationibus pluribus, auctoritatibusq; doctorum omnium firmata, roborataq;.

DOCTORES *ſinguli, per affecta membra, alibi exiſtentes ſuccos euacuare verentur profectò, ne ad læſa loca attracti, qui procul ſunt ſucci, grauiorem noxam inferant; eos uero, qui in læſis contenti ſunt partibus, medicamentis educere non dubitant; quæ tamen medicamina, lenientia, blanda'ue ſint, non autem validiora, quæ à longinquis attrahant. Qua re & Auicenna ipſe, non ualidum pharmacum à remotis attrahens, ſed leniens tantum, in ventriculi apoſtemate propinat, quò grauiorem plenitudinis ſarcinam ab ipſo deponat.*

XVIII.

OBSTRUCTIONE in ipſa meatuum, ubi exigua eixſtit, dandum eſſe uinum ſuadet; quia ipſam aperit; ubi uero eſt magna, uinum nequaquam eam aperire aſſeruit 1. 4, tractatu 2. capite 41. de ſignis febris ephemeræ ex ſoliditate cutis, cauſatæ ex ſtipticis aquis. Aduerſus quam propoſitionem, hoc pacto dicere poſſumus, uinum ipſum haud ſecus, ac aliud quoduis aperiens, tam exiguas, quàm ingentes obſtructiones omnino reſerrare poſſe, ui, caloreq; ſuo, facile membra permeans. Atque debile, aquoſumq; uinum, non ingentes,

ma-

maximaſq; obſtructiones, ſed exiguas tantum aperire ualet; uinoſum tamen ac potens, & exiguas, & ingentes dubio procul reſerrare poterit.

PARADOXON *hoc, ita facile diluere poſſumus, dicentes, obſtructiones ingentes uinum aperire non poſſe, quia ingentes ſi ſint, ualidiora adhuc quã uinum, expoſcunt auxilia, ipſas reſerrantia; & quibus vinum fortaſſe ſatis eſſe non poteſt. Amplius quoque ita dicere poſſumus, vinum cum facile permeet, atque ad membra deducatur, attrahaturq; libenter; ſuccorum copiam in immundo corpore ſecum trahens, meatibusq; eos infarciens, non modo ingentes obſtructiones non tollere, quin potius eas, quam maxime adaugere poſſe. Qua re; obſtructione in ipſa, exigua ſi fuerit, non multum indicans in corpore ſuccorum copiam, vinum commodum erit, atque ipſam aperire poterit, e contrario, incommodum, ſi obſtructio ingens, atque petroſa, (vt Auicennæ uerbis vtar) fuerit, ita enim aſſeruit ipſe 3.1. doct. 3. cap. 4. De aperiendis ſenum opilationibus; atque etiam ſi ſuccorum adſit copia, quæ, à uino facile ad membra deducatur.*

XIX.

QVI uitellum, ſubtiliationem habere aſſeruit libro 3. tract. 2. capite 24. De curatione ſodæ ex ebrietate, in hũc modum ſcribens. Et pone cibum ipſorum, qui habent infrigidationem, & humectationem, & ſubtiliationem. ſicut

ſicut eſt uitellus oui, & ſuper eos funde &c. Cuius oppoſitum, ipſomet auctore ſentiendũ uidetur, Ouum nanque ipſum, ac præcipue uitellum, cùm temperatura ſimmetro frigidio rem eſſe aſſerat, non modo in ipſo, ſubtiliatio nem reperiri minime poſſe conſtat, quin magis incraſſationem, ipſo quoque ita ſcribente 10. 3. tract. 3. capite 6. ubi de curatione ſputi ſan guinis egit. Et ſi timetur caſus uirtutis, time re neceſſariò, cibetur eo, à quo generatur hu mor æqualis, aut decliuis ad frigus, in quo ſit glutiuatio, aut inuiſcatio, & tenacitas, & ſti pticitas; & proprie incraſſatio ſanguinis, ſicut alheriſa, cum extremitatibus, & ſicut capita, & ſicut oua ſorbilia; quo in loco, uitellum oui, palàm incraſſare faſſus eſt. Quod etiam apertiſ ſime expreſsit 5. 3. tract. 1. capite 9. de Cura le ui fluxus ſanguinis agens, in hæc uerba ſcri-bens. Et caſeus recens humidus, eſt ex conue nientibus cibis patientibus fluxum ſanguinis narium, & ſimiliter lac decoctum, donec in-groſſetur, & oua elixata], ei qui præparatur ad fluxum ſanguinis narium, propter choleram ſanguinis ſui.

Ovi uitellum, dum libro 3. tract. 3. cap. 24. attenuationem habere ſcripſit; alibi vero craſſum reddere ſanguinem fatetur; ſi dictum, dicto, repugnans eſſe nolumus, ita dicendum eſt. Ouorum ui-tellum, dum attenuationem habere aſſerit, nil a-

liud

liud ſibi uoluiſſe, quàm ipſum, lentore priuari: quam de ipſo ſententiam habuit, atque aperte expreſſit 4. 1. tract. 3. capite 1 1. de Curatione ethica ſenectutis, ita inquiens; & mel eſt ultimum in iuuamento eorum, ſicut eſt vltimum in nocumento habentium febrem et hicam, & omnis cibus humectans, facilis penetrationis, uelocis attractionis, in quo non eſt uiſcoſitas; ſicut aqua carnis, & uitelli ouorum ſorbilium, & uinum ſubtile odoriferum, parua quantitatis, eſt uehementer conueniens eis; ita vt ex ipſius ſententia, ouorum uitellos attenuationem habere, atque uiſcoſitate priuari, unum atque idem ſit. atque hoc pacto Contradictio tollitur. Poſſunt etenim ouorum uitelli craſſos generare ſuccos, quibus tamen lentor abſit.

XX.

PHLEGMA ſpiſsitudine ſua, integre non obſtruere cerebri meatus, melancholiã autem, integre obſtruere aſſeruit libro 3. tract. 5. capite octauo in calce. Cuius oppoſitum ſentire uidetur eodem libro tract. 2. capite 5. De qualitatibus euctus ſodæ ex materijs, phlegma, uiſcoſitate, craſsitie, ac multitudine obſtruere ſcribens; melancholiam uero, craſsitie tantum. phlegma itaque magis integre opilare debet, quàm melancholia, cùm hæc, unica tantum ratione obſtruat, illud uero, tribus ſimul obſtruentibus, uiſcoſitate nempe, craſsitie, ac multitudine, obſtructionem pariat.

PHLEGMA, *ſpiſſitudine ſua, non ita integrè, ac melancholia cerebri meatus obſtruere poteſt, hac ratione, quoniam licet craſſum, pituita, haud ſecus ac melancholia; uiſcidumq; ſuccum pariat; pituita tamen, nō ita facile cerebri meatus peruadit, ſuo lentore detenta; atra uero bilis, licet & ipſa craſſa, lentaq; ſit, acida tamen exiſtens, facilius meatus permeat, atque ſibimet uiam facit; meatusq; ingreſſa, craſſitie, ac lentore ſuo, eos tandem obturat. Aliam quoque huius rei, reddere rationem poſſumus, dicentes, quod licet frigida ac craſſa pitiua ſit, humida tamen exiſtit; atque humidum quoduis facile permeare poteſt; è contrario atra bilis, frigida, ſiccaq; eſt; quod autem eiuſmodi eſt, difficile peruadit. His itaque rationibus, ueritatem ſortiri poſſunt Auicennæ uerba; phlegma ſpiſſitudine ſua, non ita integre meatus cerebri obſtruere, quemadmodum melancholia.*

XXI.

PISCES ſalitos, uelocem recipere corruptionem ſcripſit 7.3. capite 2. de conſeruatione dentium, inquiens. Ex quibus eſt ut ſibi caueat à frequenti corruptione cibi & potus in ſtomacho, propter rem in ſubſtantia cibi, & eſt ut ſit recipiens corruptionem uelociter, ſicut lac, & piſces ſaliti. Cuius oppoſitum prorſus tenēdū eſt; à corruptione nanque cunctá præſeruat ſal; atque quæcūque diutius imputria ſeruare uolumus, ſale ipſo condita eſſe

curamus. Pro confeſſo itaque tenendum eſt, ipſos etiam ſalitos piſces, uelocem corruptionem nequaquam recipere poſſe.

PISCES *ſalitos, uelocem corruptionem recipere, non abſolute, atque ſimpliciter intelligatur; diutius nanque (experientia teſte) imputres ſeruantur; quemadmodum & reliqua cuncta ſale condita; ſed dicendum eſt, cæterarum ſalitarum rerum comparatione, piſces, ueloci obnoxios eſſe corruptioni, rancoremq́; facile contrahere.*

XXII.

SANGVINIS miſsionem, melius fieri aſſerit cùm febris non adeſt; quando autem adeſt febris, niſi fuerit neceſsitas, tum, ſtatum magis conuenientem eſſe, phlebotomia enim facit humores currere, & permiſcet inter eos 1.4. tractatu 1. capite 33. de febre ephimera ex opilatione. Hoc idem & Trallianus ſentire uidetur, dum in quartana febre, ſi ſanguis mitti debet, in ſtatu mittendum eſſe ſuadet. Eodem modo & Aegineta, qui libro 3. capite 14. ubi melancholiam curat, in uigore ſummo, à ſanguinis detractione, auſpicandum eſſe inquit. Cuius quidem ſententiæ pars prima uera eſt; quod autem ſecundo ſcribitur loco, ſanguinis ſcilicet miſsionem in ſtatu, magis conuenientem eſſe, abſonum prorſus eſt, atque Hippocrati aduerſatur, ſcribenti ſecunda Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 20.

In principijs, ſi quid uidetur mouendum, moue, cùm uero conſiſtunt, ac uigent, melius eſt quietem habere. Quod quidem & in praxi à cunctis obſeruatur medicis.

APERTVM *nobis eſſe debet, ſi ſanguis mitti oporteat, in morborum initijs, ſatius eſſe mittere, quoniam in ſtatu, ſilentium habere, melius eſt, inquit Hippocrates; auctorq́; Celſus eſt libro 2. capite nono; in ipſo febris impetu, ſanguinem mittere, hominem iugulare eſſe. Dum itaque Auicenna dixit febris dum fuerit, ſtatum magis conuenientem eſſe pro ſanguine mittendo, non de vniuerſali morborum ſtatu, uerba illum feciſſe, credendum eſt; neque etiam de particularis exacerbationis ſtatu; quandoquidem in paroxiſmis ipſis, phlebotomiam faciendam ſuaſit, dum febris non adeſt. Sed per ſtatum tempus illud intellexit, in quo morbus ſtat, atque quieſcit, ſymptomataq́; remiſſa ſunt. Ægineta vero, dum in vigore ſummo, ſanguinem detrahendum hortatur, intelligi debet, dum morbus viget, non autem dum conquieſcere, atque remitti incœperit; declinante nempe vniuerſali morbo, cùm iam in tutò æger ſit, abſque ſanguinis detractione, curare ipſum poſſumus, amiſſaq́; ſanitas recuperatur.*

XXIII.

SIPHAC περιτόναιον græcis dictum, corpus paniculare, abſque uillis ſenſibilibus eſſe uolu t 13.3. tract. 1. cap. 1. de anathomia mery & ſtomachi. Contrarium attamen ſibi ipſi ſcri

pſit

pſit 22.3.tract.1.cap.1.de forma zirbi,& duorũ ſiphac, uillos manifeſtos ipſum habere aſſerẽs, his uerbis. Quidam uero dicunt, quod non licet ut dicatur, quod in ſyphac ſint tria gene ra uillorum contextorum ſecundum uiam no tã uillorum, qui ſunt inſtrumenta uirtutum trium naturalium.

SYPHAC *περιτόναιον græcis dictum, corpus paniculare eſſe abſque villis ſenſibilibus quandoque ſcripſit veluti 13. 3. tract. 1. capite 1. Alibi vero manifeſtas, atque euidentes in ipſo, fibras poſuit. Dicamus itaque, quo diluatur Contradictio, dictionem illam ſenſibilibus, omnem ambiguitatem; ac Contradictionem tollere; non enim negat Auicenna 13. 3. peritoneum villos habere, ſed inſenſibiles ipſos eſſe ibi affirmat, quos manifeſtos poſuiſſe conſtat 12. 3. tract. 1. capite 1. Præterea animaduertendum eſt peritonem duplices habere partes, internas, atque externas: interior eius pars, membranoſa eſt, nullis intertexta fibris; imo leuis impenſe, & terſa, ac velut humore oblita, adipis ſibi copiam interdum adnatam obtinens, ventriculumq́; inteſtina, omentum, meſenterium, iecur, lienem, renes, vtranque veſicam, vterum, & vaſa demum quæcunque inter ſeptum tranſuerſum, & crura ſitum obtinent, complectens; externa vero pars, carnoſa eſt, & vndecunque muſculis connaſcitur, & amplior ipſo peritoneo eſt, ac vniuerſo corpori, cutis modo obducitur; atque hæc ſimplex non eſt, cum carneis quibuſdam*

donetur fibris. verum itaque peritoneum, quod in ſimilarium partium numero reponi debet, fibris vtique deſtitutum eſt, carnoſa vero ea, quæ ipſum cooperit membrana, fibris omnino conſtituitur.

XXIIII.

SITIM quandoque cum materia phlegmatica, & cum frigida diſpoſitione eſſe aſſeruit 16. 3. tract. 3. cap. xi. De ſignis diſtinctionis cholicæ, & primo de ſignis phlegmaticæ, in capitis calce hæc uerba habens. Et non oportet ut decipiatur aliquis propter id, quod forte fit de ſiti, & inflammatione, & rubedine aquæ, & exiſtimet quod ægritudo ſit calida; illud nanque commune eſt omnibus. Contra quod, tum ratio ipſa, tum ſitis ipſius eſſentia ſeſe obijcit, quæ cum frigidi, humidiq́; appetitus ſit, meritò neque à pituitoſa, materia, neque à frigida diſpoſitione procreari poſſe uidetur, quin magis ab horũ contrarijs, à calida uidelicet, ſiccaq́; ĩtemperie, à calidis & ſiccis ſuccis. Quare neque pituitoſa materia, neque frigida diſpoſitio, ſitis occaſiones eſſe poterunt.

SITIM, *dum à pituitoſa materia, frigida'ue diſpoſitione fieri autumat; dicendum eſt, pituitoſam materiam, licet per ſe frigida ſit, atque huiuſce frigiditatis ratione, ſitim inferre nequeat; per accidens tamen, putrefacta ſi ſit, incaleſcere; atque ex aucto in ea calore, ſitim intendi, nemini dubium eſſe debet; attolluntur quippe à pituitoſa materia, vapores*

res

res quidam, qui licet frigidi, inconcoctiq́; ſint, propter calidi naturalis priuationem, ab accidentali tamen, aduentitioq́; calore, & caleſiunt, & inflammantur, atque hoc pacto ſitis infertur. Frigida pari modo diſpoſitio, humidum congelans, corporis noſtri partes ac membra humectare minime permittit; quin magis humiditatem ab ipſis exprimit; quare augetur ſiccitas, ſitisq́; ea ratione aduenit, qua humidi eſt appetitus.

XXV.

SOMNO indulgendum nō eſſe ſcripſit ſuper nimia uacuitate, quoniam uirtutem deiicit 3. 1. doct. 2. capite nono, de ſomno, & uigiliis. Cuius contrarium prorſus opinamur, ad uires nanque roborandas, eo maxime tempore ſomnus conceditur. ſomnus nempe non ſolum motus, uerum etiam ſenſus, omniſq; animalis functionis, quies eſt, qui, ſpiritus, labore, uigilijſq; diſsipatos, reſtituit membrorum, ſenſuumq; defatigationem tollit, naturales functiones, maximeq; concoctionem, & retentionem corroborat.

PARADOXON *hoc, licet ab ipſomet aliquo pacto declaretur 2. 1. doct. 3. capite 13. De his, quæ proueniunt ex ſomno, & vigilijs, vbi ita habet. Et ſi inuenerit vacuitatem, infrigidabit propter hoc, quod reſoluit, aut humorem, qui virtuti digeſtiuæ ſit inobediens; infrigidabit propter illud, quod expanditur de eo; uigilia uero huius contrarium efficiunt.*

Verum & nos hoc pacto, illud diluere poſſumus, dicentes, ſomnum à cibo uires deijcere, quoniam intro recurrens eo tempore naturalis calor, ſi forſitan, nihil quod conficiat, habeat, pabulum ſibi ex ſanguine facit; atque ita abſumpto ſanguine, uires proſterni, atque labefactari neceſſe eſt. Vel etiam dicere poſſumus, quod licet concoctricem, ac retentricem uim corroboret ſomnus eo tempore factus, atque augeat; attractrix tamen, expultrixq́; facultas per ſomnum languidiores fiunt; propterea quod motrix uis, opem illis ferre ſolita, conquieſcit; atque cùm in uacuitate, attractrice indigeamus, quæ, id quod efficit, reficiat; idcirco ſuper uacuitate, ſomno indulgendum non eſt. Adhuc etiam dicere hoc pacto poſſumus ſomnum ſuper nimia uacuitate, uirtutem deijcere, quoniam auctore Ariſtotele libro 5. de Generatione animaliũ capite 1. Animal in ſomno, medium quid eſt, inter uiuere, & non uiuere; neque à mortuo in alio differt, niſi quia in ſomno, naturalis calor agit, digerendo intrinſecus cibum, quod ſi quis dormiat (inquit Ariſtoteles) vltra digeſtionem cibi, tunc naturalis calor ab opere quieſcit, ac ceſſat, reſoluiturq́; atque marceſcit, & pulſus parui fiunt. Quod autem ex ſuperfluo, excedentiq́; ſomno, naturalis labefactetur calor, reſoluaturq́; atque marceſcat; ex eorum, qui ſuperflue dormiunt pallore, liquidò conſtat. Reſoluto itaque (vti dictum eſt) marcidoq́; reddito in ſomno ſuper nimia uacuitate propter ciborum penuriã, naturali calore, qui roboris virium, atque vitæ auctor

ctor

ctor eſt, vires pariter deiyci, credamus oportet. Quod Galenũ quoque confirmaſſe uidemus libro 3. de Pulſuum cauſis, his uerbis. Somnus enim (quod uel ex Poetis audias) mortis eſt frater, unaq; hac, illi conuenit, cum viuentibus, confectio alimenti; reliqua, mortuis ſunt ſimilia, non uidere, non audire, nihil intelligere, uel cogitare, uel ſentire, ratione carere, proiectum eſſe; & uero quid aliud, ſi illud unum, quod commune adhuc cum uiuentibus habet, ſit ablatum, niſi recte uia ad mortem dicatur? iam etiam primum eſſe, & natiuum caloris motum cùm foras, & extra ſeipſum mouetur, ſecundo cùm intro, & in ſeipſum, qui propter nutrimentum comparatus eſt, id iam pridem multis locis, diximus; qui ubi non amplius in nutrimento detineatur, neque proprium ſuum motum, quo fertur foras, repetat, ſed ocioſus ſit vtrinque, habet tũ certe imaginem mortis &c. Caeterum, quoniam quae ab Auicenna hoc loco referuntur, à Galeno aſſumpta fuere lib. 6. de Morbis uulgaribus Com. 5. com. 17. ubi habet. Euacuatum ſomnus exſiccat; idcirco alia quaedam, quae ad huiuſce Contradictionis ſolutionem faciunt, in Galenicarum expoſitione reperies, ubi habetur. Somnum exſiccare ſemper.

XXVI.

VINVM antiquum, quaſi medicamentum & exigui nutrimenti eſſe ſcripſit 3. primi doct. 2. capite 8. De regimine aquæ & uini. Oppoſitum cuius tenendum uidetur, ſi nanque quodlibet uinum, etiã nouum ipſum no-

nutrire, certò ſciamus; quanto magis antiquũ efficere illud poterit, cùm ætate ipſa uinoſius, atque potentius continuo reddatur, aqueasq; ſi quas habet partes, iam abſumptas deponat.

VINVM *valde antiquum, cùm ſibi acrimoniã adſciſcat, vel etiam amarorem, quemadmodum teſtatur Galenus libro 4. de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. 7. & lib. 1. de Antidotis, quæ qualitates, non ita naturæ commodæ, & peramicæ ſunt; atque haud ſecus ac cepe, & allium, & ſilphium, naturalem intemperiem augeant; ideo fit vt corpora noſtra, illud abhorrentia, non ita ipſo nutriantur, quemadmodum nouo, & non antiquo aluntur mero. Quare cùm huiuſcemodi uinum, nutrimento nobis eſſe nequeat, medicamentum ſaltem ſit oportet, calefaciens videlicet, atque exſiccans; medicamentorum nempe in eo maxime poſita ratio eſt, auctore Galeno libro 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus, vt alterare ſubſtantiam noſtri corporis valeant, vti alimentorum, ipſam augere; ea de cauſa itaque Auicenna, vinum uetus inſtar medicamenti eſſe dixit, quod corpus immodica ſui caliditate, alterare magis quàm alere natum ſit. Animaduertendum eſt autem, antiquum vinum, id à Galeno dictum eſſe, quod decennium tranſgreditur, medium vero, quod intra quinq; & decem annos conſiſtit, quemadmodum ex his conſtat, quæ lib. 7. Methodi medendi, & libro 4. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera ſcriptis tradidit;*

dit; quod etiam affirmauit Celſus libro 2. cap. 17. in componendaq́; theriaca, lib. 1. de Antidotis retulit Galenus ſe illud vinum tantum deguſtare ſolitum, quod uigeſimum exceſſiſſet annum, atque inde initio facto, ad id uſque perueniebat, quod ſubamarum nondum foret.

XXVII.

VINVM, quoniam eſt natura calidum, & frigidum natura, ideo quoſdam fortes facit, & quoſdam debiles 2. 1. doct. 3. cap. 11. De pulſu qui prouenit ex cibo, & potu. Difficile eſt mente aſſequi, quo pacto eodem auctore, uinum, & natura calidum, & etiam frigidum natura conſtituatur; ſed admittatur hoc, longe tamen difficilius eſt, qua ratione dicat uinum ipſum & calidum, & frigidum, quoſdam debiles reddere, quoſdam autem fortes. Calidum nanque, frigidum'ue ſit uinum, nutriunt utraque; uiresq́; in quocunque corpore augere, atque roborare teſtatur Galenus lib. 3. de ratione uictus in morbis acutis com. 2. atque illud experientia notum eſt, rationiq́ue conſonum. Vinum itaque quodcunque id fuerit, ſi nos nutrit, fortes quoque, & non debiles nos reddere congruum eſt.

INARTIFICIOSVM *profectò eſſet dicere, uinoſum vinum, quod Hippocrates, cæteriq́; græci οἰνώδεες dicunt, natura calidum eſſe; ὀλιγόφορον uero, pauciferum'ue, frigidum natura; atque hoc*

ae-

Contraria huic dicto, eſt medicorum omniũ operatio; per ipſa nanque affecta membra euacuare, communis deteſtatur experientia, rationibus pluribus, auctoritatibusq; doctorum omnium firmata, roborataq;.

DOCTORES *ſinguli, per affecta membra, alibi exiſtentes ſuccos euacuare verentur profectò, ne ad leſa loca attracti, qui procul ſunt ſucci, grauiorem noxam inferant; eos uero, qui in leſis contenti ſunt partibus, medicamentis educere non dubitant; quæ tamen medicamina, lenientia, blanda'ue ſint, non autem validiora, quæ à longinquis attrahant. Qua re & Auicenna ipſe, non ualidum pharmacum à remotis attrahens, ſed leniens tantum, in ventriculi apoſtemate propinat, quò grauiorem plenitudinis ſarcinam ab ipſo deponat.*

XVIII.

OBSTRVCTIONE in ipſa meatuum, ubi exigua eixſtit, dandum eſſe uinum ſuadet; quia ipſam aperit; ubi uero eſt magna, uinum nequaquam eam aperire aſſeruit 1. 4. tractatu 2. capite 41. de ſignis febris ephemeræ ex ſoliditate cutis, cauſatæ ex ſtipticis aquis. Aduerſus quam propoſitionem, hoc pacto dicere poſſumus, uinum ipſum haud ſecus, ac aliud quoduis aperiens, tam exiguas, quàm ingentes obſtructiones omnino reſerrare poſſe, ui, caloreq; ſuo, facile membra permeans. Atque debile, aquoſumq; uinum, non ingentes,

ma-

maximaſq; obſtructiones, ſed exiguas tantum aperire ualet; uinoſum tamen ac potens, & exiguas, & ingentes dubio procul reſerrare poterit.

Paradoxon *hoc, ita facile diluere poſſumus, dicentes, obſtructiones ingentes uinum aperire non poſſe, quia ingentes ſi ſint, ualidiora adhuc quã uinum, expoſcunt auxilia, ipſas reſerrantia; & quibus uinum fortaſſe ſatis eſſe non poteſt. Amplius quoque ita dicere poſſumus, uinum cum facile permeet, atque ad membra deducatur, attrahaturq; libeter; ſuccorum copiam in immundo corpore ſecum trahens, meatibusq; eos infarciens, non modo ingentes obſtructiones non tollere, quin potius eas, quàm maxime adaugere poſſe. Qua re; obſtructione in ipſa, exigua ſi fuerit, non multum indicans in corpore ſuccorum copiam, uinum commodum erit, atque ipſam aperire poterit, è contrario, incommodum, ſi obſtructio ingens, atque petroſa; (ut Auicennæ uerbis utar) fuerit, ita enim aſſeruit ipſe 3.1. doct. 3. cap. 4. De aperiendis ſenum opilationibus; atque etiam ſi ſuccorum adſit copia, quæ, à uino facile ad membra deducatur.*

XIX.

QVI uitellum, ſubtiliationem habere aſſeruit libro 3. tract. 2. capite 24. De curatione ſodæ ex ebrietate, in hũc modum ſcribens. Et pone cibum ipſorum, qui habent infrigidationem, & humectationem; & ſubtiliationem.

ſicut

ſicut eſt uitellus oui, & ſuper eos funde &c. Cuius oppoſitum, ipſomet auctore ſentiendú uidetur, Ouum nanque ipſum, ac præcipue uitellum, cùm temperatura ſimmetro frigidiorem eſſe aſſerat, non modo in ipſo, ſubtiliationem reperiri minime poſſe conſtat, quin magis incraſſationem, ipſo quoque ita ſcribente 10. 3. tract. 3. capite 6. ubi de curatione ſputi ſanguinis egit. Et ſi timetur caſus uirtutis, timere neceſſariò, cibetur eo, à quo generatur humor æqualis, aut decliuis ad frigus, in quo ſit glutiuatio, aut inuiſcatio, & tenacitas, & ſtipticitas; & proprie incraſſatio ſanguinis, ſicut alheriſa, cum extremitatibus, & ſicut capita, & ſicut oua ſorbilia; quo in loco, uitellum oui, palàm incraſſare faſſus eſt. Quod etiam apertiſſime expreſsit 5. 3. tract. 1. capite 9. de Cura leui fluxus ſanguinis agens, in hæc uerba ſcribens. Et caſeus recens humidus, eſt ex conuenientibus cibis patientibus fluxum ſanguinis narium, & ſimiliter lac decoctum, donec ingroſſetur, & oua elixata], ei qui præparatur ad fluxum ſanguinis narium, propter choleram ſanguinis ſui.

OVI *uitellum, dum libro 3. tract. 3. cap. 24. attenuationem habere ſcripſit; alibi vero craſſum reddere ſanguinem fatetur; ſi dictum, dicto, repugnans eſſe nolumus, ita dicendum eſt. Quorum uitellum, dum attennationem habere aſſerit, nil aliud*

liud ſibi uoluiſſe, quàm ipſum, lentore priuari: quam de ipſo ſententiam habuit, atque aperte expreſſit 4. 1. tract. 3. capite 11. de Curatione ethica ſenectutis, ita inquiens; & mel eſt ultimum in iuuamento eorum, ſicut eſt vltimum in nocumento habentium febrem ethicam, & omnis cibus humectans, facilis penetrationis, uelocis attractionis; in quo non eſt uiſcoſitas; ſicut aqua carnis, & vitelli ouorum ſorbilium, & uinum ſubtile odoriferum, parua quantitatis, eſt uehementer conueniens eis; ita vt ex ipſius ſententia, ouorum uitellos attenuationem habere, atque uiſcoſitate priuari, unum atque idem ſit: atque hoc pacto Contradictio tollitur. Poſſunt etenim ouorum uitelli craſſos generare ſuccos, quibus tamen lentor abſit.

XX.

PHLEGMA ſpiſſitudine ſua, integre non obſtruere cerebri meatus, melancholiã autem, integre obſtruere aſſeruit libro 3. tract. 5. capite octauo in calce. Cuius oppoſitum ſentire uidetur eodem libro tract. 2. capite 5. De qualitatibus euctus ſodæ ex materijs, phlegma, uiſcoſitate, craſsitie, ac multitudine obſtruere ſcribens; melancholiam uero, craſsitie tantum. phlegma itaque magis integre opilare debet, quàm melancholia, cùm hæc unica tantum ratione obſtruat, illud uero, tribus ſimul obſtruentibus, uiſcoſitate nempe, craſsitie, ac multitudine, obſtructionem pariat.

PH..

PHLEGMA, *ſpiſſitudine ſua, non ita integre, ac melancholia cerebri meatus obſtruere poteſt, hac ratione, quoniam licet craſſum, pituita, haud ſecus ac melancholia; uiſcidumq́ ſuccum pariat; pituita tamen, nõ ita facile cerebri meatus peruadit, ſuo lentore detenta; atra uero bilis, licet & ipſa craſſa, lentaq́ ſit, acida tamen exiſtens, facilius meatus permeat, atque ſibimet uiam facit; meatusq́ ingreſſa, craſſitie, ac lentore ſuo, eos tandem obturat. Aliam quoque huius rei, reddere rationem poſſumus, dicentes, quod licet frigida ac craſſa pititua ſit, humida tamen exiſtit; atque humidum quoduis facile permeare poteſt; è contrario atra bilis, frigida, ſiccaq́ eſt; quod autem eiuſmodi eſt, difficile peruadit. His itaque rationibus, ueritatem ſortiri poſſunt Auicennæ uerba; phlegma ſpiſſitudine ſua, non ita integre meatus cerebri obſtruere, quemadmodum melancholia.*

XXI.

PISCES ſalitos, uelocem recipere corruptionem ſcripſit 7.3. capite 2. de conſeruatione dentium, inquiens. Ex quibus eſt ut ſibi caueat à frequenti corruptione cibi & potus in ſtomacho, propter rem in ſubſtantia cibi, & eſt ut ſit recipiens corruptionem uelociter, ſicut lac, & piſces ſaliti. Cuius oppoſitum prorſus tenẽdũ eſt; à corruptione nanque cunctá præſeruat ſal; atque quæcũque diutius imputria ſeruare uolumus, ſale ipſo condita eſſe

q cura-

curamus. Pro confeſſo itaque tenendum eſt, ipſos etiam ſalitos piſces, uelocem corruptionem nequaquam recipere poſſe.

PISCES *ſalitos, uelocem corruptionem recipere, non abſolute, atque ſimpliciter intelligatur; diutius nanque (experientia teſte) imputres ſeruantur; quemadmodum & reliqua cuncta ſale condita; ſed dicendum eſt, cæterarum ſalitarum rerum comparatione, piſces, ueloci obnoxios eſſe corruptioni, rancoremq́ facile contrahere.*

XXII.

SANGVINIS miſsionem, melius fieri aſſerit cùm febris non adeſt; quando autem adeſt febris, niſi fuerit neceſsitas, tum, ſtatum magis conuenientem eſſe, phlebotomia enim facit humores currere, & permiſcet inter eos 1. 4. tractatu 1. capite 33. de febre ephimera ex opilatione. Hoc idem & Trallianus ſentire uidetur, dum in quartana febre, ſi ſanguis mitti debet, in ſtatu mittendum eſſe ſuadet. Eodem modo & Aegineta, qui libro 3. capite 14. ubi melancholiam curat, in uigore ſummo, à ſanguinis detractione, auſpicandum eſſe inquit. Cuius quidem ſententiæ pars prima uera eſt; quod autem ſecundo ſcribitur loco, ſanguinis ſcilicet miſsionem in ſtatu, magis conuenientem eſſe, abſonum prorſus eſt, atque Hippocrati aduerſatur, ſcribenti ſecunda Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 29.

In principijs, ſi quid uidetur mouendum, moue, cùm uero conſiſtunt, ac uigent, melius eſt quietem habere. Quod quidem & in praxi à cunctis obſeruatur medicis.

APERTVM *nobis eſſe debet, ſi ſanguis mitti oporteat, in morborum initijs, ſatius eſſe mittere, quoniam in ſtatu, ſilentium habere, melius eſt, inquit Hippocrates; auctorq́; Celſus eſt libro 2. capite nono; in ipſo febris impetu, ſanguinem mittere, hominem iugulare eſſe. Dum itaque Auicenna dixit febris dum fuerit, ſtatum magis conuenientem eſſe pro ſanguine mittendo, non de vniuerſali morborum ſtatu, uerba illum feciſſe, credendum eſt; neque etiam de particularis exacerbationis ſtatu; quandoquidem in paroxiſmis ipſis, phlebotomiam faciendam ſuaſit, dum febris non adeſt. Sed per ſtatum tempus illud intellexit, in quo morbus ſtat, atque quieſcit, ſymptomataq́; remiſſa ſunt. Ægineta vero, dum in vigore ſummo, ſanguinem detrahendum hortatur, intelligi debet, dum morbus viget, non autem dum conquieſcere, atque remitti incœperit; declinante nempe vniuerſali morbo, cùm iam in tutò æger ſit, abſque ſanguinis detractione, curare ipſum poſſumus, amiſſaq́; ſanitas recuperatur.*

XXIII.

SIPHAC περιτόναιον græcis dictum, corpus paniculare, abſque uillis ſenſibilibus eſſe uolu t 13.3. tract. 1. cap. 1. de anathomia mery & ſtomachi. Contrarium attamen ſibi ipſi ſcri

pſit 22.3.tract.1.cap.1.de forma zirbi;& duorũ ſiphac, uillos manifeſtos ipſum habere aſſerẽs, his uerbis. Quidam uero dicunt, quod non licet ut dicatur, quod in ſyphac ſint tria genera uillorum contextorum ſecundum uiam notã uillorum, qui ſunt inſtrumenta uirtutum trium naturalium.

SYPHAC περιτόναιον græcis dictum, corpus paniculare eſſe abſque villis ſenſibilibus quandoque ſcripſit veluti 13. 3. tract. 1. capite 1. Alibi vero manifeſtas, atque euidentes in ipſo, fibras poſuit. Dicamus itaque, quo diluatur Contradictio, dictionem illam ſenſibilibus, omnem ambiguitatem; ac Contradictionem tollere; non enim negat Auicenna 13. 3. peritoneum villos habere; ſed inſenſibiles ipſos eſſe ibi affirmat, quos manifeſtos poſuiſſe conſtat 12. 3. tract. 1. capite 1. Præterea animaduertendum eſt peritonem duplices habere partes, internas, atque externas: interior eius pars, membranoſa eſt, nullis intertexta fibris; imo leuis impenſe, & terſa, ac velut humore oblita, adipis ſibi copiam interdum adnatam obtinens, ventriculumq́; inteſtina, omentum, meſenterium, iecur, lienem, renes, vtranque veſicam, vterum, & vaſa demum quæcunque inter ſeptum tranſuerſum, & crura ſitum obtinent, complectens; externa vero pars, carnoſa eſt, & vndecunque muſculis connaſcitur, & amplior ipſo peritoneo eſt, ac vniuerſo corpori, cutis modo obducitur; atque hæc ſimplex non eſt, cum carneis quibuſdam

donetur fibris. verum itaque peritoneum, quod in ſimilarium partium numero reponi debet, fibris vtique deſtitutum eſt, carnoſa vero ea, quæ ipſum cooperit membrana, fibris omnino conſtituitur.

XXIIII.

SITIM quandoque cum materia phlegmatica, & cum frigida diſpoſitione eſſe aſſeruit 16. 3. tract. 3. cap. xi. De ſignis diſtinctionis cholicæ, & primo de ſignis phlegmaticæ, in capitis calce hæc uerba habens. Et non oportet ut decipiatur aliquis propter id, quod forte fit de ſiti, & inflammatione, & rubedine aquæ, & exiſtimet quod ægritudo ſit calida; illud nanque commune eſt omnibus. Contra quod, tum ratio ipſa, tum ſitis ipſius eſſentia eſſe obijcit, quæ cum frigidi, humidiq; appetitus ſit, meritò neque à pituitoſa, materia, neque à frigida diſpoſitione procreari poſſe uidetur, quin magis ab horũ contrarijs, à calida uidelicet, ſiccaq; ĩtemperie, à calidis & ſiccis ſuccis. Quare neque pituitoſa materia, neque frigida diſpoſitio, ſitis occaſiones eſſe poterunt.

SITIM, *dum à pituitoſa materia, frigida'ue diſpoſitione fieri autumat; dicendum eſt, pituitoſam materiam, licet per ſe frigida ſit, atque huiuſce frigiditatis ratione, ſitim inferre nequeat; per accidens tamen, putrefacta ſi ſit, incaleſcere; atque ex aucto in ea calore, ſitim intendi, nemini dubium eſſe debet; attolluntur quippe à pituitoſa materia, vapores*

res

res quidam, qui licet frigidi, inconcoctiq́; ſint, propter calidi naturalis priuationem, ab accidentali tamen, aduentitioq́; calore, & calefiunt, & inflammantur; atque hoc pacto ſitis infertur. Frigida pari modo diſpoſitio, humidum congelans, corporis noſtri partes ac membra humectare minime permittit; quin magis humiditatem ab ipſis exprimit; qua re augetur ſiccitas, ſitisq́; ea ratione aduenit, qua humidi eſt appetitus.

XXV.

SOMNO indulgendum nõ eſſe ſcripſit ſuper nimia uacuitate, quoniam uirtutem deiicit 3. 1. doct. 2. capite nono, de ſomno, & uigiliis. Cuius contrarium prorſus opinamur, ad uires nanque roborandas, eo maxime tempore ſomnus conceditur. ſomnus nempe non ſolum motus, uerum etiam ſenſus, omnisq́; animalis functionis, quies eſt, qui, ſpiritus, labore, uigilijsq́; diſsipatos, reſtituit membrorum, ſenſuumq́; defatigationem tollit, naturales functiones, maximeq́; concoctionem, & retentionem corroborat.

PARADOXON *hoc, licet ab ipſomet aliquo pacto declaretur 2. 1. doct. 3. capite 13. De his, quæ proueniunt ex ſomno, & vigilijs, vbi ita habet. Et ſi inuenerit vacuitatem, infrigidabit propter hoc, quod reſoluit, aut humorem, qui virtuti digeſtiuæ ſit inobediens; infrigidabit propter illud, quod expanditur de eo; uigilia uero huius contrarium efficiunt.*

QQ 3 *Verum*

Verum & nos hoc pacto, illud diluere poſſumus, dicentes, ſomnum à cibo uires deijcere, quoniam intro recurrens eo tempore naturalis calor, ſi forſitan, nihil quod conficiat, habeat, pabulum ſibi ex ſanguine facit; atque ita abſumpto ſanguine, uires proſterni, atque labefactari neceſſe eſt. Vel etiam dicere poſſumus, quod licet concoctricem, ac retentricem uim corroboret ſomnus eo tempore factus, atque augeat; attractrix tamen, expultrixq́; facultas per ſomnum languidiores fiunt; propterea quod motrix uis, opem illis ferre ſolita, conquieſcit; atque cum in uacuitate, attractrice indigeamus, quæ, id quod efficit, reficiat; idcirco ſuper uacuitate, ſomno indulgendum non eſt. Adhuc etiam dicere hoc pacto poſſumus ſomnum ſuper nimia uacuitate, uirtutem deijcere, quoniam auctore Ariſtotele libro 5. de Generatione animalium capite 1. Animal in ſomno, medium quid eſt, inter uiuere, & non uiuere; neque à mortuo in alio differt, niſi quia in ſomno, naturalis calor agit, digerendo intrinſecus cibum, quod ſi quis dormiat (inquit Ariſtoteles) vltra digeſtionem cibi, tunc naturalis calor ab opere quieſcit, ac ceſſat, reſoluiturq́;, atque marceſcit, & pulſus parui fiunt. Quod autem ex ſuperfluo, excedentiq́; ſomno, naturalis labefactetur calor, reſoluaturq́;, atque marceſcat; ex eorum, qui ſuperflue dormiunt pallore, liquidò conſtat. Reſoluto itaque (vti dictum eſt) marcidoq́; reddito in ſomno ſuper nimia uacuitate propter ciborum penuriã, naturali calore, qui roboris virium, atque vitæ auctor

ctor eſt, vires pariter deiici, credamus oportet. Quod Galenũ quoque confirmaſſe uidemus libro 3. de Pulſuum cauſis, his uerbis. Somnus enim (quod uel ex Poetis audias) mortis eſt frater, unaq; hac, illi conuenit, cum viuentibus, confectio alimenti; reliqua, mortuis ſunt ſimilia, non uidere, non audire, nihil intelligere, uel cogitare, uel ſentire, ratione carere, proiectum eſſe; & uero quid aliud, ſi illud unum, quod commune adhuc cum uiuentibus habet, ſit ablatum, niſi recte uia ad mortem dicatur? iam etiam primum eſſe, & natiuum caloris motum cùm foras, & extra ſeipſum mouetur, ſecundo cùm intro, & in ſeipſum, qui propter nutrimentum comparatus eſt, id iam pridem multis locis, diximus; qui ubi non amplius in nutrimento detineatur, neque proprium ſuum motum, quo fertur foras, repetat, ſed ocioſus ſit vtrinque, habet tũ certe imaginem mortis &c. Caterum, quoniam quæ ab Auicenna hoc loco referuntur, à Galeno aſſumpta fuere lib. 6. de Morbis uulgaribus Com. 5. com. 17. ubi habet. Euacuatum ſomnus exſiccat; idcirco alia quadam, quæ ad huiuſce Contradictionis ſolutionem faciunt, in Galenicarum expoſitione reperies, ubi habetur. Somnum exſiccare ſemper.

XXVI.

VINVM antiquum, quaſi medicamentum & exigui nutrimenti eſſe ſcripſit 3. primi doct. 2. capite 8. De regimine aquæ & uini. Oppoſitum cuius tenendum uidetur, ſi nanque quodlibet uinum, etiã nouum ipſum no-

ABSONVM profectò paradoxon hoc uidetur, experientiæq́; aduerſatur; atque non experientiæ modo, uerum etiam his, quæ ab ipſo aliàs ſcripta ſunt. Libro nanque 3. tract. 4. capite 1. in calce, reſupinum decubitum, ac ſomnum, dorſum lædere teſtatus eſt, in hæc uerba ſcribens: Et nos quidem iam diximus, qualiter oportet eſſe formam iacentium ſuper cibum; nunc autem dicemus, quod uſus reſupinationis multoties lædit dorſum, & laxat ipſum, cuius quidem cura eſt, uſus ſurgendi plurimus. Superfluitates præterea in ſomno ad corporis profundum trahi, eodemmet auctore habemus 2. 1. doct. 2. capite 9. de eo, quod prouenit ex ſomno & uigilijs, & doct. 4. capite 20. Amplius 3. 1. doctr. 2. capite 9. De ſomno & vigilijs inquit reſupinum ſomnum, ſuperfluitates ad poſteriora declinare facit, & retinentur, & per ſuos non incedunt canales naturales; quare ſuper dorſum dormire, lapidi conferre minime poterit. Quocirca dicamus Auicennam, per verbum illud, conferre, non iuuamentum aut commodum, ſed perniciem magis, atque detrimentum indicare, vt verbis illis nil aliud nobis ſignificare voluerit, quàm ſi dixiſſet; Lapidis ad procreationem plurimum facit ſuper dorſum dormire, tenes quippe incaleſcunt, pituitoſosq́; è longinquo attrahentes ſuccos, ſua calida vi exurunt, calculorumq́; generatio inde originem trahit.

XVI.

LEPRA in ipſa, cappares exhibendos eſſe ſuadet 3. 4. tractatu 3. capite 3. de Curatione lepræ. Oppoſitum cuius ex ipſomet tenendum eſt. Lepra nanque quemadmodum definit ipſe, cum ex ſparſione choleræ nigræ, in toto corpore proueniat, ab ijs manus continere debemus, quæ huiuſcemodi ſuccũ procreare ualent; cappares uero, cæteraq; ſalita omnia, cùm ſuccos exacuant, ſanguinemq; ipſum adurant, eaque ratione, nigram choleram pariant, cappares in lepra, nullo pacto competere poſse, uidentur.

CAPPARES, *lepra in ipſa, fortaſſe, exhibendos eſſe ſuaſit, non propriam ſequutus ſententiam, dum lepram ab atra bile fieri pronunciat, ſed magis Hippocratis mentem ſectatus, qui in libro de Affectionibus, lepram à pituita fieri ſcripſit, quæ cùm frigida, lenta, craſſa, atque immota exiſtat; cappares mediocriter calefaciendo, lentorem, craſſitiemq; incidendo, atque attenuando, ipſi prodeſſe ualent: Amplius & lepræ ipſi, licet ab aduſta atra bile, genita fuerit, iuuamento eſſe poſſunt, cappares, ſi mediocris eorum ſit uſus, pro ſucci quoque illius attenuanda, incidendaq; craſſitie.*

XVII.

MEDICAMINA lenientia uentriculi in apoſtemate exhibet 13. 3. tract. 4. capite 3. De cura apoſtematum calidorum ſtomachi.

Con-

Contraria huic dicto, eſt medicorum omniũ operatio; per ipſa nanque affecta membra euacuare, communis deteſtatur experientia, rationibus pluribus, auctoritatibusq; doctorum omnium firmata, roborataq;.

DOCTORES *ſinguli, per affecta membra, alibi exiſtentes ſuccos euacuare verentur profectò, ne ad læſa loca attracti, qui procul ſunt ſucci, grauiorem noxam inferant; eos uero, qui in læſis contenti ſunt partibus, medicamentis educere non dubitant; quæ tamen medicamina, lenientia, blanda'ue ſint, non autem validiora, quæ à longinquis attrahant. Qua re & Auicenna ipſe, non ualidum pharmacum à remotis attrahens, ſed leniens tantum, in ventriculi apoſtemate propinat, quò grauiorem plenitudinis ſarcinam ab ipſo deponat.*

XVIII.

OBSTRVCTIONE in ipſa meatuum, ubi exigua eixſtit, dandum eſſe uinum ſuadet; quia ipſam aperit; ubi uero eſt magna, uinum nequaquàm eam aperire aſſeruit 1. 4. tractatu 2. capite 41. de ſignis febris ephemeræ ex ſoliditate cutis, cauſatæ ex ſtipticis aquis. Aduerſus quam propoſitionem, hoc pacto dicere poſſumus, uinum ipſum haud ſecus, ac aliud quoduis aperiens, tam exiguas, quàm ingentes obſtructiones omnino reſerrare poſſe, ui, caloreq; ſuo, facile membra permeans. Atque debile, aquoſumq; uinum, non ingentes,

ma-

maximaſq; obſtructiones, ſed exiguas tantum aperire ualet; uinoſum tamen ac potens, & exiguas, & ingentes dubio procul reſerrare poterit.

PARADOXON *hoc, ita facile diluere poſſumus, dicentes, obſtructiones ingentes uinum aperire non poſſe, quia ingentes ſi ſint, ualidiora adhuc quã uinum, expoſcunt auxilia, ipſas reſerrantia; & quibus vinum fortaſſe ſatis eſſe non poteſt. Amplius quoque ita dicere poſſumus, vinum cum facile permeet, atque ad membra deducatur, attrahaturq; libẽter; ſuccorum copiam in immundo corpore ſecum trahens, meatibuſq; eos infarciens, non modo ingentes obſtructiones non tollere, quin potius eas, quàm maxime adaugere poſſe. Qua re; obſtructione in ipſa, exigua ſi fuerit, non multum indicans in corpore ſuccorum copiam, vinum commodum erit, atque ipſam aperire poterit, e contrario, incommodum; ſi obſtructio ingens, atque petroſa; (vt Auicennæ uerbis vtar) fuerit, ita enim aſſeruit ipſe 3.1. doct. 3. cap. 4. De aperiendis ſenum opilationibus; atque etiam ſi ſuccorum adſit copia, quæ, à uino facile ad membra deducatur.*

XIX.

QVI uitellum, ſubtiliationem habere aſſeruit libro 3. tract. 2. capite 24. De curatione ſodæ ex ebrietate, in hũc modum ſcribens. Et pone cibum ipſorum, qui habent infrigidationem, & humectationem, & ſubtiliationem. ſicut

liud ſibi uoluiſſe, quàm ipſum, lentore priuari: quam de ipſo ſententiam habuit, atque aperte expreſſit 4. 1. tract. 3. capite 11. de Curatione ethica ſenectutis, ita inquiens; & mel eſt ultimum in iuuamento eorum, ſicut eſt vltimum in nocumento habentium febrem et hicam, & omnis cibus humectans, facilis penetrationis, uelocis attractionis, in quo non eſt uiſcoſitas; ſicut aqua carnis, & vitelli ouorum ſorbilium, & uinum ſubtile odoriferum, parua quantitatis, eſt uehementer conueniens eis; ita vt ex ipſius ſententia, ouorum uitellos attenuationem habere, atque uiſcoſitate priuari, unum atque idem ſit: atque hoc pacto Contradictio tollitur. Poſſunt etenim ouorum uitelli craſſos generare ſuccos, quibus tamen lentor abſit.

XX.

PHLEGMA ſpiſsitudine ſua, integre non obſtruere cerebri meatus, melancholiã autem, integre obſtruere aſſeruit libro 3. tract. 5. capite octauo in calce. Cuius oppoſitum ſentire uidetur eodem libro tract. 2. capite 5. De qualitatibus euctus ſodæ ex materijs, phlegma, uiſcoſitate, craſsitie, ac multitudine obſtruere ſcribens; melancholiam uero, craſsitie tantum. phlegma itaque magis integre opilare debet, quàm melancholia, cùm hæc, unica tantum ratione obſtruat, illud uero, tribus ſimul obſtruentibus, uiſcoſitate nempe, craſsitie, ac multitudine, obſtructionem pariat.

Ph-

PHLEGMA, *ſpiſſitudine ſua, non ita integrè, ac melancholia cerebri meatus obſtruere poteſt, hac ratione, quoniam licet craſſum, pituita, haud ſecus ac melancholia; uiſcidumq́; ſuccum pariat; pituita tamen, nõ ita facile cerebri meatus peruadit, ſuo lentore detenta; atra uero bilis, licet & ipſa craſſa, lentaq́; ſit, acida tamen exiſtens, facilius meatus permeat, atque ſibimet uiam facit; meatusq́; ingreſſa, craſſitie, ac lentore ſuo, eos tandem obturat. Aliam quoque huius rei, reddere rationem poſſumus, dicentes, quòd licet frigida ac craſſa pitiuta ſit, humida tamen exiſtit; atque humidum quoduis facile permeare poteſt; è contrario atra bilis, frigida, ſiccaq́; eſt; quod autem eiuſmodi eſt, difficile peruadit. His itaque rationibus, ueritatem ſortiri poſſunt Auicennæ uerba; phlegma ſpiſſitudine ſua, non ita integrè meatus cerebri obſtruere, quemadmodum melancholia.*

XXI.

PISCES ſalitos, uelocem recipere corruptionem ſcripſit 7.3. capite 2. de conſeruatione dentium, inquiens. Ex quibus eſt ut ſibi caueat à frequenti corruptione cibi & potus in ſtomacho, propter rem in ſubſtantia cibi, & eſt ut ſit recipiens corruptionem uelociter, ſicut lac, & piſces ſaliti. Cuius oppoſitum prorſus tenẽdũ eſt; à corruptione nanque cunctã præſeruat ſal; atque quæcũque diutius imputria ſeruare uolumus, ſale ipſo condita eſſe

curamus. Pro confeſſo itaque tenendum eſt, ipſos etiam ſalitos piſces, uelocem corruptionem neq̃uaquam recipere poſſe.

PISCES *ſalitos, uelocem corruptionem recipere, non abſolute, atque ſimpliciter intelligatur; diutius nanque (experientia teſte) imputres ſeruantur; quemadmodum & reliqua cuncta ſale condita; ſed dicendum eſt, cæterarum ſalitarum rerum comparatione, piſces, ueloci obnoxios eſſe corruptioni, rancoremq́; facile contrahere.*

XXII.

SANGVINIS miſsionem, melius fieri aſſerit cùm febris non adeſt; quando autem adeſt febris, niſi fuerit neceſsitas, tum, ſtatum magis conuenientem eſſe, phlebotomia enim facit humores currere, & permiſcet inter eos 1.4. tractatu 1. capite 33. de febre ephimera ex opilatione. Hoc idem & Trallianus ſentire uidetur, dum in quartana febre, ſi ſanguis mitti debet, in ſtatu mittendum eſſe ſuadet. Eodem modo & Aegineta, qui libro 3. capite 14. ubi melancholiam curat, in uigore ſummo, à ſanguinis detractione, auſpicandum eſſe inquit. Cuius quidem ſententiæ pars prima uera eſt; quod autem ſecundo ſcribitur loco, ſanguinis ſcilicet miſsionem in ſtatu, magis conuenientem eſſe, abſonum prorſus eſt, atque Hippocrati aduerſatur, ſcribenti ſecunda Aphoriſmorum ſectione, aphoriſmo 29.

In principijs, ſi quid uidetur mouendum, moue, cùm uero conſiſtunt, ac uigent, melius eſt quietem habere. Quod quidem & in praxi à cunctis obſeruatur medicis.

APERTVM *nobis eſſe debet, ſi ſanguis mitti oporteat, in morborum initijs, ſatius eſſe mittere, quoniam in ſtatu, ſilentium habere, melius eſt, inquit Hippocrates; auctorq́; Celſus eſt libro 2. capite nono; in ipſo febris impetu, ſanguinem mittere, hominem iugulare eſſe. Dum itaque Auicenna dixit febris dum fuerit, ſtatum magis conuenientem eſſe pro ſanguine mittendo, non de vniuerſali morborum ſtatu, uerba illum feciſſe, credendum eſt; neque etiam de particularis exacerbationis ſtatu; quandoquidem in paroxiſmis ipſis, phlebotomiam faciendam ſuaſit, dum febris non adeſt. Sed per ſtatum tempus illud intellexit, in quo morbus ſtat, atque quieſcit, ſymptomataq́; remiſſa ſunt. Ægineta vero, dum in vigore ſummo, ſanguinem detrahendum hortatur, intelligi debet, dum morbus viget, non autem dum conquieſcere, atque remitti incœperit; declinante nempe vniuerſali morbo, cum iam in tutò æger ſit, abſque ſanguinis detractione, curare ipſum poſſumus, amiſſaq́; ſanitas recuperatur.*

XXIII.

SIPHAC περιτόναιον græcis dictum, corpus paniculare, abſque uillis ſenſibilibus eſſe uolu t 13.3. tract. 1. cap. 1. de anathomia mery & ſtomachi. Contrarium attamen ſibi ipſi ſcri-

pſit

pſit 22.3.tract.1.cap.1.de forma zirbi,& duorũ ſiphac, uillos manifeſtos ipſum habere aſſerẽs, his uerbis. Quidam uero dicunt, quod non licet ut dicatur, quod in ſyphac ſint tria genera uillorum contextorum ſecundum uiam notã uillorum, qui ſunt inſtrumenta uirtutum trium naturalium.

SYPHAC περιτόναιον græcis dictum, corpus paniculare eſſe abſque villis ſenſibilibus quandoque ſcripſit veluti 13. 3. tract. 1. capite 1. Alibi vero manifeſtas, atque euidentes in ipſo, fibras poſuit. Dicamus itaque, quo diluatur Contradictio, dictionem illam ſenſibilibus, omnem ambiguitatem; ac Contradictionem tollere; non enim negat Auicenna 13. 3. peritoneum villos habere, ſed inſenſibiles ipſos eſſe ibi affirmat, quos manifeſtos poſuiſſe conſtat 12. 3. tract. 1. capite 1. Præterea animaduertendum eſt peritonem duplices habere partes, internas, atque externas: interior eius pars, membranoſa eſt, nullis intertexta fibris; imo leuis impenſe, & terſa, ac velut humore oblita, adipis ſibi copiam interdum adnatam obtinens, ventriculumq́ue, inteſtina, omentum, meſenterium, iecur, lienem, renes, vtranque veſicam, vterum, & vaſa demum quæcunque inter ſeptum tranſuerſum, & crura ſitum obtinent, complectens; externa vero pars, carnoſa eſt, & vndecunque muſculis connaſcitur, & amplior ipſo peritoneo eſt, ac vniuerſo corpori, cutis modo obducitur; atque hæc ſimplex non eſt, cum carneis quibuſdam

donetur fibris. verum itaque peritoneum, quod in ſimilarium partium numero reponi debet, fibris uti que deſtitutum eſt, carnoſa vero ea, quæ ipſum cooperit membrana, fibris omnino conſtituitur.

XXIIII.

SITIM quandoque cum materia phlegmatica, & cum frigida diſpoſitione eſſe aſſeruit 16. 3. tract. 3. cap. XI. De ſignis diſtinctionis cholicæ, & primo de ſignis phlegmaticæ, in capitis calce hæc uerba habens. Et non oportet ut decipiatur aliquis propter id, quod forte fit de ſiti, & inflammatione, & rubedine aquæ, & exiſtimet quod ægritudo ſit calida; illud nanque commune eſt omnibus. Contra quod, tum ratio ipſa, tum ſitis ipſius eſſentia eſſe obijcit, quæ cum frigidi, humidiq; appetitus ſit, meritò neque à pituitoſa, materia, neque à frigida diſpoſitione procreari poſſe uidetur, quin magis ab horũ contrarijs, à calida uidelicet, ſiccaq; ĩtemperie, à calidis & ſiccis ſuccis. Quare neque pituitoſa materia, neque frigida diſpoſitio, ſitis occaſiones eſſe poterunt.

SITIM, *dum à pituitoſa materia, frigida'ue diſpoſitione fieri autumat; dicendum eſt, pituitoſam materiam, licet per ſe frigida ſit, atque huiuſce frigiditatis ratione, ſitim inferre nequeat; per accidens tamen, putrefacta ſi ſit, incaleſcere; atque ex aucto in ea calore, ſitim intendi, nemini dubium eſſe debet; attolluntur quippe à pituitoſa materia, vapores*

res

res quidam, qui licet frigidi, inconcoctiq́; ſint, propter calidi naturalis priuationem, ab accidentali tamen, aduentitioq́; calore, & caleſiunt, & inflammantur; atque hoc pacto ſitis infertur. Frigida pari modo diſpoſitio, humidum congelans, corporis noſtri partes ac membra humectare minime permittit; quin magis humiditatem ab ipſis exprimit; quare augetur ſiccitas, ſitisq́; ea ratione aduenit, quæ humidi eſt appetitus.

XXV.

SOMNO indulgendum nõ eſſe ſcripſit ſuper nimia uacuitate, quoniam uirtutem deiicit 3. 1. doct. 2. capite nono, de ſomno, & uigiliis. Cuius contrarium prorſus opinamur, ad uires nanque roborandas, eo maxime tempore ſomnus conceditur. ſomnus nempe non ſolum motus, uerum etiam ſenſus, omnisq; animalis functionis, quies eſt, qui, ſpiritus, labore, uigilijsq; diſsipatos, reſtituit membrorum, ſenſuumq; defatigationem tollit, naturales functiones, maximeq; concoctionem, & retentionem corroborat.

PARADOXON *hoc, licet ab ipſomet aliquo pacto declaretur* 2. 1. *doct.* 3. *capite* 13. *De his, quæ proueniunt ex ſomno, & vigilijs, vbi ita habet. Et ſi inuenerit vacuitatem, infrigidabit propter hoc, quod reſoluit, aut humorem, qui virtuti digeſtiuæ fit inobediens; infrigidabit propter illud, quod expanditur de eo; uigilia uero huius contrarium efficiunt.*

Verum & nos hoc pacto, illud diluere poſſumus, dicentes, ſomnum à cibo uires deijcere, quoniam intro recurrens eo tempore naturalis calor, ſi forſitan, nihil quod conficiat, habeat, pabulum ſibi ex ſanguine facit; atque ita abſumpto ſanguine, uires proſterni, atque labefactari neceſſe eſt. Vel etiam dicere poſſumus, quod licet concoctricem, ac retentricem uim corroboret ſomnus eo tempore factus, atque augeat; attractrix tamen, expultrixq́ facultas per ſomnum languidiores fiunt; propterea quod motrix uis, opem illis ferre ſolita, conquieſcit; atque cùm in uacuitate, attractrice indigeamus, quæ, id quod efficit, reficiat; idcirco ſuper uacuitate, ſomno indulgendum non eſt. Adhuc etiam dicere hoc pacto poſſumus ſomnum ſuper nimia uacuitate, uirtutem deijcere, quoniam auctore Ariſtotele libro 5. de Generatione animaliũ capite 1. Animal in ſomno, medium quid eſt, inter uiuere, & non uiuere; neque à mortuo in alio differt, niſi quia in ſomno, naturalis calor agit, digerendo intrinſecus cibum, quod ſi quis dormiat (inquit Ariſtoteles) ultra digeſtionem cibi, tunc naturalis calor ab opere quieſcit, ac ceſſat, reſoluiturq́, atque marceſcit, & pulſus parui fiunt. Quod autem ex ſuperfluo, excedentiq́ ſomno, naturalis labefactetur calor, reſoluaturq́, atque marceſcat; ex eorum, qui ſuperflue dormiunt pallore, liquidò conſtat. Reſoluto itaque (uti dictum eſt) marcidoq́ reddito in ſomno ſuper nimia uacuitate propter ciborum penuriã, naturali calore, qui roboris uirium, atque uitæ au-

ctor

ctor eſt, vires pariter deijci, credamus oportet. Quod Galenũ quoque confirmaſſe uidemus libro 3. de Pulſuum cauſis, his uerbis. Somnus enim (quod uel ex Poetis audias) mortis eſt frater, unaq; hac, illi conuenit, cum viuentibus, confectio alimenti; reliqua, mortuis ſunt ſimilia, non uidere, non audire, nihil intelligere, uel cogitare, uel ſentire, ratione carere, proiectum eſſe; & uero quid aliud, ſi illud unum, quod commune adhuc cum uiuentibus habet, ſit ablatum, niſi recte uia ad mortem dicatur? iam etiam primum eſſe, & natiuum caloris motum cùm foras, & extra ſeipſum mouetur, ſecundo cùm intro, & in ſeipſum, qui propter nutrimentum comparatus eſt, id iampridem multis locis, diximus; qui ubi non amplius in nutrimento detineatur, neque proprium ſuum motum, quo fertur foras, repetat, ſed ocioſus ſit vtrinque, habet tũ certe imaginem mortis &c. Caeterum, quoniam quae ab Auicenna hoc loco referuntur, à Galeno aſſumpta fuere lib. 6. de Morbis uulgaribus Com. 5. com. 17. ubi habet. Euacuatum ſomnus exſiccat; idcirco alia quaedam, quae ad huiuſce Contradictionis ſolutionem faciunt, in Galenicarum expoſitione reperies, ubi habetur. Somnum exſiccare ſemper.

XXVI.

VINVM antiquum, quaſi medicamentum & exigui nutrimenti eſſe ſcripſit 3. primi doct. 2. capite 8. De regimine aquae & uini. Oppoſitum cuius tenendum uidetur, ſi nanque quodlibet uinum, etiã nouum ipſum no-

dit; quod etiam affirmauit Celſus libro 2. cap. 17. in componendaq; theriaca, lib. 1. de Antidotis retulit Galenus ſe illud vinum tantum deguſtare ſolitum, quod uigeſimum exceſſiſſet annum, atque inde initio facto, ad id uſque perueniebat, quod ſubamarum nondum foret.

XXVII.

VINVM, quoniam eſt natura calidum, & frigidum natura, ideo quoſdam fortes facit, & quoſdam debiles 2. 1. doct. 3. cap. 11. De pulſu qui prouenit ex cibo, & potu. Difficile eſt mente aſſequi, quo pacto eodem auctore, uinum, & natura calidum, & etiam frigidum natura conſtituatur; ſed admittatur hoc, longe tamen difficilius eſt, qua ratione dicat uinum ipſum & calidum, & frigidum, quoſdam debiles reddere, quoſdam autem fortes. Calidum nanque, frigidum'ue ſit uinum, nutriunt utraque; uireſq; in quocunque corpore augere, atque roborare teſtatur Galenus lib. 3. de ratione uictus in morbis acutis com. 2. atque illud experientia notum eſt, rationique conſonum. Vinum itaque quodcunque id fuerit, ſi nos nutrit, fortes quoque, & non debiles nos reddere congruum eſt.

INARTIFICIOSVM *profectò eſſet dicere, uinoſum vinum, quod Hippocrates, caeteriq; graci οἰνώδες dicunt, natura calidum eſſe; ὀλιγόφορον uero, pauciferum'ue, frigidum natura; atque hoc*

ae-

debiles potatores reddere; illud vero fortes; quoniam hoc apertum ſatis omnibus, atque perſpicuum eſt. Reliquum eſt itaque vt credamus Auicennam, idẽmet vinum aſſerere, & calidum natura eſſe, & frigidum; atque utrunque, & id quod calidum eſt, & id quod frigidum, alios robuſtos, alios vero imbecilliores reddere. Quo autem pacto iſtud, quod & ſatis ambiguum (ſi ita accipiatur) paradoxon eſt, dilui, atque intelligi valeat, ne plura, quàm breuitas propoſiti à me negocij expoſcat in medium adferam; à me non explicabitur modo, quonam pacto vinum, communi omnis nutrimenti effectu, nos roboret, ac calefaciat; quod cuti impoſitum non calefacit, quemadmodum Galenus diſcutit lib. 3. de Temperamentis; neque an uinum album, ac tenue, vel acerbum, uel nouum frigida ſint; nigrum uero, vel flauum, vel ſubflauum, vel antiquum, calida; neque quo pacto vinum, quod calidum ſit, frigidos morbos pariat, quandoquidem, quando plus bibitur, quàm euinci poſſit, illud fieri palàm eſt, quemadmodum teſtatur Hippocrates libro de veteri medicina, vinum meracum multum potum, hominem aliquo modo debilem reddere ſcribens; neque alia plura, quæ ad rem hanc quoquo pacto facere poſſent; id ſolum perſcrutari, atque perpendere operaprecium eſt, quod, hoc loco Auicennam habere credimus; quanam ſcilicet ratione, vinum idem, & calidum natura, & frigidum natura ſit; atque utrunque fortes, ac debiles potatores efficere valeat. Quam rem hoc pacto rimari, atque

di-

diſcutere oportet, dicentes, Vinum quod calidum natura eſt, id ipſum, pro diuerſa potantium temperie; pro naturalis caloris eſſentia, magis & minus calidum eſſe; quapropter id, quod alicui calidum erit; idem in altero, frigidam ſotrtiri, atque obtinere uim poterit; atque minus calidum, calidiori comparatum, frigidum appellabitur; calidum uero erit, ſi frigidiori æquiparetur. Sic itaque uinum, pro vario, quo corporibus noſtris applicatur modo, pro diuerſa (vti dictum eſt) temperatura, pro naturalis caloris eſſentia, & calidum, & frigidũ idemmet eſſe poterit. Quo ſuppoſito, reliquum modo eſt, vt ſecundum aperiã, quo pacto ſcilicet, id quod calidũ natura eſt, quoſdam fortes, quoſdam vero imbecilles reddat; pariter & qua ratione id quod frigidum eſt, validos hos, atque robuſtos; illos autem debiles efficere queat. Et licet rationi cõſonum ſit, calidum natura vinum, validiora ſemper, atque robuſtiora quæcunque corpora reddere debere, quandoquidem & facile permeat, citoq́; aſſimilatur, ac nutrit, fouetq́; nos; neque aliud nutritio ſit, quàm aſſimilatio perfecta; veruntamen, quando calidum vinum, & debiles quoſdam reddere inſinuauit; dico, non alia ratione, diuerſos ab eodem vino effectus enaſci poſſe, quàm propter diuerſam corporum noſtrorum temperiem, quemadmodum dictum eſt, atque innati caloris robur, imbecillitatemq́;, vel etiã prout vel modice, uel intẽperanter aſſumitur; teſtis nanque Ariſtoteles eſt 30. Problematum ſectione, problemate 1. merum ipſum, ac præcipue

præcipue potens, ac generoſum, modo iracundos homines, modo miſericordes, audaces tandem, furioſos, lætos, interdum etiam mœſtos, taciturnos, torpentesq́; nonunquam contumelioſos, & petulantes reddere ſolere. Robuſta præterea, calidaq́; potantium corpora, à vino natura calido, calidiora, robuſtioraq́; fiunt; naturalis quippè ipſorum calor, non ita facile à vini calore euinci, ac ſuperari poteſt; at ſi bibentium naturalis calor, imbecillis, non robuſtus exiſtat; vel etiam ij, frigida admodum temperatura ſint, inualidos hos, atque imbecilles reddet, tum quia validus vini calor, imbecillem ipſorum calorem ſuperat, vinoſum nanque uinum, imbecillas vires ferit, auctore Galeno lib. 7. Therapeu. Methodi cap. 6. Ariſtotele idem comprobante 3. Problematum ſectione, problemate 22. ubi ſic habet. Vinum ſua caliditate, calorem macerat naturalem; & quo modo ab igne nimio, vel Sole, exiguus ignis extinguitur, ſic intimus corporis calor, à vini calore ſi nimius eſt, ſuperatur, atque extinguitur. Quod etiam ſuperius adnotauit problemate 5. his verbis. Vinum enim, calorifica ſua facultate amplificata, pluſquam vires corporis patiantur, calorem corporis, ſe permiſcens, extinguit, quo extincto, refrigeratoq́; corpore, accidit, vt tremores oriantur; tum etiam quia, in frigidam admodum intemperiem, calidam eius uim, facile imprimere nequeat. Neque enim in animalis corpore, ſecus quandoque operatur vinum, ac in lignis humidis, ignis efficit;

ca

ea nanque, licet ignis nutrimentum ſint, ſæpenumero tamen igni iniecta, cùm non ita facile ipſius uim, recipere valeant, non modo eius flamma, à lignorum humiditate ſopitur, vt etiam quandoque corrumpendæ eius periculum immineat; ſic quoque & in corporibus noſtris, vinum efficit, quod, cùm vt prorſus aſſimiletur, ac corpus nutriat, ſpatio egeat, frigiditate tamen aſſimilationem ſubterfugiens, frigus ac imbecillitatem potius quàm calorem, & vires adferre videtur. Fortes itaque ac validiores eos reddet, qui calidiores redditi, caliditati uini obſiſtere valide poterunt; debiles vero euadent, quorum imbecillis calor naturalis, à ualido uini calore ſuperatur, atque extinguitur. Neque iterum aliter in nobis uinum operatur, quàm Sol, ualidaq́; exercitia; quæ duo auctore Galeno lib. 4. de Simplicium medicamẽtorum facultatibus cap. 14. calida, atque robuſta corpora, etiam validiora efficiunt, proſternunt autem, ac digerunt, refrigerantq́; quæ non ſunt huiuſmodi; quocirca & Ariſtoteles 3. Probl. ſect. probl. 16. quærit cur vinum, alios retardos, alios ſuperbos reddat, atque inſanibundos (contrario enim affectu id agitur) quandoquidem hi magis, illi minus mouentur; atque ſic ex Chæremone reſpondet; quia uinum pro moribus, atque potantium natura ſeſe accommodat, contraria igitur reddit, non quæ eadem, ſed quæ ſunt diſſimilia, vt ignis, alia exſiccat, alia humectat, ſed non eadem; & quidem glaciem, ac ceram liquefacit; ſalem, limumq́; indurat. atque hæc

de

de calido uino dicta ſint; quo pacto ſcilicet & fortes quoſdam, quoſdam uero & debiles reddat. Operaprecium modo eſt de frigido vino vt agamus, quod cùm tarde permeet, tardamq́; mutationem, atque aſſimilationem ſubeat; idcirco debiles quoſcunque reddere deberet, cùm & ſerius nos enutriat, ac naturalem, calorem præpotentiorem efficere nequeat. Verum & diuerſi corporum ſtatus, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt, diuerſam & à frigido uino operationem ſortiuntur; imbecilles nanque eos reddet, qui moderate calidi ſunt, ipſorum calorem ſuperans, hebetansq́; fortiores eos, qui modice frigidi ſunt, calorem ipſorum quoquo pacto colligens, ualidioremq́; efficiens. Pariter non ſecus in corpore noſtro, frigidum uinum efficere iure poterit, ac aqua occurſus frigida, quæ aut uincit natiuum calorem, aut colligit; uincit quidem, cùm debilis fuerit, colligit autem, cùm fortis, ipſum continens, ac diſflari prohibens, auctore Galeno 5. Aphoriſmorum ſectione com. 21. Sic itaque uinum idem & calidum, & frigidum erit; Calidumq́; & frigidum, ea ratione, ualidiores aliquos, quoſdam uero imbecilliores reddere ualebit.

FINIS.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

621

Digitized by Google


RENOVATA IVVENTVS

682



F. S

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
1971
ROMA